68

Digitized by Google

Digitized by Google

89
9
II

Digitized by Google

Digitized by Google

11. 6. 68

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

11-6-68

BIBLIOTHECA BENEDICTINO-MAURIANA.

SEU

DE ORTU, VITIS, ET SCRIPTIS PATRUM BENEDICTINORUM E CELEBERRIMA CONGREGATIONE S. MAURI IN FRANCIA.

LIBRI II.

AUTORE

R. D. P. BERNARDO PEZ,
Benedictino, & Bibliothecario Mellicenſi, qui
etiam veterem inſignem Anonymum de Scriptoribus Eccleſiaſticis addidit, & hic primùm ex Bibliotheca MSS. Mellicenſi in lucem aſſeruit.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

Auguſtæ-Vindelicorum & Græcij,
Sumptibus Philippi, Joannis & Martini Veith, Fratrum. M DCC XVI.

Google

Reverendiſſimis, Perilluſtribus, ac Ampliſſimis Dominis, Dominis, Inclytorum, ac Florentiſſimorum Auſtriæ Superioris Monaſteriorum Ordinis S. Benedicti

Abbatibus & Præſulibus

ALEXANDRO
CREMIFANENSI,

MAXIMILIANO
LAMBACENSI,

AMBROSIO
GARSTENSI,
AMANDO
LUNÆLACENSI,
RUPERTO
GLUNICENSI,

Sac. Cæſareæ Majeſt.
Conſiliariis &c. &c.
Patriæ Patribus,

Patronis Gratioſiſſimis,

Reve-

Reverendiſſimi , Perilluſtres , ac Ampliſſimi

DOMINI, DOMINI

PRÆSULES

Patroni Gratioſiſſimi !

Q*uod univerſæ Reipublicæ Litterariæ, Ordini præcipuè Benedictino bene, ac feliciter vertat*, *en* Libri duo de Vitis, & Scriptis famigeratiſſimorum

noſtrorum è Congregatione Sancti Mauri in Francia Benedictinorum *in Veſtro nunc primùm ſplendidiſſimo Nomine apparent, Reverendiſſimi, Perilluſtres, ac Ampliſſimi, Domini, Domini Præſules, Patroni Gratioſiſſimi! Neque ſanè in alio apparere debebant. Ecquis enim omnium hìc terrarum eſt, qui de ſummorum, ac eruditiſſimorum* (*abſit verbo invidia*) *illorum Virorum lucubrationibus aut avidiùs quærit, aut honorificentiùs ſentit, aut jucundiùs loquitur, quàm Vos Ampliſſimi Muſarum in Auſtria Superiori Statores? Nihil auribus Veſtris hìc tribuo. Teſtimonium præter alia locuples exhibent magnifica, ſplendidiſſimaque Inclytorum,*

rum, *ac Florentiſſimorum Ve-ſtrorum Monaſteriorum* Bibliothecæ, *quæ nullum non paulò elegantiorem, eruditioremque hoſpitem in admirationem abripiant neceſſe eſt. Certè cùm ipſe nuper admodum cum chariſſimo germano ac ſodali meo P. Hieronymo ad Antiquiſſima Veſtra Cœnobia, perluſtrandorum veterum monumentorum, maximè codicum Mſs. causâ, gratioſiſſimè, benevolentiſſiméque admiſſus eſſem, ad nulla eorum, quæ plurima erant, Ornamenta diutiùs defixi hæſimus, quàm ad Bibliothecas. Traduxerat nos quidem in ſtuporem ædificiorum elegantia, Templorum cultus & majeſtas, Sacrariorum ſplendor,*

dor, Regularis diſciplinæ vigor, profuſa in hoſpites humanitas; ſed, ut ex animo loquamur, horum nihil æquè commovebat, quàm incredibiles, quos in Veſtras Bibliothecas quoquô modô exornandas, locupletandasque memorabili exemplo, facitis, ſumptus & impendia. Porrò, quin ex adeò copioſarum Bibliothecarum perluſtratione vehementer profecerimus, plurimaque didicerimus, quæ ad illuſtrandam rem omnem Litterariam, Benedictinam præſertim, & Auſtriacam faciant, non poſſumus non jucundiſſimè, gratiſſimoque animo recordari. Verùm ijdem affatim percepti ex Veſtris Bibliothecis fructus, frequensque

eorum

eorum recordatio identidem animum vellicabant; monebantque; ut de ſtatuendo perpetuo aliquo grati animi monumento, & ſeriò, & primo quoque tempore cogitaremus. Quocirca cùm Bibliothecis *nihil dignius reponi poſſe, quàm* Bibliothecam, *exiſtimemus, jam nunc adſumus, &* Bibliothecam Benedictino-Maurianam, ſeu libellos duos de ortu, vitis, & Scriptis R.R. D.D. P.P. Benedictinorum è Congregatione ſancti Mauri in Francia *quàm demiſſiſſimè, devotiſſiméque Vobis, Reverendiſſimi, Perilluſtres, ac Ampliſſimi Domini, Domini, offerimus, dedicamus, conſecramúsque. Accipite igitur ea, qua alia hujusmodi omnia ſoletis,*

tis, facilitate, ac clementia Litterarium hocce noſtrum munuſculum, noſque cum toto Monaſterio Mellicenſi ampliſſimis Veſtris favoribus, ac gratijs complecti pergite.

Reverendiſſ. Perilluſtr. ac Ampliſs. D. Dominationum V. V.

Servus infimus

P. Bernardus Pez,
Benedictinus & Bibliothecarius Mellicenſis.

Ad eruditum & candidum Lectorem.

Miraberis profectò Candide Lector, quid ſit, quòd homo Germanus cùm ſim, ad perſcribendas tamen, memoriæque tradendas eruditorum in Francica Sancti Mauri Congregatione Benedictinorum, exterorum nempe, res animum adpulerim. Quin tu, inquies, domi tuæ nata curas, & ſua exteris relinquis? Sic qui ſentiunt, & aiunt, me tantò minus ſibi adverſantem habent, quantò ſcientior, certiorque ſum, Celeberrimam illam Congregationem Benedictinam Viris & judicio, & eruditione, & omnibus denique ſcribendi artibus præſidiisque florentibus abundare, qui occupatam à me provinciam utique accuratiùs multò, elegantiùs, feliciusque admi-

ni-

niſtraturi eſſent. Enimverò cùm ex iis nullus adhuc extiterit, qui ſuo pudori & modeſtiæ tantum imperare potuerit, ut inclyta ſuorum doctiſſimorum Sodalium nomina conſimili quopiam Opere publicitus cohoneſtaret, nulli extero, certè non ejusdem Ordinis homini, vertendum vitio eſt, ſi pro ſua virili parte tantorum Virorum memoriæ quocunque modò conſulere, ac commerita laude proſequi in animum inducat. Atque hoc illud eſt, quod in præſenti Opuſculo tentavi. Tentavi, inquam; neque enim tam ineptus, & φίλαυτος ſum, ut aut credam ipſe, aut aliis perſuaſum eſſe velim, me nullius hìc recenſiti Scriptoris merito defuiſſe, aut ùt par erat, ſingulos celebrâſſe. Immò nihil in univerſò hoc meo conatu eſt, quod magis ne Viris in Hiſtoria Litteraria verſatis diſpliceat, vereor, quàm nimia in enarrandis Singulorum Scriptorum vitis, elogiisque brevitas, & parſimonia. Quæ quidem ut abeſſent, nihil non operæ dedi, ſed irrito ſemper, & ubique conatu, ſi unum Johannem Mabillonium, & Theodericum Ruinartum, quorum elogia ſat ampla elegantiſſimo R. D. Renati Maſ-

ſueti

& candidum Lectorem.

ſueti ſtylo debemus, excipias. Quæ enim inveterata è Congregatione Sancti Mauri Patrum modeſtia fecit, ne hoc argumentum à ſuorum quopiam ſuſceptum hactenus fuerit, ac pertractatum, eadem in cauſa fuit, ne idem nunc à me utut volente, ſplendidiùs, inſtructiùs, ſingularibuſque, ut viri eruditi optant, Scriptorum factis dictíſque refertiùs adornatum ſit. Quò minus etiam imperitiæ, ineptiarumve damnandus ſum, ſi ſingulorum Scriptorum Opera ſuo loco annumeraſſe non contentus, inſuper non exiguam perſæpe partem Præfationum, quas doctiſſimi Benedictini San-Mauriani ſuis Operibus præfigere conſueverunt, eorundem Vitis intertexam. Namque quod alibi meritò ipſius in vitio ponam, hìc fere neceſſarium, nec ſine laude, pluriumve commodo faciendum videbatur: primò propterea, quòd ſelecti ejusmodi ex Præfationibus loci plurima plerúmque contineant, quæ Vitas Scriptorum, occaſiones, & fata Operum ſpectant; deinde quòd multis, iis præſertim, qui tam vaſta, tantorúmque ſumptuum Opera vel nunquam, vel rarò ad manus habebunt, nonnullam eorum

ſaltem

Digitized by Google

ſaltem epitomen, & veluti œconomiam poterint exhibere; poſtremò quòd ſpecimen ſtyli, genusque orationis, quo quidam Scriptores uſi ſunt, largo fonte propinent; cui poſtremæ cauſæ etiam tribuas velim, quòd Præſationum excerpta totidem plerúmque, quot apud Benedictions extant, verbis dederim. Neque tamen ad omnia moroſiùs perlegenda Viros eruditos, & in San-Maurianorum Benedictinorum Operibus contritos vi adigam. Contrà his ipſe autor ſim, ut ad alia, quæ ipſis uſui & voluptati eſſe poſſint, cujusque modi non nulla damus, ſeſe convertant, longioresque illas periodos iis relinquant, qui lucubrationes, quæ ſucco & ſanguine non turgeant, averſantur. Meminerint etiam, plurimum in hac ſcriptione dandum fuiſſe noſtris in Germania Sodalibus, qui, quod præprimis hic ſpectabam, ſua deinceps ſtudia ad San-Maurianorum imitationem vix component, niſi largiori telâ, & colore horum Opera repræſentata viderint. Quod tamen non eò accipi velim, ac ſi noſtri in Germania Sodales non æquè doctrina & Scriptis egregios ſeſe præbeant, cùm σὺν θεῷ brevi oſten-

oſtenſurus ſim, Benedictinos in Germania Cœnobitas Francicis noſtris Alumnis nec numero Autorum, nec librorum editorum multitudine inferiores eſſe. Verùm id duntaxat hìc volui, ut poſtquam Philoſophiæ Ariſtoteleæ, ac Theologiæ Scholaſticæ ſat litatum fuerit, ad ſacram Criticam, ad illuſtrandos Sanctos Patres, ad diſcutienda ſelecta hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capita, ad eruénda ex pulveribus & umbris veterum autorum monumenta, & alia ejusmodi, in quæ San-Mauriani noſtri tanto Eccleſiæ commodo, tantaque cum omnium doctorum hominum applauſu incumbunt, majorem ſuarum curarum, ac ſtudiorum partem in poſterum traducant.

Cæterùm ad Opuſculi hujus calcem inſignem Anonymum *quemdam* de Scriptoribus Eccleſiaſticis *ex Bibliotheca Manuſcriptorum Mellicenſi nunc primùm comparere juſſi, hortante præprimis Perilluſtri ac Eruditiſſimo D. Domino Joanne Benedicto Gentilloto ab Engelsbrun, Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareo-Vindobonenſis Præfecto longè celeberrimo, cujus in me beneficia liberaliſſimè collata*

nun-

nunquam ſat potero prædicare. Quid autem de hoc Anonymo, ejusque uſu ſtatuendum ſit, ex Admonitione, *quàm ſuô locô præfixi, ediſces. Interim hæc omnia, cujusdemumcunque commatis ſint, ut tibi, mi Lector, grata & jucunda ſint, ex animo precor. Quod ſi quæ in utróque Opere tibi corrigenda videbuntur, me, cui nec voluntas emendandi, nec locus gratum animum præſtandi deerit, benevolè mone, &*

Vale.

DISSERTATIO HISTORICA

De

Ortu & Progreſſu celeberrimæ Benedictinæ Congregationis ſancti Mauri in Francia.

CAPUT I.

Autor Congregationis S. Mauri Deſiderius à Curia, à quo etiam Congregatio SS. Hidulfi & Vitoni in Lotharingia condita. Illius Natales, & ſeceſſus in Virdunenſe S. Vitoni Monaſterium. Muſſiponte SS. Theologiæ Doctor creatur. Domum redux in reformandis ſuorum ſodalium moribus fruſtra eſt. Epiſcopi Virdunenſis in Deſiderium iræ ob acceſſum Romanum.

CEleberrimæ in Francia Benedictinæ Congregationis ſancti Mauri eadem incunabula & initia ſunt, atque Congregationis ſanctorum Hidulfi & Vitoni in Lotharingia, ſancti Placidi in Belgio, ac Cluniacenſis âb exactiori Benedictinæ Regulæ cuſtodia *de ſtrictiori obſervantia* cognominatæ. Suam

An. Chriſti. nempe originem hæc vitæ ſanctimoniâ, & optimarum Litterarum cultu inclyta Benedictinorum Cœnobitarum ſodalitia nulli alteri acceptam referunt, quàm Venerabili Patri, Domno Deſiderio à Curia (Francis *Dom Didier de la Cour*) ex cujus ſingulari pietate, perpeti ſtudio, contentione, ac irrequieto ad conſummatam virtutem niſu hic poſtremò nobiliſſimus fructus extitit. Editus eſt in lucem Deſiderius Manzevillæ in agro Virdunenſi anno poſt par-
1550. tum Virginis milleſimo, quingenteſimo quinquageſimo, parentibus Bertrando à Curia, & Johanna Boucart, nobili genere conſpicuis illis quidem, ſed cenſu, & fortunis adeò anguſtis, & tenuibus, ut vitam ex agro tolerare, gnatumque liberali ac facili ingenio præditum ruri detinere rerum inopia coegerit. Sic inſtituta, ductaque Deſiderij vita fuit uſque ad annum ejuſ-
1567. dem ſæculi ſexageſimum ſeptimum, quo adoleſcens Virdunum miſſus, ædes, ad ſancti Vitoni Monaſterium adſitas, incoluit. Cúmque loci templum quotidiana aſſiduitate frequentare,

tare, rei Divinæ conſtanter adeſſe, Deúmque precibus religioſiſſimè colere aliquandiu volupe habuiſſet, tandem inflammato monaſticæ vitæ ſtudio abripi occepit. Itaque re ferventiſſimis precibus Deo commendata, ad Vitonenſis Cœnobij Patres ſupplex acceſſit, rogavitque; ut in Converſorum ſeu Laicorum gregem recipere ſe ne dedignarentur. Etſi enim nulla re magis, quàm Divinarum laudum concentu delectaretur, ea tamen fuit in Deſiderio litterarum ignoratio, & imperitia, ut ad obtinendam ſocietatem eorum, qui Choro mancipati ſunt, ſpem erigere auſus nequaquam ſit.

Erat id temporis Abbas Monaſterij ſancti Vitoni Epiſcopus Virdunenſis Nicolaus Pſalme, ſi rectè conijcio, * *ex Abbate ſancti Pauli vir doctiſſimus*, Deſiderio ex Matre propinquus, qui primarij Virdunenſis Prætoris, cum adoleſcente itidem materno ſanguine conjuncti precibus flexus, aditum candidato non modò facilè, ac benignè patefecit, ſed ijs etiam præter ſpem ad-

* G. Bucel. Germ. Sac. part. 1. pag. 39.

gregari voluit, quos divina Pſalmodia & ſacrorum officiorum concelebratio Choro addixit. Imperata Epiſcopi fecêre quidem cœnobitæ, aſt animo nequaquam libenti, ut qui adoleſcentulum nullis litteris inſtitutum, & illiberaliter educatum, ad ſe adjungi ægerrimè ferrent. Quo etiam factum, ut prima tyrocinij ſui ætate ea Deſiderio perferenda fuerint, quæ âb hominibus malè affectis, aſperis, & moroſis exſpectari poſſunt. Paſſus eſt tamen toleranter omnia pius Tyro, ijs unicè intentus, quorum uſu majores quotidie in virtute progreſſus faceret. Permovit ea æquanimitas & fortitudo Anſelini Prioris, & cujusdam alterius Cœnobitæ, cui nomen Boncompanio, animos adeò, ut & illius adverſus laceſſentes patrocinium, & ipſum primis Latinæ linguæ rudimentis imbuendum ſuſceperint. Nec ſpem amborum fefellit Deſiderius, paucis admodum diebus eò in litteris progreſſus, ut ſancti Patris ſui Regulam, latinè ſcriptam facilè expediteque legeret, ejusque ſenſum aſſequeretur. Tam fau-

fauſtis initijs delectatus Anſelinus, indulgente Abbate, Chriſtophorum à Valle, celeberrimum ea ætate Litterarum, quibus ad humanitatem informantur pueri, Doctorem, poſtea Epiſcopum Tullenſem, ad ſancti Vitoni Cœnobium evocavit eo fine, ut ſui imitatione tyronem uberius erudiret, & ad Romanam civitatem propiùs adduceret. Tanti Doctoris præceptionibus adeò gnaviter uſus eſt ille, ut non multo poſt tempore dignus viſus ſit, qui in Academia Muſſipontenſi, exceptis publicis lectionibus, firmiora & ampliora ſtudijs præſidia compararet. Studiorum Academicorum ſocium nactus eſt juniorem quemdam monachum, Domnum Claudium le Francois nomine, alteram futuræ Reformationis columnam: quorum utrorumque ùt profectus in doctrinarum ſtudijs, ſic & pietas, morum decor, maximus vitæ rigor, & inter ipſos ſcholarum tumultus ſilentij & ſolitudinis conſectatio, nulli non ſodalium exemplo, ac imitationi fuit. Deinde cùm Muſſiponte peſtis fureret, ad Remorum urbem ſe contulit Deſideri-

derius, ibique Eloquentiæ operam ſtrenuè navavit. Mox depulſa lue Muſſipontem reverſus, recepto more Philoſophiæ, ac tum presbyter ordinatus, Theologiæ curriculum ingreſſus eſt; quo cum laude emenſo, ſuprema Theologiæ laurea decoratus, tandem Virdunum in ſuum ſe Monaſterium recepit.

Illic nihil antiquius habuit, quàm mores cùm ſuos, tum ſodalium ad Benedictinæ Regulæ, quam utrique voverant, amuſſim exigere, ac componere: id quod ſine gravibus, multiplicibusque certaminibus, quæ monachi quidam laxiori ac licentiori vitæ dediti ſerebant, neutiquam factum eſt. Quidquid tamen negotij ab his faceſſeretur, ſibi ſoli vivere nolens Deſiderius, eos quà exemplo, quà ſermone ad meliorem frugem reducere inſtitit. Neque id ſatis pro ſuo in regularem vitam ſtudio fuit. Sed cùm Abbatialis ſancti Vitoni menſa, quam vocant, & Epiſcopalis, jam dudum coaluiſſent in unum, Epiſcopúsque Virdunenſis Abbatis munere fungeretur, eum ſæpiùs adijt, nullamque

non machinam movit, ut ad laudabiliorem vitæ rationem, in monaſterio ſuo inſtituendam, perpelleret. Nec Antiſtes rem intentatam reliquit; ſed quidquid demum laboris & operæ ab utroq; ſuſceptum fuerit, id omne malorum dœmonũ fraudibus mox diſturbatum & peſſumdatũ eſt. Immò plerique ejusmodi conatus & conſilia non niſi in perniciem Deſiderij verterunt, pravis Cœnobitis ſexcentas pugnas viro ſancto obijcientibus. Bis âb Anſelino Priore tyronum Magiſter dictus, bis loco cedere compulſus eſt, corruptîs ſcilicet ſeniorum exemplo adoleſcentiorum animîs, atque adeò quantascunqueMagiſtri curas fruſtrantibûs. Ut igitur importunum cenſorem ab oculis amoverent monachi, Romanum ei iter perſuaſerunt. Titulus itineris menſa Abbatialis, cujus âb Epiſcopali divellendæ gratiam à ſummo Pontifice Deſiderius impetraret. Proinde alacriter ac ſtrenuè rem ageret, hortabantur; polliciti, ſumptus, ſi quibus opus futurum eſſet, ſe in tempore ac abundè ſuffecturos. Sic verba optimo viro data. Is quippe

An. Chriſti. 1587. vix Romam pervenit circa annum milleſimum, quingenteſimum octogeſimum ſeptimum, illico infidos ſocios expertus eſt, ut qui hominem ſuis moribus infeſtum à ſe pulchrè abieciſſe læti, Deſiderium nec conſilio, nec ope deinceps adjuverint. Ita à ſuis deſertus, re infecta domum redijt, gravibus irarum fluctibus âb Epiſcopo, quem ea profectione mirum quantum exulceraverat, in poſterum exagitandus.

CAPUT II.

Deſiderij poſt fruſtra tentatam San-Vitonenſium reformationem vita Solitaria propè Rarecurtem, & ingreſſus in Ordinem Minimorum, quem tamen profiteri noluit Deus. Qui ea ætate multorum in Francia monachorum mores: Clemens VIII. P. M. Ordinem S. Benedicti ibidem abolere recuſat. Congregatio Francica Caſalis Benedicti. Deſiderius factus S. Vitoni Prior ad ſtudium reformationis redit.

Cum

de Ortu & Progreſſu, &c.

CUm reducenda ſanctioris diſciplinæ ſpes omnis decollâſſet, Deſiderius vitâ ſolitariâ captus, in Oratorium ſancti Chriſtophori propè * Rarecurtem, octo circiter milliaribus Virduno remotum, ſeceſſit; ubi decem menſium ſpatio ſuper ſacræ ædiculæ fornicem delituit, unico pane quot hebdomadis miniſtrato & aqua contentus. At ſæviente in ijs regionibus bello, militum incurſibûs & immodeſtiâ infeſto loco decedens, in Ordinem Minimorum nomen dare conſtituit. Et conſilium id re quidem vera exſecutus eſt; ſed recurrente identidem animo Regula ſancti Benedicti, in alterius verba jurare non permiſit Deus, qui ſanctiſſimæ Regulæ inſtaurationem dudum deſtinaverat Deſiderio. Verùm ea inſtauratio res infinita, & quæ nulla ratione fieri poſſet, plerisque videbatur. Adeò quippe in Francia contaminati, ac corrupti erant Cœnobitarum Benedictinorum mores, diſciplinaque monaſtica labefactata, ut Carolus à Lotharingia Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis circa annum

num

* Rarecourt.

num milleſimum, quingenteſimum, nonageſimum tertium in his regnis Legatus abolendum eſſe cenſuerit Ordinem; cujus morbum omni medicina ſuperiorem eſſe, tentata ſæpiùs irrito conamine reformatio docuiſſet, idque Clementi VIII. Pontifici Maximo ſuadere conatus ſit. Abhorruit à ferro prudentiſſimus Pontifex, præſtare dicens, alia quæcunque remedia periclitari, quàm Ordinem tot & tantis de univerſa Eccleſia meritis nobilitatum cum imis ſtirpibus evellere ac exſcindere.

Atque his ferè coloribus depingunt quidam etiam è noſtris Ordinis Benedictini in Francia ſtatum labente ſæculo decimo ſexto, tametſi non immeritò de illa morum infectione adeò generatim & univerſè adſerta, nonnihil dubitari poſſit: niſi merè rhetoricatum fuiſſe velimus Gabrielem Bucelinum, dum de Congregatione Caſalis Benedicti ſic ſcribit: * *Ne quid Hiſpaniæ, ne quid Italiæ cedere videretur fertiliſſimum, tot ſanctiſſimorum per Eccleſiam,*

* In Benedicto Redivivo ad an. 1502.

am univerſam Inſtitutorum & Ordinum, atque innumerabilium utriusque ſexûs ſanctorum genitrix Galliarum regnum, ipſum quoque Benedicti-ni inextincti ſervoris flammas in ſublime exſuſcitat, gratioſiſſimo quamprimum ſplendore, latè omnibus colluceſcentibus. Inſtituta primùm hoc anno (milleſimo, quingenteſimo ſecundo) *à Guilielmo Alabatio Abbate S. Petri Caſalis Benedicti, Diœceſeos Bituricenſis, inſigni per Gallias Ordinis noſtri Reformatione, quæ ante pauculos annos optimis cœpta initijs, aſpirante cœptis Numine, nunc latiùs propagata, paulò poſt feliciſſimis crevit ſucceſſibus, adeò ut deinceps, magna ſedis Apoſtolicæ gratulatione à Leone X. nec minus minore applauſu Franciſci I. Galliarum Regis ſolemniſſimè & probaretur, & plurimùm commendaretur, dicta deinceps Congregatio Caſalina: admirabili Divini Numinis providentia & diſpoſitione, ut cùm Orbem quotidie in deteriora raperet Cacodæmon, è contra Deus varia paſſim luminaria diſcutiendis tenebris ſuſcitaret,*

&

& ſuaviſſimo modo quoſcunque bonæ voluntatis ad ſe raperet, & à præcipitio ſcelerum præſervaret. Fuit ad Congregationem hanc magnus quamprimum confluxus, vocantemque Deum viri opibus & gloria florentes, eoſque inter eruditione celeberrimi, non ſine ſumma multorum admiratione conſecuti, divitias antea ſummo quæſitas ſtudio & labore, paupertate voluntaria, delicias, mundique illecebras rigore Monachico, litterarum profanarum & ſcientiæ inflantis ſtudium ſimplicitate ſancta, & ſui contemptu religioſiſſimo permutarunt: quos inter Guido Juvenalis, Joannes & Carolus Fernandi, ſingulari eruditione clariſſimi, & Litterarum celebres in Archi-Univerſitate Pariſienſi Profeſſores, ad Caſale illud, Regum Palatijs illuſtrius, mira Inſtituti illius rapti honeſtate, & ſanctitate, certatim convolarunt. Hæc Bucelinus de Congregatione Caſalina, quæ uſque ad San-Maurianæ initia duravit. Tum iſta ſubdit de Congregatione Francica Sagienſi: *Efferbuit hoc ipſo tempore in eodem ampliſſimo Galliarum*

liarum Regno (ut promiſſimam in vota Magni Benedicti, ſuique conſervationem Ordinis, Dei manum agnoſcat) & mirificè exarſit, plurima longè lateque Cænobia calentiſſimo vitæ Monachicæ exemplo exſuſcitans Congregatio noſtra Sagienſis, de qua memoratus nunc primùm Carolus Fernandus in Libro ſuo Parænetico de obſervatione Regulæ Benedictinæ, ad cujus reformationis Monachos opus idem ſcripſit; quæ quidem ut ex eisdem apparet ſcriptis, magnæ omnino fuiſſe obſervantiæ, & abſtinentiæ, comprobatur. Ut mirum planè ſit, invaleſcentibus per orbem hæreſibus & ſceleribus, ipſo quoque Atheiſmo, vetuſtiſſimum tamen Ordinem, nunquam non novos, ut deinceps videbimus, ſurculos germinâſſe, & Aquilæ juventute ſæculis ſingulis, imò ſingulis, ſi non annis, annorum certè decadibus, & ſingulis Olympiadibus renovatum.

Porrò, quæ de Congregatione Britanniæ minoris ſub ſæculi ejuſdem finem exorta idem Auctor tradit, infra exhibebimus. Quibus omnibus etiam miſ-

miſſis, âc ſepoſitîs, ecquis, qui ad tam celeria Congregationis San-Maurianæ incrementa, tantamque Monaſteriorum Francicorum huic reformationi colla ſubmittentium vim, poſt paulo referendam, attendet, adeò animum facilè inducet, ut communem illam, ac veluti generalem monaſticorum in Francia morum corruptelam credat? Sanè morbum, qui univerſum corpus pridem pervaſit, inſedítque, tam brevi tempore inde non exigas; multò difficiliùs cura tam celeri Monaſteria, quæ & numero ampliſſima, & inveterata vitiorum conſuetudine, ac ſimilitudine veluti conſpirârint, perſanes. Cæterùm Benedictinæ Regulæ vigorem in multis Franciæ cœnobijs, alijsque Religioſorum domicilijs monaſticæ diſciplinæ florem vehementer fuiſſe tam imminutum, atque adeò ſeria Reformatione Monaſticen indiguiſſe, facilè crediderim. Quid enim ſacri ea tempeſtate in Francia fuit, quod hæreticorum Calvinianorum furore afflatum, disjectum, aut ſaltem concuſſum non ſit? Everſa integra Cœnobia, vi abſtracta prædia, expi-

expilata ſacrilegè templa, & monachorum ſacraria, effracta clauſtra, excruciati mortales, exuſta Divorum Lipſana, aliaque id genus mala propè innumera in Franciam importata, inter quæ ſalvam & incolumem perduràſſe veterem illam, ac florentem monaſticam diſciplinam portento par fuerit. Sed hæc quali ſe cunque modo alibi habuerint, in ſancti Vitoni monaſterio res eo loco fuiſſe, quem ſupra miſerati retulilimus, ex ijs, quæ mox memorabimus, planum fiet.

Fluctuante, & cœlum precibus fatigante Deſiderio, Anſelinus ſancti Vitoni Prior, ſenio gravatus, de abdicando magiſtratu cogitavit. Itaque in frequenti monachorum cœtu, eos hortatus eſt, ut in ſui locum vel Domnum Deſiderium à Curia, vel Domnum Claudium Le Francois Monaſterij Procuratorem ſubrogarent. Conſilijs inter ſe communicatis Deſiderio ſuffragantur Cœnobitæ, idque in ſpeciem duntaxat; ſententia quidem animi ab eo vehementer abhorrebant. Nempe nihil certius habebant, fingebant-

An. Chriſti. que, quàm Deſiderium, virum ex demiſſione animi, modeſtiaque ac temperantia factum, eum honorem detrectaturum. Aſt dolô, quo iſthæc omnia faciebant, ipſi ſe monachi fefellêre. Etſi enim Deſiderius id muneris primùm renuerit, poſtea tamen cohortantibus, & cunctanti animo religionem inijcientibus probis Viris, ipſo ad ultimum Virdunenſi Epiſcopo, Errico à Lotharingia jubente, onus ſubijt, & capeſſivit invitus. Is fuit annus Domini milleſimus, quingenteſimus, nonageſimus ſextus.

1596. Ibi primum omnium ſuarum partium eſſe duxit, nullum lapidem immotum relinquere, quò pridem animo conceptum corrigendi Cœnobij ſui propoſitum, effectum daret. Ea propter ad Epiſcopum ſæpius ſe conferre, rogare, hortari, conſulere, ut Abbatis nomine & munere impleto, laboranti Priori auxilij copiam præberet. Addixit ille quidem; ſed ubi ſervandam *ad litteram* ſancti Benedicti Regulam, evulſiſque veteribus ſtirpibus novellas plantas, ſeverioris ſcilicet diſciplinæ patien-

tientiores, ſupponendas eſſe, ex Priore intellexit, abnuit Epiſcopus, ſatis fore arbitratus, ſi vitæ genus honeſtum quidem, moderatum tamen, & ad monachorũ ingenia, qualia tunc erant, accõmodatum, apud ſanctum Vitonum inſtitueretur. Sed nec eò adduci ulla arte potuerunt indociliores monachorum animi. Cùmque biennij ſpatio nihil ſani ex ijs exſculpere potuiſſet Deſiderius, Epiſcopum rurſus convenit, pluribus verbis oſtendens, inolito, nec lenioribus remedijs curando malo efficatioribus obviandum eſſe. Sin id nollet, ſe Prioratu abiturum.

CAPUT III.

Patris Torontij Soc. Jeſ. irriti in emendandis San-Vitonenſibus conatus & confidentia. Horum pervicacioribus ejectis, Deſiderius novos tyrones ſubſtituit. Superatis maximis difficultatibus, reformationem infirmis & tenuibus, at felicibus initiis orditur. Reformatio Medij-Monaſterij per Domnum Claudium Le Francois, &

& jacta inde Congregationis SS. Hidulfi & Vitoni ſundamenta.

QUo die ferventiùs Benedictinæ Regulæ cauſam apud Epiſcopum Virdunenſem egerat Deſiderius, commodùm ibi aderant duo Societatis JEſu Patres, quorum alteri * Torontius, alteri ** Turritanus nomen erat. Torontius audita Deſiderij declamatione, ac deploratione, vehementer ſe mirari ajebat, tantam bonis illis monachis contumaciam adſignari. Sibi omnes in cute notos eſſe. Illorum pleroſque Marianæ ſuæ Congregationis albo inſertos, ſodalium leges nec nunc aſpernari: qui omnes, ſi ſibi aut ſinguli, aut bini & bini, exercitijs, ùt vocant, ſpiritualibus, duce ſe, vacaturi traderentur, intra ſenas hebdomadas in poteſtate Deſiderij haud dubiè futuri ſint. Immò, repoſuit Deſiderius, ſingulos & univerſos ad ipſum annum tibi habeto, Toronti. Age, commentare, ſuade, pugna, ſuſcipe, quidquid lubet: en ſumptus in eam rem quo-

* Toronce, ** De la Tour.

quotidianos! ſed hei, quàm vereor, ut vel unum in tuam meamque ſententiam adducas! Et verò Torontij confidentiam retudit infauſtus exitus. Omnes ſiquidem ſacris illis commentationibus diu fatigatos potiùs quàm ad meliora traductos, poſtremò ad ſua remittere coactus eſt. An. Chriſti.

Redeundum itaque ad prima conſilia fuit, fatentibus cum Epiſcopo Jeſuitis, ipſo rerum uſu edoctis, nihil æqui rective à veteranis illis monachis ſperandum eſſe: denique nihil ſupereſſe aliud, quò ſpes redintegrandæ diſciplinæ porrigatur, quàm noviter conſcribendos, ùt Deſiderius dudum voluit, tyrones, quos ad flexum faciliores ipſa ætas nondum provecta redderet. Ne verò deſtinatam animo, jamque decretam reformationem fruſtrarentur veterani illi, litteras à ſummo Pontifice impetravit Deſiderius anno milleſimo, quingenteſimo, nonageſimo octavo, 1598.
quibus munitus Epiſcopus ex obſtinatoribus, & in vitijs obfirmatioribus octo in Medium ſancti Hidulfi Monaſterium, cujus & Abbas erat, concluſit. Inte-

rim deligendorum optimæ ſpei adoleſcentulorum curam in ſeſe ſuſceperunt Patres Societatis JEſu, non ſine ùt quidem videbatur, præſenti Numine. Habito enim frequentiori de mundi ludibrijs, cœleſtisque vitæ gaudijs ſermone viginti quatuor Juvenibus monaſticæ vitæ deſiderium injectum fuit. Auditi, & benevolè excepti omnes, non ſine triumpho Deſiderij, qui ratus has copiolas eſſe, cum quibus olim *præliaretur bella Domini*, nulla ſat verba reperiebat, quibus Deo gratias ageret. Enimvero brevi admodum tempore in his lætitijs inceſſit vir ſanctus. Ex viginti enim quatuor, qui nomina primùm dederant, vix tres, quod ante cœperant, agere perrexerunt. Additus à Patribus Franciſcanis quartus, nec ipſe cœteris præſtantior. Nec tum tamen animo concidit Deſiderius, ſed firmiſſimè ſperans, ejus opem ſibi neutiquam defuturam, qui *vel ex lapidibus ſuſcitare poſſet filios Abrahæ*, quatuor illos, qualiſcunque farinæ candidatos admiſit, monaſtica veſte induendos.

Toto

Toto Tyrocinij tempore tentata eorum patientia fuit; nec uno modo, accedentibus ſcilicet ad inſuetam vitæ auſteritatem penè quotidianis veterum monachorum injuriis, & Urbis Magiſtratuum Reformationi adlatrantium, querelis, ipſa demum domeſticorum Monaſterij ſervorum protervia, & nequitia, qui Novitiis annonam ſæpè denegabant. Eôdem tempore priores illi monachi, ut carnibus veſci, & genio indulgere liberiùs poſſent, in privatas ædes ſubduxerunt ſe, non admodum propterea perturbato Deſiderio, qui deſertum âb iis commune cœnaculum ſollicitè mundavit, ac ſuo, ſuorúmque deinceps uſui attribuit. Id primum ei ſolatium fuit; ad quod è veſtigio alterum acceſſit ex inopinato adventu Domni Blaſij Wallierij, Prioris clauſtralis Monaſterij ſancti Agerici Virdunenſis, qui relicto munere, quod annis ſex ſupra triginta cum laude geſſerat, Deſiderio ſe adjunxit, ut novam cum eo vitam iniret, opem in poſterum efficaciſſimam ſudanti allaturus.

Sed quæ rerum humanarum viciſſi-

An. Chriſti. ciſſitudo eſt, ea Deſiderij gaudia novis poſt paulò doloribus æquata ſunt. Patres Societatis JEſu, qui Reformationi favere hactenus videbantur, pinguiſſimos duos San-Vitonenſis Monaſterij Prioratus clam interverterunt, eosque ad Collegia ſua, quæ Remis, & Virduni extant, transferri curarunt. Quin graviſſimum vulnus ea Jeſuitarum machinatione acceperit Deſiderius, eò minor dubio locus eſt, quo certiùs vir ſanctus futuram inde magnam ſui monaſterij egeſtatem proſpiciebat. Longè tamen acerbior eidem accidit diſceſſus Domni Claudij Le Francois, quem in ſuorum omnium & conſiliorum, & laborum communionem adhuc admiſerat. Is de læto Reformationis exitu diu deſperans, utpote quam quatuor duntaxat Novitiis, iíſque debilibus ac infirmis, atque adeò vel nullius, vel certè modicæ ſpei, innixam videret,
1600. Romam anno milleſimo, Sexcenteſimo profectus eſt, ut Caſinum inde peteret, ibidemque reliquos vitæ dies ſanctè traduceret. Maximum tamen, & quod ſine acerbiſſimo ſenſu eſſe non pote-

poterat, periculum imminebat ab orbitate Novitiorum, quorum duo cum ſancti Agerici Priore (tot undique tela dæmon conjecerat) veriti & ipſi, ne cœpta Reformatio brevì diſſilìret, ac evaneſceret, animum deſpondentes, ad ſua reverti conſtituerant ea ipſa die, quâ emenſo probationis anno, ſolemnia ſecundùm inſtauratam D. Benedicti Regulam vota erant nuncupaturi. Et ea quidem tempeſtas univerſum Reformationis negotium ſine dubio diſſipâſſet, niſi miro eventu interceſſiſſet Numen. Igitur illuceſcente die, qua hora meditabantur abitum Novitij, adeſt Epiſcopus Virdunenſis, quatuor Ordinis Benedictini Abbatibus, numeroſaque virorum illuſtriſſimorum comitatu ſtipatus, quos ad Sanctum Vitonum ſpectaculi novitas attrahebat. Ibi Juvenes verecundia, & tantorum ſpectatorum & hoſpitum reverentia impediti, primùm hærere, deinde conſilij exſecutionem erubeſcere, ad extremum quoquô modô & animo perſeverare. Sicque pudor coërcuit, quos ſeverioris vitæ amor intra ſanctiſſimæ Regulæ

limites coërcere nequivit, hoſtias utique non undequaque puras, *ſanctificandas tamen in die occiſionis*, ſupplente interim Deo, tanti Operis autore, quod deerat. Eo die princeps in templo Sacrum fecit Deſiderius, eôque ad dimidium perductô, ſua primùm vota in præſentis Epiſcopi manus renovavit, deinde ſuorum ipſe accepit. Ita Reformationis jacta fundamenta ſunt, ſic celebrata initia, exigua illa quidem, & infirma, ſed quibus tantum mox incrementum dedit Deus, ut novella germina pauco poſt tempore non totam modò Lotharingiam, ſed univerſam ferè, quà latè patet, Franciam complexa ſint.

Rerum famâ Romam perlatâ, maximis itineribus Virdunum rediit, revolavitque Domnus Claudius Le Francois, ſecum adducens Domnum Jacobum Pichardum, & Domnum Petrum du Loir, Carmelienſes in Nortmannia monachos, quos in Urbe repererat. Eos tantò arctiori complexu recepit Deſiderius, quantò rei benè gerendæ opportuniores advenerant.

Nam-

Namque tum primum, innuente Vir- An.Chriſti
dunenſi Epiſcopo, de reſtituenda etiam in Medio Sancti Hidulfi Monaſterio regulari obſervantia cogitavit. Igitur illuc miſſus Domnus Claudius, attributis aliis ſeptem Sodalibûs, moderatione & patientia ſingulari eò rem demum perduxit; ut Monaſteria S. Vitoni, & Medium Sancti Hidulfi non minùs imitatione, ac ſimilitudine morum, quàm profeſſione Regulæ conjuncta eſſe viderentur. Quæ Societas, & animorum conſenſio longè maximum robur à Clementis VIII. litteris, Septimo Idus Aprilis an. milleſimo, ſexcenteſimo quarto 1604.
datis, accepit, quibus iſthæc duo Monaſteria, ne ullo unquam tempore à ſe divelli, diſtrahive poſſent, in unum Congregationis corpus redacta, & conglutinata ſunt. Atque hac ratione patefacta ad condendam novam Congregationem, poſtea ſub nomine SS. Hidulfi, & Vitoni celebrem, via eſt.

CA-

CAPUT IV.

Primum Congregationis SS. Hidulfi, & Vitoni Capitulum Generale, in quo Deſiderius Præſes creatus. Pauli V. P. M. erga illam ſtudia, & privilegia. Ritus & Habitus Congregationis Caſinenſis recepti. Monaſterij S. Michaëlis ad Moſam, indeque plurium in Francia & Belgio Cænobiorum reformatio. Congregationum S. Placidi in Belgio, & Cluniacenſis ſtrictioris obſervantiæ initia. Occaſio, & neceſſitas condendæ novæ Congregationis S. Mauri, à Ludovico XIII. Francorum Rege permiſſæ, & à Gregorio XV. ac Urbano VIII. PP. MM. approbatæ, ampliſque privilegiis ornatæ.

EOdem anno, Chriſti nimirum milleſimo ſexcenteſimo quarto, Generalibus apud ſanctum Vitonum Comitijs habitis, primus creatus eſt Congregationis *Præſes* Domnus Deſiderius à Curia, ejusdem loci Prior, Domnus Claudius Le Francois *Viſitator*, &Dom-

nus

nus Roſetus Medij Monaſterij Prior. An. Chriſti.
Inde, ut proclivior eſſet novæ Congregationis, ac reformationis ad alia cœnobia propagatio, ſtatim Romam miſſus eſt Domnus Roſetus, ut novas à Paulo V. qui ſub idem tempus Clementi VIII. poſt Leonem XI. in Pontificatu ſucceſſerat, Litteras obtineret. Obtinuit eas pro votis, quibus ſancitum erat, ut novæ Congregationis Moderatoribus idem omnino jus eſſet, quod Abbatibus, ſuperioribusque Congregationis ſanctæ Juſtinæ de Padua, ſeu Caſinenſis. Eæ Litteræ ſignatæ ſunt Romæ Decimo Calendas Auguſti anno milleſimo, ſexcenteſimo, quinto. 1605.
Roma Caſinum profectus eſt Roſetus, ut hujus Congregationis, quæ àb anno milleſimo, quadringenteſimo, vigeſimo ad hanc ætatem egregiè floruit, inſtituta penitùs diſceret, eaque ex fonte hauſta in ſuam derivaret. Quocirca ſegnis non fuit, ſed, ùt erat vir prudens, & in animorum commoda intentus, Caſinenſium monachorum conſuetudines, ritus, legesque oculis, aliquamdiu etiam uſu ſibi familiares reddidit,

didit, ſicque imbibit, ut pauca admodum adeò ambigua & perplexa poſtmodum evenerint, quæ Roſeti conſilijs tolli nequiverint, aut explicari. Veſtes monaſticas, quales monachi nondum reformati deferebant, & ipſi reformati ad id tempus retinuerant, ſola interulâ linea in laneam mutatâ. Verùm aucto dein ſuorum cœtu, veſtium genus ad Caſinenſium normam & modum accommodare decreverunt.

Dum in Italia morabatur Roſetus, Carolus à Lotharingia Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis tota Lotharingia Legatus, Virdunenſem Sancti Vitoni reformationem, ceu delapſam de cœlo occaſionem arripuit, eandem in alia quoque Provinciæ ſuæ cœnobia, ut dudum cupierat, introducendi. Id ut auſpicatò aggrederetur Carolus, à Paulo V. litteras petijt, quarum autoritate adverſus obluctaturos ſe propè tueretur. Aſſenſit illico Paulus, Legatique conſilia ſibi vehementer probari reſcripſit. Has Litteras Quinto Calendas Octobris anno milleſimo, ſexcenteſimo, quinto exaratas ſecum retulit

Ro-

Roſetus ex Italia redux cum Domno Laurentio Lucalbertio, Decano Caſinenſi, quem Pontifex Virdunum mittebat, ut novam Congregationem Lotharingicam Caſinenſi conformaret. Acceptis litteris Carolus nihil morandum ratus, in Monaſterio ſancti Michaëlis ad Moſam, cui Abbatis nomine præerat, ad elidendas pravarum conſuetudinum ſtirpes ſe mox convertit, ac ſancti Benedicti diſciplinam propè intermortuam excitavit, tam felici exemplo, ut id ſecuta intra paucos annos alia ad octo & triginta monaſteria, Virdunenſe inſtitutum amplexa ſint. Fuit exinde ſancti Michaëlis Aſceterium veluti ſeminarium, & ſchola quædam, ex qua educti Reſtauratores celebris Monaſterij ſancti Huberti in Arduena, ſancti Dionyſij in Hannonia, & aliorum in Belgio Cœnobiorum, quæ poſthinc in unam ſancti Placidi Congregationem coiverunt. Indidem ad ſuum, quod Pariſijs eſt, Cluniacenſe Collegium quoſdam adduxit Domnus Laurentius Bénard, Collegij Prior, vir ſingulari pietate præditus, qui San-Vitonenſem diſci-

diſciplinam ab ijs acceptam, poſtea in diverſa Ordinis Cluniacenſis Monaſteria invexit, ſicque Autor fuit Congregationis quam vocant *Scrictioris obſervantiæ Cluniacenſis.* Sed hæc hactenus. Jam ad Congregationem ſancti Mauri propiùs accedendum.

Cûm novæ reformationis rumor jam omni Francia increbuiſſet, plures Cœnobitæ, quos vitæ à Benedictina procul diſſitæ ſuppudebat, vel in Lotharingiam convolabant, ut ad Deſiderij normam vitam emendarent, vel intra monaſteriorum ſuorum clauſtra eandem videre, ac ſaltem delibare cupiebant. Quorum votis ut faceret ſatis Deſiderius, de obtinendo Diplomate Regio, quo liceret monachos è Lotharingia in Franciæ Monaſteria emittere, quæcunque reformationis deſiderium inceſſeret, ſollicitus fuit. Re ad Ludovicum XIII. Franciæ Regem delata, illud pij Viri precibus clementer indulſit, deditque Idibus Septembris anno milleſimo, ſexcenteſimo, decimo. Primus omnium è Francis Deſiderij alumnos ad ſuum monaſterium advocavit

Do-

Dominus Johannes Regnaudus, Abbas An. Chriſti.
Regularis Sancti Auguſtini Lemovicenſis. Cúmque pluſculum negotij in ſui monaſterij cauſa eſſe videret Regnaudus, eam apud ipſum Deſiderium, qui cum Pariſiis in Collegio Cluniacenſi degebat, adeo prudenter, diligenterque egit, ut demum res bene, ac ex utriusque ſententia ceciderit, curante inprimis Domno Laurentio Bénardo, Collegij Priore. Miſſi proinde Lemo-
vicas anno milleſimo, Sexcenteſimo, 1613.
decimo tertio Domnus Hubertus Roler Prior cum quatuor ſociis, quorum curis ac laboribus, propemodum immenſis, domus penè ſubverſa, reditibusque ſpoliata, brevî refloruit. Triennio poſt, agente eodem Domno Bénardo, San-Vitonenſis reformatio in Nobiliacenſe ſancti Juniani propè Pictavos Monaſterium inducta eſt; quam etiam præter alia Franciæ Cœnobia ſancti Faronis Meldenſe anno milleſimo
ſexcenteſimo, decimo quinto admiſit. 1615.

Jam in quinque Cœnobijs monaſtica diſciplina ſecundum San-Vitonenſes leges erecta fuerat, eamque plu-

An. Chriſti. ra quotidie ambiverant, cùm Lotharingiæ Patres non opus modò, ſed & neceſſe eſſe deprehenderunt, novam in Francia, ijsdem tamen legibus viventem, inſtituere Congregationem, quæ à ſuis, & ſibi proprijs Superioribus regeretur. Id ni jam nunc fieret, metuebant, ne idem olim faciendum foret non ſine periclitante Congregationis Lotharingicæ libertate. Neque enim paſſuros Franciæ Reges, ut à ſibi ſubjectis hominibus exterorum præceptis & imperijs ſerviatur; nec etiam, ſi paſſuri ſint, exorto Francos inter & Lotharingos bello, ùt fieri aſſolebat, perſtare poſſe neceſſarium inter utramque gentem commercium, ac commeatum. Conſilijs ea ſuper re diu multúmque agitatis in Comitijs Generalibus apud Tullenſe ſancti Manſueti Mo-

1618. naſterium anno milleſimo, ſexcenteſimo, decimo octavo geſtis, in eam ſententiam ab omnibus Patribus itum, ac definitum eſt: ijs Franciæ Cœnobijs, quæ ſe in Patrum Lotharingorum mores hactenus formâſſent, aut formatura deinceps eſſent, copiam faciendam

eſſe

eſſe novam alterius, quod mallent, nominis Congregationem condendi, quæ quidem ijsdem legibus utatur, ſuis tamen ac proprijs Superioribus obtemperet, ſervata nihilominus inter utrámque Congregationem ſpirituali precum, ſuffragiorum, animorumque ſocietate. Hanc excitandæ novæ in Francia Benedictinæ Congregationis facultatem eodem anno Chriſtianiſſimus Rex *patentibus Litteris* roboravit, cautô tamen, primò, ne Congregatio alio, quàm Urbis cujusdam aut Monaſterij, intra fines Regni conſtructi, nomine inſigniretur; ſecundò, ne ultra Franciæ limites pateret; tertiò ne ejus Superior aut Præſes Generalis alius natione eſſet, quàm Francus. Ad quod diploma Regium etiam anno milleſimo, ſexcenteſimo, vigeſimo primo acceſſit approbatio Gregorij XV. P. M. qui voluit, ut novum hoc Benedictinum in Francia Sodalitium *Congregatio ſancti Mauri* diceretur. Anno milleſimo, ſexcenteſimo, vigeſimo ſeptimo Urbanus VIII. nova Bulla approbatam à Deceſſore ſuo ſancti Mauri Congregationem

An. Chriſti. 1621.

confirmavit, ampliſſimiſque privilegijs munivit: inprimis, *ut officia omnia Clauſtralia Monaſteriorum reformatorum menſæ Conventuali conjuncta manerent, nec deinceps à privatis monachis beneficij titulo obtinerentur. Deinde ut ejusdem Congregationis ſodales ad omnia Ordinis S. Benedicti poſſidenda beneficia habiles eſſent, ſic tamen, ut Conventus, non beneficij poſſeſſor, reditibus frueretur.* Pontificijs litteris additæ ſunt etiam pro more Francorum Regiæ, & utræque in Acta publica Senatuum omnium Regni relatæ.

CAPUT V.

Obitus Deſiderij à Curia. Præſides Congregationis S. Mauri Superiores Generales dicti. Congregationis inſtituta. Congregationum Caſalinæ, Britannicæ, & Cluniacenſis de ſtrictiori obſervantia ad San-Maurianam acceſſio. Quot in hac hodie Monaſteria.

Alte-

ALtero poſt comprobatam à Gregorio XV. P. M. San-Maurianam Congregationem anno, id eſt: Chriſti, milleſimo, ſexcenteſimo, vigeſimo tertio, Decimo octavo Calendas Decembris obijt Domnus Deſiderius à Curia * *Vir verè illuſtriſſimis, inter celebriorum totius provinciæ Superiorum manus, obſequia & lachrymas; quo ipſo die, hora circiter meridiana, ſplendidiſſima de cœlo fax pleriſque intuentibus, contra Eccleſiam ſancti Vitoni apparuit, facieſque viri lectiſſimi ita fulgida viſa eſt, ut effigies & imago vera gloriæ immortalis, qua tum anima ejus potiebatur, videretur; accerſitique qui depingerent, mirarentur, & ſimul angerentur, colore ſæpius mutato, formoſiorem ſemper vultum fieri & ſplendidiorem.* Quin ex Deſiderij morte graviſſimum dolorem hauſerit præter ſodalitium San-Vitonenſe Congregatio S. Mauri, dubitare non ſinit grata meritorum, & beneficiorum memoria, qua ſanctiſſimum ſuum Parentem & An. Chriſti. 1623.

d 3 con-

* G. Bucel. Bened, Rediv. ad hunc an.

conditorem proſequebatur. Aliunde ad eam nondum maturitatem pertigerat, ut prudentiſſimis Deſiderij conſilijs, auxilijsque non vehementer indigeret, maximè ad Generalium Comitiorum, & monaſticorum magiſtratuum conſtitutionem, cujus ratio Patribus Francis non ſatis expedita erat. Ipſis primordijs Congregatio San-Mauriana quot annis Capitula Generalia indicebat, Congregationem Sanctorum Hidulfi & Vitoni imitata. Ad prima etiam adeſſe rogati hujus Patres, qui celebrandi modum Francos edocerent, ita tamen; ut eâdem regiminis formâ ſe deinceps obſtrictos eſſe nollent. Itaque ad hujus exemplum Superior Generalis Congregationis ſancti Mauri dictus eſt *Præſidens* uſque ad annum milleſimum, ſexcenteſimum, trigeſimum, quo in Comitijs Generalibus ſancitum eſt, ut qui nuper Congregationis *Præſidens* audijſſet, in poſterum *Superior Generalis* vocaretur, munusque ſuum ad triennium obiret. Electus eo nomine Domnus Gregorius Tariſſe, novas in ſancti Benedicti Regulam Declarationes

tiones

tiones (*Inſtituta* ſunt Congregationis) An. Chriſti.
& *Conſtitutiones*, quibus forma Regiminis continetur, edidit, à Capitulis Generalibus añi milleſimi, ſexcenteſimi, quadrageſimi ſecundi, & milleſimi, ſexcenteſimi, quadrageſimi quinti probatas, & confirmatas.

Inter hac maximæ undique Monaſteriorum, & Francicam ſancti Mauri Congregationem acceſſiones factæ ſunt. Nec Monaſteria tantùm, ſed integræ etiam Monaſteriorum Congregationes ad eam ſeſe aggregarunt. Præter Congregationem enim Caſalis Benedicti, de qua nos ſupra, etiam Benedictina Congregatio Britanniæ Minoris, auctoritate Urbani VIII. in Comitijs Generalibus, 1628.
anno Domini milleſimo, ſexcenteſimo, vigeſimo octavo apud Monaſterium Sanctiſſimæ Trinitatis Vindocinenſe celebratis, ad illam tranſijt. Fuit illa Britannica Congregatio ſub initium ſæculi decimi ſeptimi non incelebris, cœpta â Natale Marte, Majoris propè Turones Monaſterij Monacho. * *Hic*, inquit Gabriel Bucelinus *Gal-*

* Loc. cit, ad an, 16.

lus natione, Aurelianenſis patriâ, à puerò litterarum adhibitus ſtudiis, in alma Pariſiorum urbe, in Divinis æquè atque humanis litteris excelluit, atque ibidem Gradum Licentiatus in Theologia accepit. Verùm inanitatem Mundi in tot conſiderans vanitatibus, ſolius Numinis ſervitio conſecrare ſe ſtatuit, & paulo poſt ad Majus ſe conferens Monaſterium, S. P. N. Benedicti complexus Regulam, reddere, quod voverat, firmiter propoſuit. Regulæ proin ejusdem non in Monaſterio ſolùm, ſed & extra, cùm Pariſiis in Collegio ejusdem Monaſterij reſideret, obſervantiſſimus, nihil quidquam ſine licentia Superioris dicti Collegij accipiebat, donec ad Monaſterium ſuum ſe reciperet. Sed cupiens Regulam ſanctiſſimi Patris ſui ad amuſſim obſervare, cum aliquot Monachis ejusdem Cœnobij, contulit ſe ad Prioratum ſancti Maglorij de Leonio in Minore Brittannia, ubi Societatis Britannicæ fundamenta jècit. Fuit Natalis auſterioris vitæ, carnem macerabat cilicio, quod bene totum ejus corpus tegebat.

Fuit

Fuit ſingularis patientiæ, diutiſſimè acerbiſſima iliorum tormina patientiſſimè ferens, quæ illum etiam à Miſſa celebranda, & Divino Officio, non prohibere poterant. Fuit Prior *Monaſterij de Troucheto in minore Britannia; cujus verba nihil, niſi Dei amorem ſonabant. Fuit inſignis Verbi Divini Præco, quo in munere, ut etiam in Confeſſionibus audiendis, multos è vitiorum ſentina eduxit. Obijt anno milleſimo, ſexcenteſimo undecimo ſatis juvenis, ætatis nimirum ſuæ, trigeſimo quinto, ſepultusque eſt in Eccleſia dicti Prioratûs ſancti Maglorij. Ad cujus tumulum multus ſit populi concurſus ob ſanitatum gratiam, quam DEUS eum invocantibus conferre ſolet. Ejus corpus poſt aliquot annos effoſſum integrum, & ſine ulla corruptione inventum eſt. Ita ut hoc etiam noviſſimo tempore, in hoc novæ Congregationis Inſtitutore, ſanctiſſimum Legislatorem noſtrum, in ſuis reſtituto, cui ipſe ſervierat ſpiritu, intueamur, in Natale autem Benedictus verè Redivivus comprobetur.* Atque hic eſt

ille Natalis Mars, cujus Congregatio Britannica ſodalitium ſancti Mauri egregiè auxit & cumulavit.

Non minùs novus hic cœtus ex favore ac ſtudio Armandi Richelij S. R. E. Cardinalis, & Abbatis Commendatarij Cluniacenſis profecit, quo jubente, Congregatio ſtrictioris obſervantiæ Cluniacenſis in San-Maurianam familiam ſeſe conjecit. Inde quoque factum, ut Congregatio ſancti Mauri aliquamdiu *Congregatio ſancti Benedicti, ſeu Cluniacenſis, & ſancti Mauri* adpellata fuerit. Verùm anno milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo, quarto ea conſortio & fœdus diſſolutum eſt propterea; quòd, cùm Abbas Cluniacenſis natus ſit, ac perpetuus Superior Generalis Ordinis Cluniacenſis, San-Mauriani veriti ſint, ne hôc môdo tandem aliquando in ſæcularis Abbatis auctoritate eſſe cogerentur. Et rectè ab ijs factum, eventus comprobavit. Id quod tamen non impedit, quò minus ampliſſimum Eminentiſſimi Richelij patrocinium gratiſſima memoria in hanc

hanc horam San-MaurianiSodales concelebrent. Immò eum eſſe, cui poſt Ludovicum XIII. Franciæ Regem, & Annam Auſtriacam Reginam ſua Congregatio, & vitam & florem præcipuè debent, non inviti conteſtantur.

A morte Richelij eadem Congregationis incrementa, ijdem Summorum Pontificum, Cardinalium, Francicorumque Regum, ac Ducum profuſi in eandem favores extitêre. Quin id maximè tempus fuit, quo jure optimo his â quopiam verbis inclyti illius Patres publicè laudari potuerunt: * *Vos tantæ demiſſionis æmuli Admodum RR. Patres, virtutum decora Clauſtrorum latebris & anguſtæ cellæ receſſu celare contenditis; verùm ex tenebris ſplendor veſter erumpit, ex ſilentio fama, ex ſeceſſu celebritas; dumque omnium oculos fugere nitimini, veſtras in laudes omnium ora ſolvuntur. Hinc meritò Gallia eos ſe filios, quos Deus Opt. Max. ad ſacrum Beatiſſimi Patris Benedicti Ordinem hoc noſtro ſæcu-*

* Epiſt. Nuncup, Inſtinuat. S. Gertrud, Pariſ. 1662.

ſæculo inſtaurandum delegerit, genuiſſe, & in ſuo ſinu enutrire gloriatur. Vos digniſſimos tam ardui operis miniſtros, legitimosque paterni ſpiritûs hæredes prædicat Italia, celebrat Hiſpania, ſuſpicit Anglia, colit & exoptat Germania. Accedit Chriſtianiſſimorum Regum amor ſingularis, & favor aſſiduus, quo Congregationem Veſtram naſcentem exceperunt, creſcentem vegetarunt, floreſcentem foverunt, & jam mirifice propagatam communiunt. Sed habet meritorum veſtrorum ingens gloria illud quo nullum eſſe poteſt ſecundùm Deum locupletius, Supremæ Sedis teſtimonium, & ſanctiſſima ſummorum Pontificum Oracula, qui certa virtutum veſtrarum famâ permoti, Congregationem veſtram Apoſtolica authoritate non modò inſtituerunt & confirmarunt, verùm etiam ampliſſimis privilegiis & gratiis auxerunt. Inſignis eſſet temeritatis, ne dicam dementiæ, poſt publica Romanæ Urbis & Orbis teſtimonia ulterius progredi. Hucusque Autor anni milleſimi, ſexcenteſimi, ſexageſimi ſecundi de ſummorum Ponti-

tificum, Regumque in San-Maurianam Congregationem ſtudijs & favoribus, qui adeò ſteriles non fuerunt, ut hodie centum, atque octaginta Abbatias & Prioratus ſuo ſinu comprehendat.

CAPUT VI.

Quinam præfuerint Congregationi Superiores Generales? Litterarum ſtudia hic florentiſſima, à Gregorio Tariſſe inſtituta. Incredibilis plauſus, quo edita à Patribus San-Maurianis opera in tota Europa ſemper excepta ſunt, &c.

QUis âb anno milleſimo, ſexcenteſimo, vigeſimo primo, qui Congregationi Sancti Mauri natalis fuit, uſque ad annum milleſimum, ſexcenteſimum trigeſimum, univerſæ illi reformatæ Reipublicæ præſederit, nobis incertum eſt. Qui-tamen-cunque ij fuerint, eos omnes obſcuravit inclytus ille, ac Reverendiſſimus Dominus Gregorius Tariſſe, qui non contentus ſapientiſſimis præceptionibus Congrega-

tionem

tionem ſuam firmâſſe, etiam altiùs, diutiùsque ſepulta optimarum Litterarum Studia inter ſuos excitavit, tanto cum ſucceſſu, ut totus terrarum Orbis in efferendis ad cœlum laudibus eorum operibus jamjam conſpirârit. Anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſexageſimo ſecundo * D. Joſephus Mege, ſeu quisquis eruditus vir ex Friderici Leonardi ore locutus eſt, ſic doctiſſimos homines celebravit: *Vos religioſas virtutes, quibus excolendis ſedulò incumbitis, cum ſcientiis & artibus jucundo, feliciqne commercio, ac fœdere ſociatis. Ubi enim Philoſophiæ & Theologiæ ſtudia vigent acriùs, quàm veſtris in ſcholis? ubi linguæ ſanctæ uſus frequentior? ubi in ſacris litteris exercitatio familiarior? Teſtes tot inſignes Theologi, Verbi Divini Præcones eximij; Philoſophiæ, linguarum, & Artium Duces, ac Profeſſores egregij, qui jam ex his Sapientiæ officinis ad Congregationis Veſtræ, atque adeò ad totius Regni commodum, decusque prodierunt. Nec enim ſe clauſtro-*

* Loc. Cit.

ſtrorum parietibus Sapientia Veſtra concludit. Ædificavit illa domos, pietatis juxta & Liberalium Artium Sacraria, iu quibus Adoleſcentum animos, quaſi teneriores plantas virtutum ſucco imbuit, & candidata nobiliſſimæ pubis examina optimis erudit diſciplinis. Quæ laudes etſi tum veræ, miniméque ad aures, & palpum factæ fuerint, noſtris tamen temporibus, quibus Benedictinorum è Congregatione Sancti Mauri Operibus potiſſimùm celebriora præla fatigantur, & primarij Europæarum Bibliothecarum plutei ſuperbiunt, vix minimam eorum in Rempublicam Litterariam meritorum partem exæquant.

Quis Calvinianorum, & Lutheranorum de Lucubrationibus Monachorum ex eadem Congregatione ſenſus ſit, ſingulæ illorum propè paginæ palam faciunt. * *Monachi*, inquiunt, *Benedictini Congregationis ſancti Mauri, homines* ſunt *ad juvandas has Litteras magno Reipublicæ Eccleſiaſticæ bono nati. Monachi doctiſſimi, eruditisſimi. Quan-*

* Guil, Cave, hiſt, Litt. p. 191. edit. Genev. 1705

** Quanto autem cum fructu Chriſtiani Orbis nobiliſſimum hoc conſortium coaluerit, præter alia pietatis atque eruditionis documenta teſtari queunt tot Patrum Eccleſiæ ut & Hiſtoricorum Opera, ab ejusdem alumnis immortali cum literatorum adplauſu hactenus detecta atque luci expoſita. Nemo ** non laudavit induſtriam, ac eruditionem Monachorum Benedictinorum è Congregatione Sancti Mauri, qui in Gallia egregias editiones Patrum aliquot Latinorum & Græcorum emiſerunt; nemo non optavit, eos pulcherrimo inſtituto pergere Bibliothecas noſtris ditare. *** Ordo Sancti Benedicti doctiſſimis in Eccleſia Ordinibus jure nunc accenſetur.* Ita Heterodoxi de monachorum San-Maurianorum ſtudiis publicè loquuntur, & ſcribunt. Infinitus certè ſit, qui omnes ex illis locos congerat, quibus ampliſſima noſtris præconia deferunt. Quò minùs etiam mirandum eſt,

* Act. Erud. Lipſ. 1707. p. 204. &c.

** Ead. apud Placcium in Pleud. p. 118. ex PP. Hieron. Jo. Clerici.

*** Bücher Saal. part. XVI.

eſt, ſi eruditiſſimi, ampliſſimíque Italiæ, & Franciæ Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Cardinales; immò Sanctiſſimi Romani Pontifices Urbanus VIII. Alexander VII. Clemens IX. Clemens X. Innocentius XI. Alexander VIII. Innocentius XII. doctiſſimorum virorum opera tam largo ſinu dignati ſunt. Quid quod ſapientiſſimus nunc Eccleſiæ Arbiter Clemens XI. * ad Congregationis Superiorem Generalem ſemel atque iterum litteras dederit, quibus Benedictinorum *in recenſendis ſanctorum Eccleſiæ Patrum Operibus inſtitutum laudavit, & approbavit?* Denium, ut cum erudito, & à partium ſtudio longè alieniſſimo ** Ludovico Du Pin paucis plurima complectamur, *ſtudium laborque, quem Patres è Congregatione ſancti Mauri in reſtituendis veteribus Eccleſiæ Doctoribus hucusque poſuerunt, à nemine, niſi indocto, malevolove malè acceptus & reprehenſus eſt.*

* Oper. S. Greg. M. Epiſt. Nuncup.
** Biblioth. Eccl. T. 18. p. 223.

Jam verò, quæ cauſa fuerit, quòd prudentiſſimi Congregationis moderatores eam præcipuè Litterarum, ac ſtudiorum partem ſuis delegerint, quæ in illuſtrandis ſanctorum Eccleſiæ Patrum monumentis, in eruendis, & vindicandis ex umbra & oblivione Antiquitatum Eccleſiaſticarum reliquijs, in concinnandis, ac adſerendis ſanctorum Actis, in conſectandis linguæ Hebraicæ ac Græcæ fontibus, in evolvendis omnium ætatum codicibus manuſcriptis, alijsque affinibus argumentis verſatur, cauſam, inquam, hujusmodi ſtudiorum delectûs ſic nobis clariſſimi Operum ſancti Auguſtini editores ediſſerunt: * *Cùm primùm Congregationis noſtræ Præpoſiti fratres noſtros ad ſtudia litterarum applicare cenſuerunt, ea potiſſimùm ab eis delecta ſunt ſtudia, quæ plus utilitatis præ ſe ferrent, quàm oſtentationis, & quæ religioſæ ſolitudini & converſationi magis convenirent. In eo genere nihil aptius aut opportunius eis viſum eſt, quàm recognitio & editio nova ſanctorum Patrum, cùm Latinorum*

* Præf. Gener. Oper. S. Aug. T. XI.

rum, tum Græcorum, propterea, quòd & exercitatio ipſa per ſeſe maximè conduceret ad lectitanda, & meditanda eorum ſcripta, in quibus vera & ſincera Eccleſiæ doctrina ac pietas conſiſtit, & non pauca nobis adjumenta ſuppeterent ad id operis ſuſcipiendum & exſequendum. Atque ut quibusdam veluti gradibus ad hunc laborem, magis arduum certè ac difficilem, quàm ſplendidum, fratres noſtri idonei & parati ſenſim redderentur, à quibusdam veluti rudimentis initium ductum eſt, ſcilicet ab editione ſelectorum opuſculorum ſanctorum Patrum; deinde ab integris Scriptis aliorum, donec tandem ad Opera ſanctiſſimi Doctoris Auguſtini (Ambroſij, Gregorij, Hieronymi, Athanaſij, Hilarij, &c.) *ventum eſt, quibus emendandis & recognoſcendis ut operam impenderemus, multi Eccleſiæ Illuſtriſſimi Præſules, nec non etiam togæ principes viri auctores nobis, & inſtigatores fuêre.* Ex quibus verbis diſcimus, Congregationis Antiſtitibus præter oſtentationis fugam, modeſtiámque, quâ San-Mauria-

na omnia perſperſa ſunt, principem horum ſtudiorum cauſam extitiſſe veram, ac ſinceram Eccleſiæ Doctrinam, quæ relictis veterum ſanctorum Patrum Commentarijs, ac operibus comprehenditur. Quantum autem in utróq; promoverint, norunt eruditi & candidi omnes. Certè ad Benedictinorum San-Maurianorum fidei doctrinam, quod attinet, vel ex unis tot Romanorum Pontificum congratulationibus ſatis conſtat, quàm illa integra & illibata ſemper fuerit. Ergò, ut hæc perpetua eſſet, non ſolùm *in* * *Comitijs generalibus Conſtitutiones Summorum Pontificum Innocentij X. & Alexandri VII. adverſus famoſas illas quinque Janſenij Propoſitiones cum debita reverentia & ſubmiſſione exceperunt, ſtatueruntque, ut iisdem ab omnibus, & ſingulis, qui in cœtum ſuum admittendi eſſent, ſubſcriberetur* (id quod in Congregatione hodieque obtinet) ſed etiam ea ſtudia cæteris prætulerunt, quorum cultus & uſus à novis, perniculosiſque opinionibus quàm longiſſimè abducerent. Cæte-

* Ibid.

Cæterùm, quorum ſtudiorum inceptor fuit Gregorius Tariſſe, horum poſtea fautores, perfectoresque inſecuti Congregationis Generales extitêre. *Itaque, * cùm perfectos nondum Annales haberemus*, verba ſunt celeberrimi Mabillonij, *idque animadvertiſſent primarij Congregationis noſtri Præpoſiti, quibus res noſtri Ordinis in primis cordi erant; delectos è ſuis ſtudioſos fratres ad colligenda Benedictinæ hiſtoriæ monumenta deſignarunt; qui perluſtratis tum Galliæ, tum aliarum regionum bibliothecis, & archivis, copioſam inde litterariam ſupellectilem retulerunt. Hoc conſilium primus inijt reverendisſimus Pater Domnus Gregorius Tariſſe, Congregationis noſtræ Præpoſitus Generalis, idemque ſtudiorum apud nos præcipuus inſtitutor: cujus laudabile propoſitum perſecuti ſunt ejus ſucceſſores, reverendisſimi Patres Johannes Harel, Bernardus Audebert, Vincentius Marſolles, Benedictus Brachet, & Claudius Boiſtard, hodie* quo-

* Annal. Bened. T. 1. præf. n. 9.

quoque vivens gratias Deo, vigensque animo in provecta licet ætate: qui omnes bonarum, ſacrarúmque Litterarum ſtudia promovere ſtuduerunt, tum in recenſendis ſanctorum Patrum operibus, quorum lectionem ad inſtillandam, fovendamque pietatem in primis conducere perſuaſum habebant; tum in colligendis vetuſtis illis monumentis, quæ ad conſcribendam Benedictinam hiſtoriam neceſſaria & opportuna videbantur. Hæc Mabillonius de egregio in Litteras animo quinque priorum poſt Gregorium Tariſſe Generalium, quorum primus, Reverendiſſimus D. Johannes Harel anno milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo octavo, alter anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſexageſimo, tertius anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſeptuageſimo ſecundo, quartus anno milleſimo, ſexcenteſimo, octogeſimo primo, ultimus anno milleſimo, ſexcenteſimo, octogeſimo ſeptimo ſacrum magiſtratum adiјt: quæ tamen omnia optimo, ac ſummo jure de Reverendiſſimis quoque Dominis, Simone Bougis, ab anno milleſi-

leſimo, ſeptingenteſimo, ſecundo, & de Arnulfo à Loo, âb anno milleſimo ſeptingenteſimo, decimo tertio Superioribus Generalibus affirmanda ſunt. Nunc nobiliſſima ſancti Mauri Congregatio intuetur nutum Reverendiſſimi Domini Caroli Pettey de l' Hoſtallerie, cujus ſingulare in præclariores quaſque litteras amorem nullus in Francia ignorat, qui litteras novit. Sanè quiſquis poſteriorem noſtrum de Scriptoribus San-Maurianis libellum legere dignabitur, facile deprehendet, à Carolo ſic ſingulorum pietatem curari, ſic eruditos conatus foveri, provehi, deamaríque; ut omnium animorum fax, & calamorum eſſe anima videri poſſit. Hunc igitur immortalem Virum, ac Præſulem Tu Deus, quàm diutiſſimè incolumem, ac ſalvum velis, precamur. Inſtrue illius Succeſſorumque religioſiſſimum pectus cœleſtium auxiliorum copia, ut *Congregationem tuam, quam âb initio* elapſi ſæculi uſque ad hanc ætatem inter tot fluctus, & tempeſtates *poſſediſti,* quamque ceu *vine-*

vineam de Ægypto translatam inter Lilia *plantâſti*, Tibi Gloriæ, nobis exemplo, ſemper florentem, ſemper ſanctimoniæ, ac eruditionis laude fragrantem conſervent.

BIBLIOTHECÆ BENEDICTINO-MAURIANÆ

LIBER I.

Compleƈtitur Scriptores, qui ab exortu Congregationis S. MAURI úsque ad annum Domini MDCCXI. floruerunt, jámque diem ſuum obierunt.

Digitized by Google

Breviarium duorum Librorum de Vitis, & Scriptis Benedictinorum è celeberrima Congregatione Sancti Mauri in Francia.

Liber I.

Cap. I.

D. Nicolaus Hugo Menard.

Cap. II.

D. Ludovicus Thomas du Four.

Cap. III.

D. Johannes Firminus Rainſſant.

Cap. IV.

D. Claudius Chantelou.

Cap. V.

D. Johannes Robertus Quatremaires.

Cap. VI.

D. Ludovicus Gabriel Bugnot.

Cap. VII.

D. Simon Germanus Millet.

Cap. VIII.

D. Franciſcus Delſau.

Cap. IX.

D. Guillelmus Hugo Vaillant.

Cap. X.

D. Natalis Philibertus Jamet.

Cap. XI.

D. Johannes Bernardus Planchette.

Cap. XII.

D. Renatus Ambroſius Janvier.

Cap. XIII.

D. Franciſcus Anſelmus Thevart.

Cap. XIV.

D. Johannes Lucas D'Achery.

Cap. XV.

D. Ludovicus Gabriel Broſſe.

Cap. XVI.

D. Johannes Franciſcus Pommeraye.

Cap. XVII.

D. Jacobus Langelé.

Cap. XVIII.

D. Philippus Baſtide.

Cap. XIX.

D. Hieronymus Joachim Le Contat.

Cap. XX.

D. Antonius Joſephus Mege.

Cap.

Digitized by Google

Cap. XXI.
D. Ludovicus Bulteau.

Cap. XXII.
D. Jacobus du Friſche.

Cap. XXIII.
D. Chriſtophorus Tachon.

Cap. XXIV.
D. Jacobus Lopin.

Cap. XXV.
D. Julianus Gatianus Morillon.

Cap. XXVI.
D. Michaël Germain.

Cap. XXVII.
D. David Placidus Porcheron.

Cap. XXVIII.
D. Claudius Bretaigne.

Cap. XXIX.
D. Johannes Garet.

Cap. XXX.
D. Antonius Paulus Le Gallois.

Cap. XXXI.
D. Claudius Martin.

Cap. XXXII.
D. Ludovicus Seroux.

Cap. XXXIII.

D. Andreas Roze.

Cap. XXXIV.

D. Claudius Hugo Mothoud.

Cap. XXXV.

D. Johannes Mabillon.

Cap. XXXVI.

D. Antonius Beaugendre.

Cap. XXXVII.

D. Antonius Pouget.

Cap. XXXVIII.

D. Theodericus Ruinart.

Cap. XXXIX.

D. Thomas Blampin.

Cap. XL.

D. Gabriel Gerberon.

Cap. XLI.

D. Franciſcus Lamy.

Liber II.

Cap. I.

D. Simon Bougis.

Cap. II.

D. Robertus Guerard.

Cap. III.

D. Michaël Gourdin.

Cap. IV.

D. Leonardus de Maſſior.

Cap. V.

D. Claudius David.

Cap. VI.

D. Nicolaus le Norry.

Cap. VII.

D. Johannes Paulus du Sault.

Cap. VIII.

D. Johannes Martianay.

Cap. IX.

D. Dionyſius de Sainte-Marthe.

Cap. X.

D. Johannes Stephanus Badier.

Cap. XI.

D. Claudius Guenié.

Cap. XII.

D. Petrus Couſtant.

Cap. XIII.

D. Edmundus Martene.

Cap. XIV.

D. Guillelmus Beſſin.

Cap. XV.
D. Bernardus de Montfaucon.
Cap. XVI.
D. Guillelmus Rouſſel.
Cap. XVII.
D. Renatus Maſſuet.
Cap. XVIII.
D. Michaël Felibien.
Cap. XIX.
D. Guido Alexius Lobineau.
Cap. XX.
D. Julianus Garnier.
Cap. XXI.
D. Antonius Auguſtinus Touttée.
Cap. XXII.
D. Franciſcus Le Texier.
Cap. XXIII.
D. Prudentius Maran.

CAPUT I.

D. Nicolaus Hugo Menard.

Obijt 1644.

NIcolaus Hugo Menardus, Bleſis oriundus, Pariſijs año milleſimo, quingenteſimo, octogeſimo quinto, honeſtô locô natus, â puero pietati ſimul, ac bonis litteris operam navavit. Deinde de vita ſanctiùs, ac magis piè traducenda ſeriò cogitans, monachûm primùm induit in Regali S. Dionyſiij propé Pariſios Monaſterio tertio Nonas Februarij anno milleſimo, ſexcenteſimo octavo, Regulæque ſancti Benedicti ſolemniter ſe obſtrinxit quarto Idus Septembris anno milleſimo, ſexcenteſimo, duodecimo. Atque ut, quæ Deo pollicitus fuerat, faciliùs exſequeretur, annos jam natus novem & viginti ſeveriori ſe obſervantiæ addixit in Virdunenſi S. Vitoni Cœnobio Nonis Augu-

guſti anno milleſimo ſexcenteſimo decimo quarto. Inde Pariſios miſſus in Collegio Cluniacenſi Rhetoricam multis annis profeſſus eſt. Poſtea in Monaſterio S. Germani â Pratis reliquum vitæ egit, ad ſacra ſtudia, diſciplinamque regularem liberrimo in otio totus incumbens, Primus fuiſſe fertur, qui ſtudia Litterarum in Congregatione S. Mauri extulerit, eáque cum ſanctioris vitæ cultu conjungenda eſſe quà ſermone, quà exemplo docuerit. Temporis jacturam præprimis deflebat. Hinc receſsûs, & ſolitudinis amantiſſimus in paucis amicis acquieſcebat, ijsque ſelectis, quos inter principem locum obtinuit Jacobus Sirmondus è Societate JEſu Theologus, quô non alius fuit aut in litteras, aut in litteratos propenſior. Horum judicio, quidquid commentaretur, permittere ſolitus erat Vir ſummæ modeſtiæ, Memoriâ erat egregiâ, atque adeò tenaci, ut, quæ ſemel legerat, oblivіſceretur nunquam. Hôc modô Latinè, Græcè; ac Hebraicè doctus brevi tempore, facilique negotio evaſit. Nulla unquam Collectánea, aut adverſaria, quæ vocant, condidit; licèt pleraque Menardi Opera unis propemodum Notis,

& Obſervationibus conſtarent. Omnium nempe vices & locum ſupplebat memoria propè Divina, quæ rerum, verborùmque olim lectorum veſtigia, ſedes, paginásque in tempore fideliſſimè reddebat. Eô etiam factum, ut ſummus, de quo paulò ante, Sirmondus: Menardi memoriam moroſæ plurium librorum evolutioni præferret: dicere ſolitus, ſi quo ex veteribus loco ad explicanda certorum ſcriptorum dicta opus eſſet, multò præſentiorem ſibi opem, expeditioremque rem ab una Menardi ſui memoria, quàm à pluribus commentarijs fore. Denique cùm apud omnes non minùs modeſti, probi, ſingularique pietate præditi Cœnobitæ, quàm Viri Antiquitatis Eccleſiaſticæ peritiſſimi, Criticique ſolertiſſimi nomen indeptus eſſet, anno vitæ quinquageſimo nono, morte pene repentina, & quidem ex animi voto, correptus eſt decimo tertio Calendas Februarij anno Chriſti milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo quarto, cùm ex alvi doloribus paucis horis decubuiſſet.

Opera.

M*Artyrologium ſanctorum Ordinis S. Benedicti notis illuſtratum.* 8. *Pariſijs* 1629. De hoc opere retractando, & ſecundis curis edendo ſollicitus erat, quando eum oppreſſit mors. Dupin * hoc martyrologium eodem anno duobus voluminibus in folio editum fuiſſe memorat. Verùm de hac editione nihil adhuc aliunde reſcire potuimus.

Concordia Regularum, autore S. Benedicto Anianæ Abbate, nunc primùm edita ex Bibliotheca Floriacenſis Monaſterij, notisque & obſervationibus illuſtrata. 4. *Pariſijs.* 1683.

Sancti Gregorij Papæ I. Liber Sacramentorum cum notis, & obſervationibus. 4. *Pariſijs* 1642. Hæ notæ & obſervationes eruditiſſimæ recuſæ ſunt in nova Operum S. Gregorij Magni editione, â Benedictinis ê Congregatione S. Mauri anno 1705. publicata, Tomo tertio.

De unico Dionyſio Areopagita. Athenarum, & Pariſiorum Epiſcopo Diſſertatio, ſeu Diatriba, quam ſuppreſſo ſuo nomine

* Bibliothec. Nov. Tom. XVII. mihi pag. 226.

mine adverſus Johannis Launoi diſcuſſionem Milletianæ reſponſionis vulgavit. 8. *Pariſijs* 1644. ſecundum Dupin 1643.

Epiſtola S. Barnabæ Apoſtoli cum doctiſſimis notis. Opus poſthumum. 4. *Pariſijs* 1645. Notæ hæ iterum editæ ſunt in Operibus ſanctorum Patrum, qui temporibus Apoſtolicis floruerunt, volumine primo, *Antvverpiæ* 1700. *fol.*

CAPUT II.

D. Ludovicus Thomas du Four.

Ob. 1647.

LUdovicus Thomas du Four vitam adijt Fiſcanni in Diœceſi Rotomagenſi anno milleſimo, ſexcenteſimo, decimo tertio. Is anno ætatis ſeptimo decimo Linguam Hebraicam, quam nemine tradente comprehenderat, alios docuit, ſelectásque ex univerſa Philoſophia poſitiones eodem idiomate conſcripſit, & adverſus opponentes cum laude, ac admiratione omnium publicè propugnandas ſuſcepit. In Theologicis auditor fuit Iſamberti, Viri ea ætate longè celeberrimi, qui ſingulari do-

ctiſſimi adoleſcentis ingenio captus, nunquam non honorificè de eo ſentiebat, atque apud alios loquebatur. Interim Ludovicus decurſo optimarum Artium, ac diſciplinarum ſtadio Ordinem Carthuſianorum ingredi ſtatuit; jamque Monaſterium Montis Renaldi, propè Noviodunum, ut ſacra veſte donaretur, acceſſerat, cùm Medici, eum ex pulmonibus laborare reperêre: Itaque re infecta in patriam redijt, ubi biennij ſpatio ſuam in omnes benevolentiam, amoremque patefecit. Denique cùm ampliùs eum inter & mundum nequaquam conveniret, ad Benedictinam, S. Mauri Congregationem tranſijt, ſolemnique votorum nuncupatione ſe Deo dicavit in Gemmeticenſi S. Petri Monaſterio quarto Idus Auguſti anno milleſimo, ſexcenteſimo, trigeſimo ſeptimo. Exinde omnigenarum virtutum, Religioſæque perfectionis cura illi longè antiquiſſima fuit. Reliquum boni otij perveſtigandis Divinarum Scripturarum myſterijs, altiúsque rimandis linguarum, quibus quique ſacri libri primùm conditi fuêre, fontibus, modis, & receſſibus dedit, Sodalésque ſuos, ut ſe ſeque-

querentur, perpetuò adhottatus eſt. Sub idem tempus, cùm Galliæ Theologi de repurgandis Biblijs polyglottis cogitarent, nemo ad graviſſimas eas ſuſcipiendas, implendasque partes accom̃odatior judicatus eſt noſtro Ludovico Thoma du Four. Aſt delatam provinciam deprecatus eſt Vir Hebraicè doctiſſimus, primùm per cauſam ſuæ imperitiæ, deinde multitudinis exemplorum, nuper excuſorum, atque adeò detrimenti, quod illorum poſſeſſores ex nova editione accepturi eſſent, poſtremò quòd tot priorum editionum errata ſine magnorum virorum, qui illas curârunt, dedecore âb ſe notari non poſſe proſpiceret. Dum ei apud amicos de ſuis ſtudijs ùt fit, verba facienda erant, dicere conſueverat: ad me, quod attinet, non niſi
„ unus unicus locus eſt, qui me exercitum
„ habet, quemque ut penitùs intelligam,
„ ſolus Deus tum faciet, cum æterno
„ mentem meam lumine colluſtrabit; Id
„ dum fiat, nihil ſcire aliud cupio, niſi
„ JEſum Chriſtum, & hunc Crucifixum.
„ Ecquid enim perfecta & conſummata
„ ſcientia rerum ad me, quem ingenii tar-
„ ditas âb eo faſtigio jam dudum arcet?

„ Sed ſint quidem hæc ita ; ſpero tamen „ fore, ut abſterſa horum temporum caligine âb indulgentiſſimo Numine ad legendum & intelligendum Librum Vitæ „ ter felix in ævum admittar. Ita Ludovicus apud amicos philoſophabatur. Defunctus eſt in Monaſterio Gemmeticenſi, cùm in enarrandis his Pſalmi noni verbis : *Sperent in te, qui noverunt nomen tuum*, verſaretur, id eſt : anno ſalutis milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo ſeptimo Calendis, ſecundùm alios, quarto Nonas Februarij, octava hora ſerotina poſt agonem octo dierum. Vir fuit Hebraicæ linguæ peritiſſimus, integerrimi animi, rigidæ auſteritatis in ſeipſum, magnæ pietatis in omnes.

Opera.

L*inguæ Hebraicæ opus Grammaticum*, copia, brevitate, ac methodo abſolutum. 8. Pariſiis 1642.

Fertur præterea etiam alia quædam poſt ſe reliquiſſe, inter quæ ſint ſequentia :

Paraphraſis in Canticum Canticorum.

rum. Teſtamentum ſpirituale pro comparatione ad mortem.

Specimem Commentarii in Pſalmos, quos majorum juſſu aggreſſus eſt interpretari. Verùm hæc nec à ſat firmæ fidei Autore Ludovico tribuuntur, nec unquam typis expreſſa fuiſſe exiſtimo.

CAPUT III.

D. Joannes Firminus Rainſſant.

Ob. 1651.

JOannes Firminus Rænſſantius Sopiæ (vulgò Suippe) in Diæceſi Remenſi anno milleſimo, quingenteſimo nonageſimo ſexto exortus, Benedictina inſtituta profeſſus eſt undecimo Calendas May anno milleſimo, ſexcenteſimo decimo tertio in Virdunenſi S. Vitoni monaſterio, quod etiam anno milleſimo, ſexcenteſimo, trigeſimo Superior gubernavit. Hic præcipuo quodam ſtudio in ſupernarum, atque cœleſtium rerum contemplatione animum exercuit, eôque ſacras commentationes peperit, quæ non modò univerſæ Sancti Mauri Congregationi, ſed etiam pluribus aliis utriúsque ſexûs Monaſteriis nunc

uſui, & fructui ſunt. Mortuus eſt Vir piè, ac ſobriè doctus in cœnobio S. Maglorii de Lehonis in minori Britannia ſexto Idus Novembris anno milleſimo, ſexcenteſimo, quinquageſimo primo.

Opera.

L*Ettre addreſſée à Monſeigneur - - - Prince Francois de Lorraine, Evequè & Comte de Verdun, Prince du Saint Empire, pour l'eclairciſſement du different mû entre les RR. Peres Benedictins de la Congregation de S. Vanne & S. Hidulfe.* Id eſt: *Ad Sereniſſimum, Reverendiſſimum Dominum Franciſcum Lotharingum, Epiſcopum & Comitem Virdunenſem, S. R. J. Principem Epiſtola, qua controverſia inter RR. PP. Benedictinos è Congregatione S. Vitoni, & Hidulfi coorta, dilucidè explicatur.* 8. . . . 1630.

Meditations pour tous les jours de l'an-née, tirées des Evangiles, qui ſe liſent en la Meſſe: & pour les principales feſtes des Saints avec leurs octaves. Id eſt: *Meditationes pro ſingulis totius anni diebus hauſtæ ex ſacroſanctis Evangeliis,*

quæ

quæ in Miſſa recitantur, *&* *pro præcipuis Feſtis Sanctorum*, *eorumque Octavis.* 4. *Pariſiis* 1647. 1679. Ac demum puriori, & elegantiori ſtylo 1698.

CAPUT IV.

D. Claudius Chantelou.

Ob. 1664.

CLaudius Chantelovius, ſeu Cantelovius, ex oppido Vyonenſi, Diœceſis Andegavenſis oriundus, Monachus Ordinis Fontis-Ebraldi ante fuit, quàm Congregationi S. Mauri ſe aggregavit. Eò receptus, in Tholoſano B. Mariæ Deauratæ Monaſterio ſe Deo ſolemni ritu devovit Septimo Idus Februarii anno milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo, natus annos tres, & viginti. Egregium â Natura ingenium ſortitus, eruendis, ſeligendis, emendandìsque veterum monumentis, impensè delectabatur; jamque egregia plura partim luci publicæ dederat, partim danda paraverat, cùm virum eruditum in Monaſterio S. Germani â Pratis, quarto Calendas Decembris, anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſexageſimo quarto mors ê vivo-

rum

rum numero exturbavit non ſine communi, ac gravi Sodalium, præſertim eruditiſſimi Lucæ Acherij, cujus in adornando Spicilegio ſedulus adjutor fuerat, luctu, & mœrore. Reliqui eruditi homines eò moleſtiùs doctiſſimi viri mortem tulêre, quod exactiorem Operum S. Bernardi Claravall. editionem ejus diligentiâ conſecuturos ſeſe ſperaverant. * " Fuerat quidem " dudum hanc provinciam, quantum homini docto, diligenti, ac Bernardi ſtudioſo, ſed privato licuit, feliciter executus Horſtius ita, ut ejus editio ambabus, ùt ajunt, manibus accepta fuerit âb omnibus, & probata, & in variis provinciis, ac locis ſæpiſſimè recuſa. Verùm, inquit modeſtiſſimus juxta, & eruditiſſimus Mabillonius, " cùm Bernardi " textum Horſtianum ad Gallicanos Codices complures Præfectorum noſtrorum juſſu exegiſſet noſter Claudius Cantelovius; quòsdam nihilo minus in illo textu deprehendit nævos. qui horum codicum ope ſanari poſtulabant. Et Bernardi quidem Sermones de Tempore, ac de Sanctis in ſecunda forma emendatiſſi-

* Mabil Præf. Gener. in Op. S. Bernardi 1690.

" datiſſimos emiſit in lucem. Verùm cum
" aliis eâdem diligentiâ evulgandis daret
" operam, hanc ipſe mihi provinciam
" morte reſignavit, adoleſcenti in re litte-
" raria novo, & inexperto, cui nunquam
" veniſſet in mentem cum doctiſſimo Hor-
" ſtio laborem, & induſtriam conferre,
" niſi renitentem, ac cunctabundum ad
" perſequendam demortui Cantelovij
" opus Præfectus noſter Generalis piæ me-
" moriæ, Reverendiſſimus Bernardus Au-
" debertus, me compuliſſet. Hæc Mabillonius de inſtituta â Cantelovio, nec perfecta nova Operum S. Bernardi editione. Porrò, quæ is, dum ſupereſſet, cum orbe erudito communicavit, hæc ſunt:

Opera.

B*ibliotheca Aſcetica Patrum.* 4. Quinque volumina. *Pariſiis* 1662. *&* 1663. . . . . *S. Bernardi Abbatis Claræ-vallenſis Paræneticon pars prima, Sermones de Tempore, ac de Sanctis complectens, uti & vitam S. Malachiæ Epiſc. Couverth.* 4. *Pariſiis.* Editurus erat etiam reliqua Melliflui Doctoris opera, ùt diximus, niſi

mors

mors optima conſilia, conatusque diſiecisſet.

CAPUT V.

D. Joannes Robertus Quatremaires.

Ob. 1671.

JOannes Robertus Quatremarius ex vico *de Courſeraux*, Diæceſis Sagienſis extitit. In religioſam Divi Benedicti familiam ſe ſolemniter dicavit in Vindocinenſi Sanctiſſimæ Trinitatis Monaſterio ſeptimo Idus Aprilis anno milleſimo, ſexcenteſimo, trigeſimo primo, ætatis decimo nono. Vir fuit ingenio haudquaquam vulgari prædirus, ardens & intrepidus, maxime ubi avita Ordinis ſui decora, & Ornamenta in diſcrimen adduci animadverteret. Hinc pro vindicandis Joanni Gerſeni, Abbati Benedictino libellis quatuor de Imitatione Chriſti atrox adverſus Gabrielem Naudæum, & Joannem Frontonem, Canonicum Regularum S. Aug. bellum geſſit Joannemque Launojum vetera Monaſterii S. Germani Pratenſis jura tentantem, ſemel atque iterum ſtrenuè repulit. Migravit ex hac

hac ad immortalem vitam ipſis Nonis Julii anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſeptuageſimo, primo, in Ferrarienſi S. Petri Monaſterio.

Opera.

JOannes Gerſen Vercellenſis, Ord. S. Bened. Abbas, librorum de Imitatione Chriſti, contra Thomam à Kempis vindicatum Joannis Frontæi Can. Reg. Auctor aſſertus. 8. Pariſiis. 1649.

Joannes Gerſen Abbas Vercellenſis, Ord. S. Bened. Auctor librorum de Imitatione Chriſti iterum aſſertus contra Refutationem P. Joannis Fronteau Can. Reg. 8. *Pariſiis* 1650.

Privilegium Sancti Germani à Pratis adverſus Joannis Launoii inquiſitionem propugnatum. 8. *Pariſiis* 1657.

Privilegium S. Medardi Sueſſionenſis propugnatum. 8. *Pariſiis* 1659,

Concilii Remenſis, quod in cauſa Godefridi Ambianenſis Epiſcopi celebratum fertur, falſitas demonſtrata. 8. *Pariſiis* 1663.

Defenſe des droits de l'Abbãre de St.

Germain des prez. Id eſt; *Vindiciæ Jurium Monaſterii S.Germani Pratenſis.* 12. *Pariſiis* 1668.

Regalis Eccleſiæ S. Germani â Pratis Jura brevi compendio propugnata. Eadem Jura ex demonſtrato S. Ludovici Regis Gallorum poſtremo anno, menſe, & die iterum propugnata. Et Joannis Launoji, ac Joannis Baptiſtæ Hamelii paradoxa. 4. *Pariſiis* 1668.

CAPUT VI.

D. Ludovicus Gabriel Bugnot.

Ob. 1673.

LUdovico Gabrieli Bugnoto, perelegantis ingenii Viro Sandiſerium in Diœceſi Catalaunenſi patria fuit. Nuntium liberioris vitæ commodis remíſit año ætatis octavo decimo, ſequentiq́ue, qui erat Chriſti milleſimus, ſexcenteſimus, trigeſimus octavus, in Remenſi S. Remigii Monaſterio, Quinto Calendas Aprilis, Solemni Sacramento ſe Deo obligavit. Iis doctrinarum Studiis, quibus humanitatis nomen tribuimus, ſe præprimis, nec infeliciter addixit, habitúſque eſt Poëta ſui temporis haud ignobilis.

Mor-

Mortem cum vita commutavit in aſceterio Beatæ Mariæ Virginis de Bernayo undecimo Calendas Octobris anno poſt reſtitutam hominum ſalutem milleſimo, ſexcenteſimo tertio.

Opera.

Sacra Elogia Sanctorum Ordinis Sancti Benedicti. Accedit ejusdem S. Patris Regula, & vita, carminibus expreſſa. 12. *Pariſiis* 1665.

Joannis Barclaji Argenidis ſecunda, & tertia pars. 8. . . 1669.

CAPUT VII.

D. Simon Germanus Millet.

Simon Germanus Milletus, Veniſii, in Diœceſi Sueſſionenſi genitus, Monaſticen profeſſus eſt apud Vindocinum in celebri SS. Trinitatis Monaſterio, Decimo tertio Calendas Julii anno â nato ſervatore milleſimo, ſexcenteſimo, trigeſimo ſecundo â natali ſuo die quinquageſimo ſeptimo. Is Hugonis Menardi, eruditiſſimi ſui ſodalis veſtigia premens, nec inſtauratæ

diſciplinæ Regularis aſperitate, nec ætatis jam gravioris incommodis âb Eccleſiaſticæ Eruditionis cultu, amplexuque avelli potuit, Itaque bonis libris non ante, quàm Mundo denatus fuit, Quinto nimirum Calendas Februarii anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſeptuageſimo quarto, ſepultus in Monaſterio S. Dionyſii in Francia.

Opera.

Vindicata Eccleſiæ Gallicanæ de ſuo Dionyſio Areopagita Gloria. 8. *Pariſiis* 1638.

Ad Diſſertationem de duobus Dionyſiis Reſponſio. 8 *Pariſiis* 1642.

Traité de la Translation du corps de S. Benoiſt en France. Id eſt: *Tractatus de Translatione Corporis S. P. Benedicti in Franciam.* 8. *Pariſiis* 1644.

CAPUT VIII.
D. Franciſcus Delfau.

Ob. 1676.

FRanciſcus Delfavius Monteti, qui Claramontenſis Diæceſis vicus eſt, lucem hanc

hanc primùm aſpexit anno milleſimo, ſexcenteſimo, trigeſimo ſeptimo. Anno milleſimo, ſexcenteſimo, quinquageſimo quarto, depoſito ſcholaſticæ militiæ cingulo ad religioſa Benedictinorum caſtra tranſiit, in iiſque proximo anno Sexto Nonas Maji in Claromontenſi S, Illidii Cœnobio ſolemne ſacramentum ad aram dixit. actîs hôc modô ſanctioris vitæ fundamentîs, ad præclara, univerſæque EccleſiæCatholicæ, ſi per vitam liceret, profutura ſtudia poſt paulò ſe retulit, animùmque veterum Conciliorum, Patrumque monumentis penitùs affixit. Anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſeptuageſimo primo, Auctore Claudio Martino ad perpurganda, emendatéque recudenda Sancti Auguſtini, Hipponenſis Epiſcopi Opera ſe accinxit, quam in rem mox ei Robertus Guerardus, & Joannes Durandus, ac deniqùe doctiſſimus Thomas Blampinus, ejusdem inſtituti ſodales adjutorium fecerunt. At enim non admodum diu in hac ſtatione manere permiſſum fuit Franciſco, utpote quem quatriennio poſt atrox, & ob vulgatum *Abbatem commendatarium* excitata tempeſtas in Landvenecenſe inferioris Britanniæ monaſteri-

ſterium, diſſipatis quaquaverſum eruditis ſociis, ejecerit, & exulem eſſe juſſerit usque ad annum milleſimum, ſexcenteſimum, ſeptuageſimum ſextum, quô cùm tertio Idus Octobris Landvenecô Breſtum traijceret, apud PP. Carmelitas D. Thereſiam ſplendida, & erudita Oratione laudaturus, ſubmerſa per repentinam procellam navi, fluctibus involutus interiit. Elatum inde cadaver in Monaſterio S. Wingalolæi de Landveneco ſepultura donatum fuit. Eruditi hominis cladem, ac mortem deflevêre omnes, quibus præſtantiſſimum Franciſci ingenium, vigor animi, ætásque laborum patiens, cæteræque virtutes, ac dotes perſpecta fuerant. Certè comperta Pariſiis morte, fuit ex Sorbonnico Athenæo, qui proclamaret: *Heu quantam Eccleſia jacturam accepit!* Circumlata etiam vulgò Epitaphia, quibus conlachrymantes ſodales, & amici acerbam Delfavii ſortem miſerati ſunt. Quædam ſic habent:

EPITAPHIUM.

Incautus rapidum tentans Delſavius æquor,

Prô

Prô dolor! Armorico mergitur ecce
mari!
Ignea mens poterat ſolis extinguier undis,
Et tantus tanta ſcilicet ignis aqua.
D. R. G. B.

Aliud.

Dum perit Armoricis hauſtus Delſavius undis,
Mergitur occiduis ſol velut alter aquis.
D. L. D. B.

Ænigma.

In hæc verba Cantici Ezechiæ Iſa. c. 38. v. 12.

Præciſa eſt velut â texente vita mea: dum adhuc ordirer, ſuccidit me.

PARAPHRASIS.

A texente velut mediis præſcinditur annis
Vita mihi: ſæva fila ſecante manu:

Vix etenim cœptæ texo dum ſtamina telæ
Proh dolor! Armoricis obruor exul aquis.

D. R. G. B.

Alia Paraphraſis.

Aurelii reparo laceri dum fragmina Textûs,
Exorſum Textor fraude retexit opus:
Ne tamen ipſe nihil texat, mihi texere fraudes
Pergit: ad Armoricos texit & exilium:
Interea immorior cæptis, medioque labori,
Aurelii vitam texere dum ſatago;
Aureliique, meæque ſimul ſic ſtamina vitæ
Abrupit Textor, tum male victor ovat.

D. R. G. B.

Ex his illa ſunt â Roberto Guerardo profecta; ad quæ hæ litterarum notæ D. R. G. B. adſcriptæ ſunt.

Opera

Opera.

L'*Abbè Commendataire.* Id eſt: *Abbas Commendatarius, ſeu liber, in quo probatur, Commendas, ut vocant, Abbatiarum, & aliorum Beneficiorum, lege Divina, decretis Romanorum* Pontificum, Pragmaticis *ſanctionibus, & Concordatis Regum Franciæ eſſe illicitas & damnatas.* 12. *Coloniæ* 1673. Hoc opus prodiit ſub nomine *Domini de Boisfranc.*

Rèponſe au Livre intitulè: L'Abbè Commendataire; Et Reſutation de cette Reſponſe. Id eſt: *Scriptum, quo reſpondetur libro, cui titulus:* Abbas commendatarius; *& Refutatio hujusmodi Reſponſi.* 12. *Coloniæ* 1673.

Entretiens d' un Abbè commendataire, & d' un Religieux ſur les commandes. Reflexions ſur un livre intitulè: Entretiens d' un Abbè commendataire & un Religieux ſur les Commandes. Les ſentimens de Criton ſur l'Entretiens d' un Abbè commendataire &c. Id eſt: *Dialogus in quo Abbas quidam Commendatarius cum quodam Religioſo de Commendis diſputat.*

Animadverſiones in librum, cui titulus: Dialogus, in quo Abbas quidam Commendatarius cum quodam Religioſo de Commendis diſputat. Judicium Critonis de Dialogo, in quo Abbas quidam Commendatarius cum quodam Religioſo de Commendis diſputat. 12. *Coloniæ* 1674.

L'Abbè Commendataire, ſeconde partie. Id eſt: *Abbas Commendatarius. Pars altera.* 12. *Coloniæ* 1674. Excuſa fuit præfixo nomine *Domini de Froimond.*

Libri de Imitatione Chriſti Joanni Gerſeni, Abbati Ordinis S. Benedicti, iterato adſerti, maximè ex fide MSS. Exemplarium . . . *Pariſiis* 1674.

CAPUT IX.

D. Guillelmus Hugo Vaillant.

Ob. 1678.

GUillelmus Hugo Valiantius, domo Aurelianenſis, ſolemni monaſticorum votorum ſponſione ſe Deo, & Congregationi S. Mauri divinxit Vindocini in Monaſterio Sanctiſſimæ Trinitatis Decimo quinto Calendas Octobris anno â Virgineo partu milleſimo, ſexcenteſimo, trigeſimo ſeptimo, ætatis ſuæ octavo decimo.

Poëta

Poëta fuit ingenio, & facundia præcellens. E vita diſceſſit in Cœnobio Beatæ Mariæ de Pontelevio Idibus Maij Anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſeptuageſimo octavo.

Opera.

CArmen Heroicum in Translatione S. P. Benedicti, à RR. PP. Benedictinis è Congr. S. Mauri * anno quatrageſimo tertio ſupra Milleſimum, ſexcenteſimum in Francia concelebrata & facta. 4. Pariſiis 1663.

Faſti Sacri, ſive Epigramatum, quibus Sanctorum Elogia per totius anni dies canantur, Libri Duodecim. . . Pariſiis 1674. *apud Deſprez.*

Hymni, totumque S. Mauri, ac beatorum Eutropii & Euſtellæ Officium.

CAPUT X.
D. Natalis, Philibertus Jamet.

Ob. 1680.

NAtalis, Philibertus Jametus natale ſolum nactus eſt Benarvillam Diœceſis Rotomagenſis vicum. Is Benedictino-

* V. Bolland. Tom. 3. Martij pag. 356.

rum votorum religione in Gemmeticenſi Cœnobio, Divi Petri Apoſtoli honoribus ſacro ſolemniter ſe obſtrinxit Septimo Idus Januarii, anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo nono. Cùmque præter rerum Divinarum cognitionem Philoſophiam quòque magna cum laude coluiſſet, mortem executus eſt Carnoti in Monaſterio Beatæ Mariæ de Joſaphat Quinto Nonas Martii anno milleſimo, ſexcenteſimo, octogeſimo.

Opera.

T*Raité de la Circulation des eſprits animaux.* Id eſt: *Tractatus de Circulatione ſpirituum animalium.* 12. *Pariſiis* 1682.

CAPUT XI.

D. Joannes, Bernardus Planchette.

Ob. 1680.

JOannes, Bernardus Planchette, civis Aubigniacenſis è Diœceſi Remenſi in Benedictinum S. Mauri Sodalitium, nuncupatis

patis ſolemniter votis, admiſſus eſt Vindocini Decimo octavo Calendas Septembris anno milleſimo ſexcenteſimo, trigeſimo ſeptimo. Accedente ætate peregregias ingenii, & animi dotes, quibus Virum Deus donaverat, perpetua rerum Divinarum meditatione, ac dicendi ſtudio mirificè auxit, & perpolivit. Ex ejus ore non raròincredibilis quædam hominum multitudo pependit, quam nota Bernardi facundia, gratia, facilitáſque quælibet perſuadendi attraxit. Itaque celeberrimis Franciæ Concionatoribus, & Eccleſiaſticis Doctoribus jure optimo accenſitus eſt. Nihil niſi Francicè ſcriptum poſteris reliquit, haud dubiè, ut ſuis Francis cumulatiùs prodeſſet, ad quorum curandam ſalutem propè unicè factus, & natus eſſe videbatur. Eum mors in Remenſi S. Remigii Monaſterio Octavo Idus Aprilis anno milleſimo, ſexcenteſimo, octogeſimo abſtulit.

Opera.

LA *Vie de S. Benoiſt.* Id eſt: *Vita S. Benedicti.* 4. *Pariſiis* 1652.

Hiſtoire des miracles, qui ſe ſont faits par

par l'entremiſe de la ſainte Vierge en la premiere reſtauration de l'Egliſe de l' Abbäie *de S. Pierre ſur Dive environ l'an* 1140. *tirée d'un ancien manuſcrit de Haymon abbé de la meſme abbäie, & traduite en Francois par Dom. Bernard. Planchette.* Id eſt : *Miraculorum Sanctæ Dei Genitricis Mariæ interceſſione in prima reſtauratione* Abbatialis *Eccleſiæ Sancti Petri ad Divam circa annum* 1140. *patratorum Hiſtoria deſumpta ex antiquo libro manuſcripto Haymonis ejusdem loci* Abbatis, *& in Francicum ſermonem translata â Domno Bernardo* Plan*chette.* 12. *Cadomi* 1671.

Panegyriques de pluſieurs Saints, preſchez par Dom. Bernard. Planchette. Id eſt : *Sermones panegyrici de pluribus Sanctis, dicti â Dom. Bernardo Planchette.* 8. *Pariſiis* 1675. Duo Vol.

CAPUT XII.

D. Renatus, A*mbroſius Janvier.*

Ob. 1682.

RENatus, Ambroſius Janvier, Vir Hebraicæ

braicæ linguæ peritiſſimus, ortus eſt in Diœceſis Cenomannenſis vico, Sanctæ Oſmannæ nuncupato. Emenſo Artium liberalium curriculo res mortales valere juſſit, ſéque in Vidocinenſi Sanctiſſimæ Trinitatis Monaſterio Congregationi S. Mauri ſolemnibus votis mancipavit anno poſt natum Deum-Hominem milleſimo, ſexcenteſimo, trigeſimo ſeptimo, ætatis præterpropter quinto, & vigeſimo. Hìc ſanctioris vitæ munia ſic obivit, ut eam Litterarum partem, quæ illuſtrandis, pervadendiſque Divinarum Scripturarum arcanis maximè deſervit, neutiquam negligeret. Igitur non contentus qualicunque Hebraicæ linguæ peritia, omnes illius ſinus, finéſque circumſpexit, Rabbinorum etiam excuſſis Commentariis, quos cum judicio, & fructu tractare non cujusvis e vulgo eruditorum hominum eſt. Mortem Ambroſius obiit in Antiquiſſimo S. Germani Pratenſis Monaſterio Septimo Calendas Maij anno Domini milleſimo, ſexcenteſimo, octogeſimo ſecundo.

Opera.

R. *Davidis Kimchi Commentarii in Pſalmos ex Hebræo Latinè redditi.* 4. *Pariſiis* 1666.

Petri Abbatis Cellenſis primùm, deinde S. Remigii apud Remos, ac demum EpiſcopiCarnotenſisOpera omnia collecta in unum ex libris tum editis, tum mſs. 4. *Pariſiis apud Ludovicum Billaine* 1671.

CAPUT XIII.

D. Franciſcus Anſelmus Thevart.

Ob. 1685.

FRanciſcus Anſelmus Thevartius, Pariſiis in lucem fusceptus eſt anno Domini milleſimo, ſexcenteſimo, decimo octavo. Sancti Benedicti Ordinem amplexus ſolemnia vota nuncupavit in inclyto S. Remigii Monaſterio apud Remos Sexto Calendas Maij annum ætatis agens decimum nonum. Is præter Latinam, & Francicam, etiam Hiſpanicam linguam probè calluit, ex qua tamen nihil tranſtulit, niſi

niſi quod ad fovendam tum ſuam, tum Sodalium ſuorum pietatem accomodatum noverat. Emortuus eſt in Monaſterio S. Dionyſii in Francia Decimo quinto Calendas Februarij anno milleſimo, ſexcenteſimo, octogeſimo quinto.

Opera.

E*Xercices Spirituels de Garcias Ciſneros traduits d'Eſpagnol en Francois.* Id eſt: *Exercitia Spiritualia Garciæ de Ciſneros ex Hiſpanico in Francicum traducta.* 12. *Pariſiis* 1655.

CAPUT XIV.

D. Joannes Lucas D'Achery.

Ob. 1685.

JOannes Lucas acherius magnum S. Quintini patriæ in Picardia Urbis, & Congregationis S. Mauri Ornamentum, ſumpto ſancti Benedicti Ordine, ſolemnia vota edidit in Monaſterio Sanctiſſimæ Trinitatis apud Vindocinenſes Quarto Nonas Octobris, anno Chriſti milleſimo, ſexcenteſimo, trigeſimo ſecundo, trium & viginti

ginti annornm Juvenis. Hôc loco poſitus, mox omnibus ita mores ſuos probavit, ut palam eſſet, â Luca non magis corpore, quàm animo & cogitatione omnia ſuavioris vitæ blandimenta fuiſſe derelicta. Dein Sodalium ſuorum exemplis, & ſermonibus inductus, bonas horas, quæ â monaſticæ vitæ officiis, primas apud Lucam ſemper obtinentibus, reliquæ erant, optimorum Auctorum lectioni, librorúmque, manu â veteribus exaratorum, perſcrutationi ſedulus impendebat. Qua in re admodum celeres, tantáſque progreſſiones fecit; ut etiam Viris cùm virtute, tum eruditione ſummis in amore juxta eſſet, ac admiratione. Eruditionem Acherii ſingularis quædam modeſtia, verecundia, gravitas ſolitudinis conſectatio, judicium, omnibùſque gratificandi ſtudium ceu mella condiebant. Itáque ejus conſuetudinem religioſi, doctíque homines certatim ambiebant, ſibíque factam (id rariùs ſolebat) optimi Viri copiam admodum gratulabantur. Cæterùm paucos in Gallia, Belgio, & Italia eruditos id temporis viros reperiſſes, quos inter & Acherium nullum amicitiæ, commercii genus

inter-

interceſſiſſet. Aliorum utebatur operâ, aliorum conſiliis, neminem tamen ſine laude,& grata memoria in loco dimittebat. Benevolentiores erga ſe habuit Cl. Hadrianum Valeſium, * „ qui in diſcutiendis non „ modò cunctis propè, quæ publici juris „ faciebat *Lucas*, ſed ſingulari etiam be„ nevolentia mendorum quamplurium „ ſubmonebat, ac perutiles notatiunculas „ marginibus adfigebat; Antonium Vionem Herovallium, qui „ aliorum ſtudia „ fovebat, ac promovebat, velut ſua, plu„ raque ſua manu è veteribus codicibus „ exſcribebat, cum Acherio communicanda; Jacobum Sirmondum, Joannem Garnierium, Franciſcum Chiffletium, eruditos Societatis JEſu Presbyteros, Carolum Bultellum Ludovico XIV. R. â Secretis, Puteanos Fratres, Franciſcum Cheſnium, Joannem le Prevoſt, *eruditiſſimum Canonicum Rotomagenſem*, Stephanum Baluzium humanitate ac eruditione celebratiſſimum, Antonium Dandinum Alteſerræ, Dominum de Tilmont, Joannem Baptiſtam Cottelerium, Joſephum Queſnelium, Thuaneæ Bibliothecæ Præfectum,

C *ami-*

* Spicil. T. XII, præf. pag. XXIII.

amicitia Lucæ *conjunctiſſimum*, Dominum Faure Doctorem Sorbonicum, *rerum antiquarum peritiſſimum*, Carolum Du Freſne D. Du Cange, Jacobum Lanoyum Aſcetam Ciſtercienſem *doctiſſimum*, Iſmahelem Bullialdum, *in omni genere ſolidæ Litteraturæ apprimè verſatum, præſertim Mathematicis*; Michaëlem de Marolles, illuſtriſſimum Villæ-Lupæ Abbatem, *pietate, & eruditione præſtantiſſimum*; Claudium de Luſſon, Caſimirum Oudinum Præmonſtratenſem, Vantierium Inſulenſem, *virum eruditiſſimum*, Robertum de Gyvès, *doctiſſimum Canonicum Regularem*, Dominum Luvetum, *virum in rebus antiquis maximè verſatum*. Hieronymum Vignerium Oratorii Presbyterum, Joſephum Ignatium â S. Antonio Carmelitam Excalceatum *eruditiſſimum, & antiquarum rerum peritiſſimum*; Dionyſium Godefroy, Eminentiſſimum, ac eruditiſſimum S. R. E. Cardinalem Joannem Bonam, alióſque; ut nihil de doctiſſimis Ordinis noſtri Viris Claudeo Chantelovio, Gabriele Gerberonio, Victore Cottono, Priore Ferrarienſi, Franciſco Delfavio, Claudio Stephanotio ad juvanda ſodalium
ſtudia

ſtudia nato, Jacobo Duchemin Theologiæ Andegavis in Monaſterio SS. Sergii & Bacchi Profeſſore, Petro Sauret, Hugone Mathudio, Philippo Romagny * *ſerio & ſine ambitione docto*, Simone Guillemoto Subpriore Ghisleniano in Hannonia, Petro Deſcrochets, Bartholomæo Senocquio doctiſſimo ê Congregatione S. Vitoni Theologo, & in Virdunenſi S. Agerici Monaſterio Priore, reliquisque propè innumeris memorem, quos omnes unacum ſuis Bibliothecis in poteſtate habebat. Plurimum auxilii & Gloriæ Acherio fuit in Joanne Mabillonio, qui diſcipulus primùm, deinde ſocius, & *particeps ſtudiorum, ac laborum*, Magiſtrum egregiè juvit, demum ingraveſcente ætate * *imbecillitatem corporis peramanter ſublevavit*, infinitam ferè, ac informem veterum monumentorum, quibus Acta Sanctorum Ordinis ſui continebantur, maſſam digeſſit, Notis Obſervationibus, & Præfationibus illuſtravit, ſicque inſtructa, & ordinata omnia prœlo ſubjecit.

Princeps Acherii Opus fuit inſignis,

* Præfat. ad Oper. Guibert. fin.

* Spicil. T. XI. præf. pag. 13.

& â nemine adhuc ſatis laudata veterum ineditorum monumentorum Collectio, quam Spicilegium inſcripſit. Quippe * „ inter plurima ſtudiorum genera, quibus „ in communem Reipublicæ Chriſtianæ „ utilitatem incumbunt viri litterati, illud „ ſanè non inferiorem locum tenere de- „ bet, quo nonnulli varias perluſtrant biblio- „ thecas, deliteſcentes in eis veteres codi- „ ces manuſcriptos cum blattis & tineis „ decertantes diligenter exquirunt, inven- „ tòsque ſedulò percurrunt, ut ea aucto- „ rum priſcorum ſcripta, quæ excidiſſe „ credebantur, aliáque antiquitatis monu- „ menta, é tenebris tandem eruta, pub- „ licam in lucem emittant. Quis enim „ dignis exprimat verbis, quantum inde „ rei litterariæ ſplendoris, quantum uni- „ verſæ Eccleſiæ commodi accedere poſ- „ ſit? cùm viros ſua ætate inſignes, non „ minùs pietate, quàm doctrina conſpi- „ cuos, ſed heu! temporum injuria, qua- „ ſi oblivione ſepultos derepente videas é „ pulvere excitatos, nova hominibus vitæ „ rectè inſtituendæ dare præcepta, mores „ corrigere, aut in melius informare, ve- „ rum

* Edm. Martene Præf. Collect. Nov. Vet. Script.

" rum à falſo ſecernendo aniles recentiorũ
" quorumdam fabulas expellere, antiquam
" Eccleſiæ diſciplinam ob oculos ponere,
" denique Chriſtianæ fidei ſancita ſtabilire,
" atque omnia ipſius dogmata adverſus
" hæreticos propugnare. An verò hujus-
" modi ſtudio hæc omnia cum fructu præ-
" ſtari quiſquam dubitet ?

„ Quapropter non immeritò Sum-
„ mus Pontifex Alexander VII. teſtante,
„ & ſcribente ad Acherium noſtrum,
„ quod propriis auribus exceperat, Cardi-
„ nali Bona, aſſeruit: eos utiliorem præ-
ſtare operam reipublicæ litterariæ, qui eru-
endis è Situ Bibliothecarum veterum lu-
cubrationibus incumbunt, quàm qui no-
vos cudunt libros: Libri enim novi, ſi
quid boni continent, âb antiquis mutuari
ſolent. „ Hoc ſtudiorum genus cùm plu-
„ rimi hoc ſæculo ſectati fuerint, tum ma-
„ ximè noſtri, ex quorum labore prodiê-
„ re Spicilegium Veterum Scriptorum,
„ Analecta latina, & græca, Muſæum Ita-
„ licum, aureus liber de re Diplomatica
„ cum variis acceſſionibus, quibus noviſ-
„ ſimæ Sanctorum Patrum Auguſtini,
„ Ambroſii, Hilarii, Anſelmi, Bernardi,

„ Athanaſii editiones, mirum in modum „ auctæ, & ornatæ fuerunt: adeò, ut „ non tam ſpicas aut reliquias aliquas, „ quàm meſſem ampliſſimam, viris litte- „ ratis eò jucundiorem, quò magis „ feracem, aut minùs ſperatam „ collegiſſe videantur. Hæc Edmundus Marteneus, quem „ ad hunc- „ ce laborem ſuſcipiendum hortatus olim „ fuerat Acherius, immo cùm ipſe pau- „ cis, * antequam è vivis excederet, ſi- „ mile opus alio ſub titulo, prœlo com- „ mittere cogitaret, adjutricem (inquit idem Marteneus) „ à me manum, om- „ nium licèt ineptiſſimo, poſtulare non „ dedignatus eſt. Sed brevi poſt morte „ correptus, nec conceptum opus explere „ potuit; nec ipſe ego aliis tunc ſtudiis „ applicatus optimi ſenis conſiliis parere valui. Ex quibus Martenei verbis tum Acheriani Spicilegii præſtantia, uſus, dignitasque, tum longè maximè perpes eruditiſſimi Viri contentio, induſtria, animique quam plurimos laudum ſocios admittentis demiſſio elucet.

Floruit Acherius eo tempore, quo à qui-

* Supple: annis vel diebus.

quibusdam hominibus eruditis in dubium vocabantur non pauca Benedictini Ordinis decora, certè ruitura, niſi præter diuturnam eorum poſſeſſionem valida quoque argumenta in medium afferentur. Quæ certamina noſtro anſam præbuêre, ubicunque locorum poſſet, datâ opera ea congerendi, quibus amplior lux noſtris rebus affunderetur. Nèque tamen ita obcæcatos domeſticarum gloriarum ſplendore oculos habebat, ut non illico mutare ſententiam paratus eſſet, mox ut certiora, melioráque â quocùnque doceretur. Contrà eos præprimis venerabatur, â quibus de admiſſo errore amicè, ac candidè admonitus eſſet. Egregius hac de re locus exſtat apud ipſum Acherium in Præfatione ad Opera P. Lanfranci Archiepiſcopi Cantuarienſis: „ Neque, inquit, mihi ſuccen-
„ ſeas oro, quòd ſæpiuſculè forſan res mo-
„ naſticas qualibet data occaſione videar
„ congeſſiſſe: duæ præſertim cauſæ ſunt,
„ quæ me ad hoc impulerunt. Altera id
„ rei exegit (per ſe patet) ut plerumque
„ easdem pertractarem: altera, quia co-
„ ram, & ſcriptis identidem me con-
„ venerint viri non mediocriter eruditi,

„ nonnihil, quæ ad Ordinis Benedictini antiquitatem, ac ſplendorem ſpectant, in
„ dubium revocantes varias diſputationes
„ inſtituerunt; putà de antiqua, & univerſali Regulæ in Galliis obſervatione,
„ de inſignibns Sanctitate & ſcientia viris,
„ qui inter ſodales ejusdem Ordinis ſolent
„ recenſeri; qulbus ut facerem ſatis, cùm
„ locupletiſſima ſeges exurgeret, longiùs ſermonem porrigendum putavi. Certè quidem priusquam hoc
„ Opus notis & obſervationibus concinnare aggrederer, me proculdubiò nonnullorum Criticis lectorum unguibus, & lituris vapulatum iri, identidem mente
„ revolvi. Etenim ſatis mihi compertum
„ ſemper fuit, primæ in dicendo celebritatis viros, & ſcientia præſtantiſſimos, deletiles cenſorum ſpongias diu pertuliſſe.
„ Ecquid mirum ergò, ſi mihi laboris primitias eventilanti hoc eveniat? Et ſanè,
„ cùm Chriſtus ipſe haudquaquam præſtiterit, ut omnium votis reſponderet,

Multùm deliro, ſi cuique placere requiro:
Omnia qui potuit, hac ſine dote fuit:

Verùm

„ Verùm enim verò ſi quid animad-
„ verſione dignum prudens, & eruditus
„ Lector adverterit, verbis, literisve cer-
„ tiorem me reddat, impensè rogo; cu-
„ jus monitis ſubmiſſo, lubentique animo
„ acquieſcam, atque in editione repetita
„ (ſi vitam dederit, & otium fecerit Deus)
„ quidquid corrigendum notaverit, emen-
„ dare, & calculum reducere non grava-
„ bor; ſcio namque ſcriptum: qui odit correptionem, odit Sapientiam. „ De
„ hoc genere eſſe nolim hominum, qui,
„ quidquid in buccam venerit, vel aliquod
„ opus compegerint, magis, quàm fabre-
„ fecerint, ſtatim extollunt, & dignum
„ exiſtimant â nemine reprehendi; quin
„ etiam ut approbent omnes, & lecturi-
„ ant, ſeipſos oſtentant. Ita de ſe ſuiſque loboribus Acherius ſentire conſueverat non in adoleſcentiori ſolùm ætate, ac veluti tyrocinio Litterarum, ſed etiam cùm longo rerum uſu ſubactus ad perfectæ eruditionis apicem proximè jam acceſſiſſet. Deceſſit Vir eruditiſſimus tam ſanctè, quàm vixit, maximô ſui apud omnes probos relictô deſideriô, in Monaſterio S. Germani â Pratis, cujns Bibliothecam cumulatè ab

ſe inſtructam, & ordinatam diu obtinuerat, Tertio Calendas Maij, anno milleſimo, ſexcenteſimo, octogeſimo quinto.

Opera.

B. *Lanfranci Cantuarienſis Archiepiſcopi, & Angliæ Primatis O. S. Bened. Opera omnia, quæ reperiri potuerunt, evulgavit Domnus Lucas Dacherius, Benedictinus Congregationis S. Mauri in Gallia: Vitam, & Epiſtolas Notis & obſervationibus (antiquis monumentis abundè locupletatis) illuſtravit, & Appendicem adjecit, in qua hæc habentur ex diverſis M. S. Chronicon Beccenſe: Vita B. Herluini Fundatoris, ac primi Abbatis Becci, & quatuor priorum* Abbatum *ejuſdem monaſterii: Vita S. Auguſtini Anglorum Apoſtoli: Tractatus duo de Euchariſtiæ Sacramento contra Berengarium, Hugonis Lingonenſis Epiſcopi, & Durandi Abbatis Troarnenſis. fol. Lutetiæ Pariſiorum ſumptibus Joannis Billaine* 1648.

Catalogus Librorum Aſceticorum. 4. *Pariſiis* 1648. & 1671.

Venerabilis Guiberti Abbatis *B. Mariæ*

riæ de Novigento Opera omnia, prodeunt nunc primum in lucem, una cum Appen*dice ad librum tertium de vita Ipſius, nimirum Hermanni Monachi libri tres de Miraculis S. Mariæ, ſive de Reparatione Laudunenſis Eccleſiæ; de Geſtis Bartholomæi Epiſcopi; ac de Origine & Incremento Præmonſtratenſis Ordinis. Item, Notæ, & Obſervationes (vetuſtis monumentis refertæ) ad quoſdam V. Guiberti Libros. His accedunt Additamenta, in quibus, Vitæ S. Geremari, B. Simonis Comitis Creſpëienſis, & S. Salabergæ Abbatiſſæ: Nec non Hugonis Rothomag. Archiepiſcopi Libri tres Dogmatum Chriſtianæ fidei contra Hæreticos ſui temporis: & Roberti de Monte Acceſſiones, atque Appendix germana ad Sigibertum. fol. Lutetiæ Pariſiorum ſumptibus Joannis Billaine* 1651.

Grimlaici Regula Solitariorum, nunc primum edita. 12. *Pariſiis* 1653.

Veterum aliquot Scriptorum, qui in Galliæ Bibliothecis, maxime Benedictinorum ſuperſunt, Spicilegium. 4. Volumina Tredecim; *prodierunt Pariſiis hoc ordine:*

Tomus,

Tomus, ſeu Volumen I. Anno 1655.
Tom. II. 1657.
Tom. III. 1659.
Tom. IV. 1661.
Tom. V. 1661.
Tom. VI. 1664.
Tom. VII. 1666.
Tom. VIII. 1668.
Tom. IX. 1669.
Tom. X. 1671.
Tom. XI. 1672.
Tom. XII. 1675.
Tom. XIII. 1677.

Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti, in ſæculorum Claſſes diſtributa. Sæculum I. quod eſt âb anno Chriſti D. ad DC. collegit Domnus Lucas D' Acherii, *Congregationis S. Mauri Monachus, ac cum eo edidit D. Joannes Mabillon, ejusdem* Con*gregationis, qui & univerſum opus Notis, Obſervationibus, indicibúsque neceſſariis illuſtravit. fol. Lutetiæ Pariſiorum apud Ludovicum Billaine* 1668.

Reliqua ſæcula ibidem hoc ordine lucem adſpexerunt.

Sæculum II. *quod eſt âb anno Chriſti DC.*

DC. ad DCC. apud Carolum Saureux 1669.

Sæculum III. *quod eſt âb anno DCC. ad DCCC. Pars Prima apud Ludovicum Billaine* 1672.

Sæculi III. *Pars Secunda, apud eund.* 1672.

Sæculum IV. *quod eſt âb anno. DCCC. ad DCCCC. Pars Prima, apud eund.* 1677.

Sæculi IV. *Pars Secunda. ibid. apud eund.* 1680.

Sæculum V. *quod eſt ab anno Chriſti CM. ad M. apud viduam Edmundi Martin* 1685.

Sæculum VI. *quod eſt âb anno M. ad MC. Pars Prima ſumptibus Caroli Robuſtel* 1701.

Pars Secunda, apud eundem 1701.

Sæculum VII. *quod eſt âb anno MC. ad MCC. nunc ordinat, illuſtrat, ac typis parat* D. Franciſcus le Texier ex eadem Congregratione Vir doctiſſimus.

Ab erudito Dacherii calamo illuſtrem etiam Apologiam pro S. Mauri ad Gallias profectione, *& adventu exſpectarunt* * Bollandiani. Sed promiſſum, ſi quod dedit

* Tom. 3. Martii pag. 275.

dit Acherius, complevit demum Theodoricus Ruinartus, de quo ſuo loco * diſſeremus.

CAPUT XV.
D. Ludovicus Gabriel Broſſe.

LUdovicus Gabriel Broſſe, Autiſſiodorenſis, prima poſt tyrocinium, Benedictinæ militiæ ſtipendia fecit Vindocini, ubi anno milleſimo, ſexcenteſimo trigeſimo ſeptimo, ſexto Calendas Aprilis ſolemnia vota emiſit. Is liberale, ac elegans ingenium conſecutus, id quoad per Cœnobiticæ vitæ rationes licuit, ſtudioſè percoluit, ſicque Francico verſu luſit, ut Virum Muſis nequaquam iratis fuiſſe uſum, æqui rerum æſtimatores exiſtiment. Diem ſuum obiit in Francico, quod ſuo ingenio maximè illuſtravit, S. Dionyſii Monaſterio ipſis Calendis Auguſti anno milleſimo, ſexcenteſimo, octogeſimo ſexto.

Opera.

L*A Vie de Sainte Euphroſine vierge, & Martyre, tirée des anciens autheurs &*

* Inf, cap. 38.

& traduite en vers Francois. Id eſt: *Vita S. Euphroſynæ Virginis & Martyris, ſumpta ex antiquis Autoribus, & verſibus Francicis reddita.* 12. *Pariſiis* 1649.

Idem, *Tumulos Templi Regalis Monaſterii S. Dioniſii in Francia Francicis verſibus deſcripſit.*

CAPUT XVI.

D. Joannes Franciſcus Pommeraye.

Ob. 1687.

JOannes Franciſcus Pommerayus, cui Rotomagum quidem natale ſolum anno milleſimo, ſexcenteſimo, decimo ſeptimo præbuit, Gemmeticum autem in monaſticæ vitæ ſectatores ſolemniter tranſcripſit, ſub Benedictinis ſignis meruit âb anno milleſimo, ſexcenteſimo, trigeſimo octavo, Pridie Calendas Auguſti, usque ad annum milleſimum, ſexcenteſimum, octogeſimum ſeptimum, quo in Rothomagenſi S. Audöëni Monaſterio Octavo Idus Octobris ê vita exceſſit. De illo merito dubites, pluſne Patria eidem debeat, an idem Pa-

Patriæ, Eô nemo uberiorem lucem rebus & Antiquitatibus Rotomagenſibns conciliavit; id quòd ut accuratiùs præſtaret, nulli tantorum tœdiorum, ſudorumve labores exſtitêre, quos, modò cum Patriæ gloria conjuncti eſſent, in delitiis non collocaret. Volupe illi etiam erat, amicorum, aliorumque virorum eruditorum conatibus conſiliô, & operâ adeſſe, hôcque animo anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſexageſimo ſecundo in Rotomagenſi ad S. Audoënum Monaſterio complexus eſtRR. PP. Godefridum Henſchenium, & Danielem Papeprochium, quos adGemmeticenſe, Fontanellenſe, ac Beccenſe ſui Ordinis & Congregationis per Normanniam Monaſteria antiqua deduxit, & quidquid ibi erat veterum MSS. ſtudioſè examinandi copiam impetravit. Sed Pommerayum nihil perinde conſpicuum & celebrem reddidit, quàm Opera eruditione, ac Eccleſiaſticæ Antiquitatis perveſtigatione multò refertiſſima. Ea ſunt hæc:

Opera.

H*Iſtoire de l'Abbaïe de S. Oüen, & de l'Abbaïe de S. Amand de Roüen.*

Id

Id eſt: *Hiſtoria* Monaſteriorum *S. Audoëni*, *& S.* Amandi *Rotomagens. fol. Rotomagi* 1662.

Hiſtoire des Acheveques *de Roüen.* Id eſt: *Hiſtoria Archiepiſcoporum Rotomagenſium. fol. Rotomagi* 1667.

Rotomagenſis Eccleſiæ Concilia. 4. *Rotomagi* 1677.

Hiſtoire de l'Egliſe Cathedrale de Roüen. Id eſt: *Hiſtoria Rotomagenſis Eccleſiæ Cathedralis.* 4. *Ibidem* 1686.

CAPUT XVII.

D. Jacobus Langelè.

Ob. 1689.

JAcobus Langelè, ortu Pariſinus, ſolemnibus votis ſe Numini obligavit in Sancti Faronis Monaſterio apud urbem Meldorum Octavo Calendas Novembris anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſeptuageſimo quarto, cùm ei annus ætatis vigeſimus ageretur. Vitam Vir AntiquitatisEccleſiaſticæ perſtudioſus poſuit in Cœnobio S. Dionyſii in Francia ſeptimo Idus Maji anno ſupra

millesimum, ſexcenteſimum octogeſimo nono.

Opera.

H*Iſtoire du Saint Suaire de Compiegne.* Id eſt: *Hiſtoria Sacri Sudarii, quod Compendii adſervatur.* 12. *Pariſiis* 1694.

CAPUT XVIII.

D. Philippus Baſtide.

Ob. 1690.

PHilippus Baſtide vitam ingreſſus eſt apud Fanum Sancti Benedicti de Saltu in Diœceſi Bituricenſi anno milleſimo, ſexcenteſimo, vigeſimo. Mundi ludibria pertæſus, vitam monaſticam ſolemni more profeſſus eſt in Monaſterio Vindocinenſi Decimo quinto Calendas Aprilis anno milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo tertio. Cùmque junctus Acherio, Garetio, Mabillonio, aliisque ſuis eruditione nobiliſſimis Sodalibus pro avitis Ordinis Benedictini Ornamentis maſculè decertâſſet, animam amiſit in Sanct-Dionyſiano Fran-

cia

ciæ Monaſterio Decimo Calendas Novembris anno milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo.

Opera.

DE *antiqua Ordinis S. Benedicti intra Gallias Propagatione Diſſertatio adverſus Carolum Cointium Annalium Eccleſiaſticorum Franciæ conditorem.* Edita primùm fuit ad calcem *Sæculi Benedictini III. partis ſecundæ anno* 1672. Deinde *Autiſſiodori* 4. *anno* 1685. Denique Autor * Miſcellaneorum Hiſt. & Litterat. quandam ejusdem operis editionem commemorat, quæ *Autiſſiodori anno* 1683. curata fuerit. Sed nobis fides typorum ſuſpecta eſt.

CAPUT XIX.

D. Hieronymus Joachim Le Contat.

Ob. 1690.

HIeronymus, Joachimus le Contat Eſclaroni (Diœceſis Catalaunenſis locus eſt) in hanc lucem prodiit anno milleſimo, ſexcen-

* Volum. 3, pag. 205. edit. Roterodam. 1702.

centeſimo, ſeptimo. A Deo ad ſanctioris vitæ Studia evocatus, & ſingulari munere fingendis è ſeveriori diſciplina Cœnobitarum moribus deſtinatus, ex Mundi hujus Labyrintho in Benedictinam Sancti Mauri Congregationem commigravit, in eaque anno milleſimo, ſexcenteſimo, vigeſimo octavo, Decimo Calendas Decembris, corpus, ſuàque omnia perpetua, ſolemnìque votorum monaſticorum ſponſione Deo conſecravit. Orationi, quæ animô fit, totum ſe dedidit, alióſque communis inſtituti ſodales modum, & rationem, qua ſacræ hujusmodi commentationes cum fructu ſuſciperentur, gnaviter & ſcripto, & exemplo edocuit. Ante omnia Joachimus optavit, ut ſuis peculiaribus quique Ordines finibus, ac inſtitutis eſſent quàm maximè intenti, modúmque ac vitam conſectandæ Religioſæ Perfectionis tenerent eam, quam ſingulares ſacrarum Regularum præceptiones deſcribunt. Quò etiam collimant verba prudentiâ & modeſtiâ plena, quibus ad ſacras decem dierum Exercitationes pro privatis Cœnobitis Benedictini Ordinis præfatur: * „ Non me latet, inquit,

* Ex vers. lat. Franciſ. Mezger Saliſb. 1695.

inquit, „ plures ex inſignibus Autoribus „ compoſuiſſe pro Religioſis Exercitia, „ quæ Decendialia appellamus: utque ea „ accommodarent Religioſis omnium Ordinum, Meditationes materiis communibus & generalibus inſtruxerunt. Qua „ in re, ut verum fatear, felici cum ſucceſſu ſingulare præſtiterunt obſequium „ cunctis Religioſis Familiis, quæ etiamnum hodie exinde profectum capiunt. „ Hoc tamen non obſtante, Viri illuminatiſſimi, & in animarum Directione „ verſatiſſimi judicârunt admodum conſultum fore; ſi quilibet Ordo haberet „ Exercitia particularia, ſuo inſtituto, legibus, & fini accommodata, atque formata, quantum eſt poſſibile, juxta ſpiritum Regulæ, quæ in illo obſervatur: „ ut Religioſi eam profeſſi, his Exercitiis „ in ſua ſolitudine decendiali utentes, poſſint in iis clarè intueri Ideam Specialis „ perfectionis, quam Deus âb illis exigit, „ excellentiam mediorum, quæ ipſis ad „ eam conſequendam ſubminiſtrat, nec „ non motiva ex eorum Regula deſumpta, quibus excitentur ad exequendas „ ſuas obligationes, & praxin virtutum

 illarum,

„ illarum, quæ eis maximè ſunt neceſſa-
„ riæ. Interea cùm Dominus noſter ſu-
„ periores aliorum Ordinum ad ejusmodi
„ laborem ſuſcipiendum excitaverit; ji,
„ qui præſunt noſtræ Congregationi, om-
„ nium minimæ, quippe ultimæ earum,
„ quæ militant ſub Regula, Magni Patri-
„ archæ Sancti Benedicti mihi dederunt in
„ mandatis, ut tentarem facere aliqua,
„ omnibus meis fratribus propria. Man-
„ datum hoc eqnidem ſimpliciter ſecutus
„ ſum ea cogitatione & deſiderio, ut præ-
„ berem occaſionem & animum adderem
„ aliquibus ex illis deducendi ad perfectio-
„ nem id, quod ego nonniſi obiter deli-
„ neavi. Ecce! totam intentionis meæ
„ œconomiam. Hucusque ipſe Joachimus. Cœterum pluſcula commendavit litteris, aſt omnia Francicis, quibus Religioſarum familiarum Ductoribus æquè ac imperio ſubiectis conſultum ivit. Inter homines eſſe deſiit Vir prudentia, & pietate clariſſimus in Monaſterio S. Petri Burgulienſi, Diœceſis Andegavenſis Quinto Idus Aprilis anno milleſimo, ſexcenteſimo, nonageſimo.

Opera

Opera.

M*Editations pour la retraite de dix jours, pour les Superieurs.* Id eſt: *Meditationes pro ſacro decem dierum ſeceſſu, ad ſuperiores accommodatæ.* 4. *Redonis* (Rennes) 1653. E Francico in latinum convertit D. Franciſcus Mezger, & ſub titulo *Dioptræ Politices Religioſæ* vulgavit *Salisburgi typis Joan. Baptiſtæ Mayr.* 1694. 8.

L'Image du Superieur accompli. Id eſt: *Imago Perfecti Superioris.* 4. *Turoni* 1656.

Meditations pour la retraite de dix jours pour les religieux. Id eſt: *Exercitationes & Meditationes decem dierum pro religioſis.* 4. *Redonis* 1662. Eas latinas fecit, & *Salisburgi* typis Joan. Baptiſtæ Mayr, edidit D. Franciſcus Mezger S. Petrenſis *anno* 1695. 12.

Conferences ou Exhortations monaſtiques. Id eſt: *Collationes ſeu Exhortationes monaſticæ.* 4. *Turoni* 1671.

CAPUT XX.

D. Antonius Joſephus Mege.

Ob. 1691.

ANtonius Joſephus Mege Arvernis, ſeu Claromonte ortum habuit. Ubi annum ætatis octavum decimum attigit, ſibi, aliiſque hominibus cumulatiùs profuturus, ſuam caſtitatem, arbitrii, rerumque omnium abdicationem Deo ſolemnibus votis dedicavit Vindocini Nonis Martii, anno milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo tertio. A quo tempore usque ad extremam ætatem ceu ſpeculum antiquæ probitatis, omniúmque virtutum Exemplar inter ſuos eluxit. Omnium hominum ſalutem, ſempiternàque commoda ardentiſſimè ſitiit, eaque propter illa ſtudia & lucubrationes maximi ſemper fecit, non quæ ſententiarũ acumine & ſplendore orationis auribus & animo illuderent, ſed quæ ad emendandos Chriſtianorum mores quàm accomodatiſſimæ eſſent. Demortuus eſt Pariſiis in S. Germani Monaſterio Pratenſi Decimo ſeptimo Calendas

das Maji anno milleſimo, ſexcenteſimo, nonageſimo primo.

Opera.

S. *Ambroiſe de l'origine, de l'excellence, & des avantages de la Virginité traduit en François.* Id eſt: *S. Ambroſii Ep. Mediol. libri de Virginitate in Francicam linguam traducti cum Diſſertatione de origine, prærogativis, & commodis Virginitatis.* 12. *Pariſiis anno* 1655.

La Morale Chretienne de Jonas Evêque d'Orleans traduit en François. Id eſt: *Jonæ Aurelianenſis Epiſcopi libri* III. *de Inſtitutione Laicali Francicè redditi.* 12. *Pariſiis* 1661.

Inſinuationes Divinæ Pietatis, ſeu Vita, & Revelationes S. Gertrudis Virginis, & Abbatiſſæ Ordinis S. Benedicti, à mendis, quibus ſcatebant, expurgatæ, 8. *Pariſiis apud Fredericum Leonard.* 1662.

Le Pſautier royal, ou les Pſeaumes de la confeſſion compoſez par Dom. Antoine Roi de Portugal, traduits en François. Id eſt: *Pſalterium regale, ſeu Pſalmi de* con-

confeſſione, à Antonio Rege Luſitaniæ compoſiti, in Francicum tranſlati. 16. *Toloſæ* 1671.

Explication des Pſaumes de David, tirée de S. Peres, & des Interpretes. Id eſt: *Expoſitio Davidicorum Pſalmorum, ſumpta ex Sanctorum Patrum, & Interpretum Commentariis.* 8. *Pariſiis* 1675.

Commentaire ſur la Regle de S. Benoiſt. Id eſt: *Commentarium in Regulam S. P. Benedicti.* 4. *Pariſiis* 1687.

La Vie de S. Benoiſt, par. S. Gregoire le Grand avec une explication des endroits les plus importans, & un abregé de l'hiſtoire de ſon Ordre. Id eſt: *Vita S. P. Benedicti, à S. Gregorio Magno ſcripta, cum explicatione quorumdam maximi momenti locorum, & Epitoma hiſtoriæ Ordinis Benedictini.* 4. *Pariſiis* 1690.

Exſtat ejuſdem opuſculum Francico ſermone conſcriptum, *de monte Sanctæ Mariæ de Rupeforti, vulgò Rochefort*....

CAPUT XXI.

D. Ludovicus Bulteau.

Ob. 1693.

LUdovicus Bultellus, Rotomagi, honeſtiſ-

neſtiſſimo loco natus, Vir omni doctrina liberali longè politiſſimus luculentum modeſtiæ, ac demiſſionis exemplum præbuit. Namque abdicato, quod fortuna contulerat, honorifico munere, ſpretíſque copiis, ſeceſſum ſollicitè quæſiit, quò Deo, ſibi, ſacriſque ſtudiis tranquilliùs vacare liceret. Cúmque probaret quidem monaſticæ vitæ diſciplinam, ejus tamen votis obſtringi nollet, Admodum Reverendos Monaſterii S. Germani Pratenſis Patres ſupplex acceſſit rogavitque, ut in *Commiſſorum* numerum cooptaretur. Porrò *Commiſſi*, quos alii *Oblatos* dicunt, in Congregatione S. Mauri certum hominum genus ſunt, quod retenta ſæculari veſte, nullo votò ſolemni tenetur, ſed pacto quodam civili ſe in Congregatione perſtaturum ſpondet, cæterùm ſervilibus Cœnobii miniſteriis, ac Cœnobitarum obſequiis addictum. Ludovici precibus eò promptiùs ceſſêre prudentiſſimi quíque Patres, quò certior ſpes affulſit, fore, ut Congregatio nova Viri exquiſitè docti acceſſione mirum quantum nobilitaretur. Itaque poſt factum biennii periculum, perſeverantiam in Congregatione cum ijſdem pepigit Calendis Maji,

anno

anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſeptuageſimo ſecundo, ætatis quadrageſimo. Aſt receptus in gregem, præter morem, legesque Congregationis â vilioribus muniis abſtractus, & ne cum cœteris Commiſſis, fratribusque laicis confunderetur, ad Clericatum admotus, in ſtudia Litterarum incumbere permiſſus eſt. Quæ gratia inſignia quædam monumenta peperit, in quibus eruditi omnes acquieverunt, ſi unum excipias Bultellum, qui omnia ſua nihili æſtimari, occultari, negligi volebat. Tantus modeſtiæ amor in eruditiſſimi hominis pectus immigraverat! Eum ſubitanea mors vitæ hujus ærumnis, calamitatibúsque in ſupra dicto Monaſterio ſubduxit * Octavo Idus Aprilis anno milleſimo, ſexcenteſimo, nonageſimo tertio.

Opera.

I*Ntroduction à la Sageſſe de Loüi Vivez traduit en François.* Id eſt: *Ludovici Vivis* Indroductio *ad Sapientiam, Francicè verſa.* 12. *Pariſiis* 1670.

Defenſe des ſentimens de Lactance ſur

* Du Pin, Biblioth. nouvel. T. 18. pag. 249. habet 16. April. Malè.

ſur le ſujet de l' Uſure, contre la cenſure d'un miniſtre de la religion pretendüe reformée. Id eſt: *Vindiciæ eorum, quæ Lactantius de Uſura ſentit, adverſus cenſuram cujusdam miniſtri religionis, ut ajunt, reformatæ.* 12. *Pariſijs* 1671.

Le faux depoſt. Id eſt: *Pſeudodepoſitum.* 12. *Lugduni* 1574.

Eſſai de l'Hiſtoire monaſtique d'Orient. Id eſt: *Specimen Hiſtoriæ monaſticæ Orientis.* 8. *Pariſiis* 1680.

Abregé de l'Hiſtoire de Saint Benoiſt. Id eſt: *Compendium Hiſtoriæ Ordinis S. Benedicti.* 4. *Pariſiis* 1684. Duo volumina. Tertium quod typis paratum reliquit, nondum vulgatum eſt.

Dialogues de S. Gregoire le Grand novellement traduits en Francois, avec des eclairciſſemens, & une diſſertation pour en etablir la verité, & les juſtifier Id eſt: *Libri Dialogorum S. Gregorii Magni, noviter tranſlati in linguam Francicam. Acceſſerunt Diſſertatio, & illuſtrationes variæ, quibus veritas eorum, quæ in his libris traduntur, & ipſi Dialogorum libri defenduntur, & vindicantur.* 12. *Pariſiis* 1689.

CA-

CAPUT XXII.

D. Jacobus du Friſche.

Ob. *1693.*

JAcobus du Friſche, prognatus eſt Sagii anno milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo primo. Solemnibus votis Deo in Gemmeticenſi Monaſterio Decimo ſexto Calendas Julii, anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſexageſimo tertio factîs, præter ſtudia pietatis in Sanctorum Patrum tam Græcorum, quám Latinorum libros ſe penitùs abdidit. Deinde cùm animadverteret, vix quemquam in toto Sanctorum Patrum choro inveniri, qui in operum ſuorum editionibus infeliciorem ſortem expertus eſſet, quàm D. Ambroſium, qua de re viri eruditi dudum conqueſti ſunt; Jacobus noſter operæ pretium ſe facturum exiſtimavit, ſi ſociatis cum D. Nicolao Nurrio laboribus, novam Operum Ambroſianorum editionem ſummâ curâ adornandam in ſe ſuſciperet. Quod & * præclarè præſtiterunt, laudante Guilielmo Caveo, Calviniani Dogmatis Sectatore, cu-

* Hiſt. Litter. Eccleſ. ſæc. IV, pag. 168, Genev. 1705.

cujus hæc verba ſunt: „ Egregiam hanc
„ editionem commendant chartæ puritas,
„ & typorum pulchritudo; librorum or-
„ do ritè diſpoſitus; materiæ & temporis
„ ratio accuratè habita: libri genuini à ſpu-
„ riis critico acumine diſcreti; complures
„ Codices MSS. inter ſe, & cum aliis editioni-
„ bus fideliter collati, neque ſine horum
„ autoritate quicquam in textum admiſ-
„ ſum; præclara editorum fides, integri-
„ tas, & diligentia; Tractatuum in Capita
„ diviſio, capitúmque ſummaria collecta;
„ præmiſſa cuivis Tractatui Admonitio,
„ qua de libri veritate, occaſione, argu-
„ mento, tempore, aliisque judicant;
„ præter Notas, quæ ad calcem paginæ
„ adhiberi ſolent; ut de variis, utiliſſimíſ-
„ que Indicibus nil dicam. Caveum eru-
ditiſſimos editores ex vero commendâſſe,
norunt omnes, qui vel jactu, quod ajunt,
oculi præfixas ſingulis Tomis Præfationes
delibârunt. Neque enim manuſcriptos,
quàm plurimos Codices, ad quos ſuam
editionem exegêre, * „ ſubinde, ut fieri
„ ſolet, conſulere ſatis habuerunt, ſed ip-
„ ſorum, editorúmque verſus cum verſi-
bus,

* Præf. Tom. I. Opera S. Ambroſ.

„ bus, voces cum vocibus: ſyllabas cum „ ſyllabis religioſè contenderunt. Cete-rùm, inquiunt, „ illud nos confidimus „ hac noſtra editione aſſecutos, ut ea te-„ la, quæ perpetuo contra Ambroſii au-„ ctoritatem torquebant Catholicæ Eccle-„ ſiæ adverſarii, jam in poſterum ex eo-„ rum manibus eripiantur. Primum enim „ hanc legem nobis inviolabilem eſſe vo-„ luimus, nullam in textum conjecturam „ umquam admittere. Nam quemad-„ modum â Coſterio videmus prudentiſſi-„ mè obſervatum; Qui ingenio dumtaxat ſuo judicióque plusquam debeant, fidunt, neque præſidium omne in antiquorum exemplarium collatione conſtituunt, fieri quidem poteſt, ut quandoque nonnulla, quæ contra Grammaticorum canones depugnent, reſtituant: at voces malé commutatas, ſextentias aut omnino omiſſas, aut in alienum locum reiectas eo modo perſanare neutiquam poſſunt. „ Ne quis „ verò nos putet promiſſis illis fucum fa-„ cere, non ſolùm manuſcriptorum, qui-„ bus ad ſingulos tractatus recognoſcen-„ dos uſi ſumus, catalogum ad calcem vo-„ luminis exhibuimus, verùm etiam ſingu-

lis

„ lis paginis in inferiori margine quid, & „ qua auctoritate commutatum fuerit, ſub- „ monuimus.

Neque verò ea videntur hoc loco præ-termittenda, quorum ope ac ſubſidio Cl. du Friſche, uſus fuerit in hac Ambroſiana caſtigatione. Rem omnem ipſe poſt quæ-dam interpoſita ſic eloquitur: * „ Certè „ quidem manifeſtum eſt ad operum cu- „ juspiam auctoris reſtitutionem non ſuffi- „ cere, ut unus, aut alter codex manu „ exaratus cum editione aliqua confera- „ tur, ſed multis opus eſſe, ut quod in uno „ vitioſum eſt, adjumento corrigi poſſit „ alterius. Immò verò nec etiam ſatis eſt „ multos ſuppetere, niſi variis in regioni- „ bus fuerint ſcripti; cùm ſæpè ſæpiùs con- „ tingat, ut in omnibus unius provinciæ „ manuſcriptis iidem planè errores offen- „ dantur, quod nempe âb uno, & eodem „ exemplari tamquam âb uno fonte illi „ profecti ſint. Qua propter, ut unde- „ cumque licuit, manuſcripti congrega- „ rentur, operam dedimus. Et primùm „ cura fuit, ut oppellæ nonnullæ, quarum „ pauciora ſuppetebant in Galliis exem-

E plaria

* Ibid.

„ plaria, ad aliquot Vaticanæ bibliothecæ
„ codices exigerentur, inſuperque deſcri-
„ berentur illæ variæ lectiones, quibus uſus
„ fuerat ipſe Cardinalis de Monte-Alto.
„ Erant inter eas obſervationes nonnullæ,
„ quæ nobis non omnino fuerunt inutiles;
„ erant præterea conjecturæ plurimæ, quas
„ â Latino Latinio poſtea editas comperi-
„ mus. Deinde manuſcriptos bibliothe-
„ carum Congregationis noſtræ, aut in
„ provinciis, ubi adſervantur, conferen-
„ dos, aut in monaſterium hoc Sancti-
„ Germanenſe afferendos curavimus.
„ Hoc ipſum etiam factum eſt in Codicibus
„ aliquot Flandricis bibliothecarum Ordi-
„ nis noſtri, & in pluribus Gallicis Ordinis
„ Ciſtercienſis, quos nobis ſumma cum
„ benevolentia commodaverunt multo-
„ rum ejusdem Ordinis monaſteriorum
„ præpoſiti; ubi prætermittendum non
„ fuerit, quantum debeamus labori R. P.
„ Joh. Baptiſtæ de Noyville Prioris Ab-
„ batiæ Vallis-Claræ prope Laudunum,
„ qui & plures tractatus cum monaſterii
„ ſui codicibus officioſſimè contulit, &
„ ſermones quosdam nondum editos ma-
„ nu propria deſcribere gravatus non eſt.
„ Poſtremò celebriores hujusce urbis Bib-
liothe-

„ liothecas, ut puta Regiam, Sorbonicam, „ Victorinam, Colbertinam, aliasque di- „ ligenter perluſtravimus; Unde nobis „ humaniſſimè neceſſarios Codices præ- „ buerunt ij, quibus eorumdem manu- „ ſcriptorum cura, cuſtodiáque deman- „ data eſt. Comprimis verò illud prædi- „ cemus oportet, D. Tonnellerium Can. „ Vict. nobis quaterniones aliquot, quibus „ varias lectiones ad edictionem Ambroſii „ abs ſe deſtinatam colligere cœperat, lu- „ bentiſſimo animo dediſſe; ac ſimiliter „ eruditiſſimum Baluzium non ſolùm co- „ dices è ditiſſima D. Colberti bibliotheca „ nobis affatim ſuppeditâſſe, verùm etiam „ varias lectiones Sermonum Ambroſia- „ norum, atque Epiſtolarum ad opus, „ quod ipſe deſignabat, ex optimæ notæ „ manuſcriptis collectas, quæ ſua in nos „ benevolentia eſt, ultrò detuliſſe. &c. Ex quibus abundè conſtat, quàm paratum, & omnigenis adminiculis fultum hoc nobile Benedictinorum par ad exornandum Ambroſium acceſſerit. Porrò Notæ, quibus abſtruſiora S. Doctoris dicta paſſim illuſtrant, eruditiſſimæ ac â partium ſtudio remotiſſimæ ſunt. Interea tamen doctiſſimi Viri hôc, nec alio modo

de iis ſentiunt: * „ De notis noſtris, quæ
„ hoc in Tomo (II.) frequentiores ſunt,
„ ac longiores illud iterum admonebimus,
„ eas doctioribus ſcriptas non eſſe; quip-
„ pe apud quos diſcipulorum nobis per-
„ ſonam magis convenire, quàm præcep-
„ torum ultrò fateamur. Verùm cùm
„ cerneremus in argumentis longè graviſ-
„ ſimis difficultates, atque ſalebras mini-
„ mè leves ſubinde occurrere, gratiam ali-
„ quam â novis Theologis ſperavimus nos
„ inituros, ſi eorum cauſa ſcabros illos lo-
„ cos complanaremus, quos veterani ille-
„ ſo veſtigio calcare ſolent. Etiamſi au-
„ tem nobis verè ſimus conſcii, pro no-
„ ſtra virili conniſos eſſe, ne vel transver-
„ ſum unguem â Catholica fide recedere-
„ mus; ſicubi tamen, quæ humana infir-
„ mitas eſt; aliquid ei minùs conſonum
„ protulerimus, illud delere non tantùm
„ lacrymis, ſed etiam ſanguine parati ſu-
„ mus. Quin hoc etiam profiteri licet, in
„ iis ipſis opinionibus, in quibus quam
„ quisque anteponat, ſibi ſtatuere maxi-
„ mè liberum eſt, caviſſe nos ſedulò, ne
„ ullis abrepti præjudiciis, usquam â recto
itinere

* Oper. S. Ambr. Tom. 2. præf.

„ itinere deflecteremus. Hæc Viri eruditiſimi, quibus cum modeſtia, candore, rectaque Fide conjunctius nihil dici potuit. Eorum alter adhuc floret, alter, nempe Jacobus du Friſche vitam reddidit in Monaſterio S. Germani â Pratis Idibus Maij, anno milleſimo, ſexcenteſimo, nonageſimo tertio.

Opera.

Sancti Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi Opera omnia, ad manuſcriptos Codices Vaticanos Gallicanos Belgicos &c. Nec non ad editiones veteres emendata. fol. Tomi ſeu Volumina Duo. Tomus prior prodiit *Pariſiis typis, & ſumptibus Joannis Baptiſtæ Coignard* 1686. *Poſterior verò ibidem apud eundem anno* 1690.

Autor Miſcell. Hiſt. & Litterar. * Jacobo du Friſche (quem per errorem, homini non infrequentem, *Joannem* vocat) etiam tribuit *Vitam S. Auguſtini* in nova ejusdem Doctoris Operum editione *libris octo* comprehenſam, additque âb eodem ſusceptam quoque fuiſſe recenſionem *Ope-*

* Vol. 1. pag. 66.

rum S. Gregorii Nazianzeni, quam tamen oppreſſus morte alii cuidam perficendam reliquerit. An is alius ſit Domnus Franciſcus Louvard ê Congr. S. Mauri, vix dubitamus. Hic circa 1709. * Conſpectum edidit novæ editionis Gregorianæ, in quo fatetur *plus ſibi laboris in ſeligendis, quam inveniendis Gregorii manuſcriptis fuiſſe, cum vel ſola Lutetia ſupra ducenta conſervet, è quibus ea imprimis ſequi conſtituit doctiſſimus editor, quæ in Bibliotheca regia, Colbertina, item & Patrum Oratorii, ac Jeſuitarum Bibliothecis deprehendit.* Sunt tamen, qui muſſitent, ſupremam, ad hanc editionem manum non à Franciſco Luvardo, ſed ab alio quopiam erudito Congregationis S. Mauri ſodali exſpectandam eſſe.

CAPUT XXIII.

D. Chriſtophorus Tachon.

Ob. 1693.

CHriſtophorus Tachonius ex oppido Sancti Severi, in Capite Vaſconiæ, Diœceſis Adurenſis originem duxit. In Ordine S. Benedicti tyrocinium fecit anno mille-

* Acta Erudit. lipſ. an. 1709. pag. 94.

milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo octavo, illíque ſolemni voto ſe ſubdidit anno inſequenti ſexto Calendas Februarii in Toloſano B. Mariæ Deauratæ Monaſterio. Hic æquiſſimè, ſapientiſſiméque Verbi Divini Præconibus præcepit, viamque certiſſimam, fructum ex auſcultantium animis referendi, docendo aperuit. De vita demigravit in Monaſterio S. Petri de Manſo-Garnerii octavo Idus Octobris anno milleſimo, ſexcenteſimo, nonageſimo tertio.

Opera.

D*E la Sainteté & des devoirs du* Pre*dicateur Evangelique avec l'art de bien preſcher, & une courte methode de cathechiſer.* Id eſt: *De ſanctitate, ac officiis Evangelici Prædicatoris. Acceſſit ars benè concionandi cum brevi methodo cathechiſmum rudibus tradendi.* 8. *Pariſiis* 1685.

CAPUT XXIV.
D. Jacobus Lopin.

Ob. 1693.

JAcobum Lopinum, virum latinè, ac græ-

cè doctiſſimum Pariſii dedêre. Religioſa vota ſolemni more ſuſcepit in Monaſterio S. Petri de Burgulio, Septimo Idus Octobris anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſeptuageſimo quarto, ætatis undevigeſimo. Domnorum Antonii Pugeti, & Bernardi Montfauconii diligentiam æmulatus, Græcorum monumenta Litteraria latinitate donanda omnem operam contulit, quoad vixit. Extremum vitæ diem confecit in Monaſterio S. Germani â Pratis Quarto Calendas Januarii anno milleſimo, ſexcenteſimo, nonageſimo tertio.

Opera.

A*Nalecta Græca, ſive varia opuſcula Græca, hactenus non edita, ex manuſcriptis Codicibus eruerunt, Latinè verterunt, & notis illuſtrarunt Monachi Benedictini, Congregationis S. Mauri.* 4. *Pariſiis. apud viduam Edmundi Martini &c.* 1688. Hi Monachi Benedictini fuerunt Jacobus Lopinus, Antonius Pugetus, & Bernardus Montfauconius. Lopino nominatim in hac collectione tribuuntur *vita S. Euthemii à Cyrillo Scithopolitano,* ſæculi

ſæculi ſexti Autore perſcripta, & *Stephani Junioris Acta*, à *Stephano alio* Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diacono litteris conſignata.

Multa quóque *Athanaſii* latina fecit Lopinus, quæ habes in nova operum Athanaſianorum editione à Domno Bernardo Montfauconio noſtro publici juris facta *fol. III. volum. Pariſiis anno* 1688.

CAPUT XXV.

D. Julianus Gatianus Morillon.

Ob. 1694.

JUlianus Gatianus Morillonius Turonibus vitam attigit ſæculi Septimi decimi anno trigeſimo tertio. Is, poſtquam arctioris vitæ deſiderio in Congregationem S. Mauri ſeceſſiſſet in Redonenſi S. Melanii Monaſterio ſe ſolemnibus votis devinxit anno ejusdem ſæculi quinquageſimo ſecundo. Ad manſuetiores Muſas factus, eâ elegantiâ Francicè plura cecinit, ut præſtantiſſimis eo in genere quibusque meritò exæquetur. Deceſſit de vitæ ſtatione vir immortali lauro digniſſimus in jam lau-

dato Aſceterio Idibus Januarii anno milleſimo, ſexcenteſimo, nonageſimo quarto.

Opera.

Paraphraſe ſur le livre de Job, en vers Francois. Id eſt: *Paraphraſis in librum Job, verſu Francico.* 8. *Pariſiis* 1668.

Paraphraſe ſur l'Eccleſiaſte, en vers Francois. Id eſt: *Paraphraſis in Eccleſiaſten verſu Francico.* 12. *Pariſiis* 1670.

Paraphraſe ſur Tobie, en vers Francois. Id eſt: *Paraphraſis in librum Tobiæ, verſu Francico.* - - - *Aureliani* 1674.

Joſeph, ou L'eſclave fidelle, en vers Francois. Id eſt: *Joſeph - ſeu Captivus fidelis verſu Francico.* - - - *Taurini* 1679.

CAPUT XXVI.

D. Michael Germain.

Ob. 1694.

MIchaël Germanus, Peronæ in Diœceſi Noviſiomenſi genitus, âb ipſo propè ætatis tyrocinio bonarum litterarũ ſectator exſtitit. Admodum adoleſcens, nempe

cùm

cùm annum decimum ſeptimum decurreret, ad Sancti Benedicti Ordinem ſe tyronem adjunxit, ac Decimo quarto Calendas Novembris anno Chriſti milleſimo, ſexcenteſimo, ſexageſimo tertio in Remenſi S. Remigii Monaſterio Sodalium Congregationis S. Mauri Albo poſt edita ſolemnia vota inſertus fuit. Antiquitatum Eccleſiaſticarum, præcipuè Francicarum indagator fuit ſagaciſſimus. Eum Joannes Mabillonius „ ſocium ſuum „ addictiſſimum, amantiſſimum quon„ dam ſodalem, & amicum, nunquam „ ſibi ſatis deſideratum diverſis * in locis adpellat. Nec immeritò ſanè. Nam cum eo noſter Germanus anno milleſimo, ſexcenteſimo, octogeſimo tertio, Pridie Calendas Julii iter Germanicum, Chriſtianiſſimi Regis auſpiciis & ſumptibus aggreſſus eſt, diverſaſque Cermaniæ Bibliothecas, Sancti-Gallenſem inprimis, Augienſem, Auguſtanas duas, Sancti Udalrici nimirum, & publicam, Ratiſponenſem S. Emmerammi, Tegerenſeenſem, & S. Petri Salisburgenſem excuſſit; cujus itineris

* Annal. Bened. Tom. 1. præf. num. 13. & Tom. 1. pag. 456. &c.

ris diſcriptio exſtat in fronte Tomi Quarti Annalectorum. Dolendum ſanè, invaſione Turcica viros eruditos â plurium, earúmque longè inſtructiſſimarum Germaniæ Bibliothecarum perluſtratione inhibitos fuiſſe. Nam quod neſcio quid adverſi ſibi à Leopoldo Magno metuentes Franciam præproperè repetierint, id vel ab ineptientium hominum rumoribus, vel â Leopoldinarum virtutum, inter quas Amor in Litteratos eminuit, ignoratione facilè profectum fuerit. Cæterùm Eruditæ Lipſiæ publica ea vox fuit: „ Optaremus, * autem, ut in itinere iſto Germanico ex Bavaria per Franconiam in Miſniam perrexiſſet cum Socio (Michaele Germano) editor (Mabillonius) & Academiæ noſtræ Bibliothecam, quæ Paulina dicitur, non inſalutatam reliquiſſet. Nam in ea, quod præfiſcini dixerimus, aliquot millia Tractatuum Manuſcriptorum, partim membranaceorum, partim papyraceorum aſſervantur, nec ſcripta tantùm, qualia in Analectis ſuis jam edidit Mabillonius, ſed alia plurima nondum edita, ut benè multi

* Acta Erud. Lipſ. ad an. 1686. pag. 20.

„ multi ejuſmodi Analectorum Tomi ex-
„ inde poſſint concinari; inter quæ & li-
„ bri MSS. extant de Regula, & Conſue-
„ tudinibus Ordinis S. Benedicti, aliorúm-
„ que Ordinum Monachalium; Vitæ item
„ Sanctorum, quales & Mabillonius in
„ Germania obſervavit, quàm plurimæ,
„ verſúsque & rythmi innumeri; bona
„ fide id aſſeverante Bibliothecario Cl. L.
„ Joachimo Fellero, qui & propediem
„ Catalogum MSStorum ineditorum in
„ publicum evulgabit. Quæ verba ex Actis Eruditorum Lipſiæ publicatis in hunc locum transferre viſum eſt partim, ut ampliùs de Germanorum erga Sanct-Maurianos voluntate conſtaret, nec unius imprudentis monachi culpa plurimos alios optime adfectos, ſuſpectos, redderet, partim ut viris illis eruditis, ac humanis pro tam ampla benevoli erga noſtros animi ſignificatione quæcunque hìc gratiarum actio redhiberetur. Cœterum Michael Germanus biennio poſt cum eodem Mabillonio, hortatu Caroli Mauricii Tellerii, Remenſis Archiepiſcopi, Regiis ſumptibus etiam Italiam eo fine perluſtravit, ut collecta inde ſupellectile libraria & Regiam Bibliothe-

cam

cam auctiorem, & univerſam rem Litterariam illuſtriorem redderet. Cœptum eſt hoc iter Calendis Aprilis anno milleſimo, ſexcenteſimo, octogeſimo quinto, & menſe Julio ſequentis anni abſolutum. Utriúsque itineris fructus extitêre uberrimi; ut cernere eſt in Analectorum Tomis, Muſæo Italico, aliisque in quibus elaborandis Michaël diligentiſſimus Mabillonii adjutor fuit. Vitam clauſit in S. Germani Monaſterio Pratenſi Decimo Calendas Februarii anno milleſimo, ſexcenteſimo, nonageſimo quarto.

Opera.

Hiſtoire de l'Abbaïe royale de Notre Dame de Soiſſons. Id eſt: *Hiſtoria Regii Parthenonis S. Mariæ apud Auguſtam Sueſſionum*, 4. *Pariſijs* 1677.

Rogatus â Mabillonio, compoſuit etiam *Librum Quartum Operis de Re Diplomatica, qui eſt de* Palatiis *veterum Regum Francorum, Villisque Regiis*, in quibus diplomata data reperiuntur.

CA-

CAPUT XXVII.

D. David, Placidus Porcheron.

Ob. 1694.

DAvid, Placidus Porcheron, Vir in Geographicis apprimè verſatus, lucem hauſit in Diœceſi Bituricenſi apud Caſtrum Rodulfi anno altero ſupra milleſimum, ſexcenteſimum, quinquageſimum. Solemni Monaſticorum votorum ſponſione ſe Ordini Benedictino tradidit in S. Remigii Cœnobio Remenſi ſexto Calendas Auguſti anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſeptuageſimo primo; rebusque humanis exemptus eſt Decimo ſexto Calendas Martii anno milleſimo, ſexcenteſimo, nonageſimo quarto. Ejus funus in Monaſterio S. Germani à Pratis curatum fuit.

Opera.

A*Nonymi Revennatis, qui circa Sæculum Septimum vixit, de Geographia. Libri Quinque.* 8. *Pariſiis* 1688.

CAPUT XXVIII.

D. Claudius Bretaigne.

Ob. 1694.

CLaudius Bretaigne Semurii, in Diœceſi Auguſtodunenſi, natus, ſolemni votorum monaſticorum nuncupatione ſe conſtrinxit in Reomaënſi Sancti Joannis Monaſterio (vulgò *Moutier Saint-Jean*) Octavo Idus Novembris anno milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo quarto, cùm annus ei eſſet decimus nonus. Relictis rebus mortalibus ad immortalitatem, quam animo ſemper circumtulit, aliiſque ut circumferrent, ſedulus autor fuit, diſceſſit Rotomagi in Monaſterio Beatæ Mariæ de Bono Nuntio octavo Calendas Auguſti anno Domini milleſimo, ſexcenteſimo, nonageſimo quarto.

Opera.

L*A Vie de M. Bechelier De Gentet.* Id eſt: *Vita Domini Bachelier De Gentes.* 8. *Remis* 1680.

Meditations ſur les principaux devoirs

voirs de la vie religieuſe marquèes dans les paroles de la profeſſion des religieux, avec des Lectures ſpirituelles tirées de L'ecriture ſainte, & des Peres, pour une retraite de dix jours. Id eſt: *Meditationes de præcipuis religioſæ vitæ officiis, in religioſæ Profeſſionis formula expreſſis cum ſpiritualibus Lectionibus de S. Scriptura, & ſanctis Patribus depromptis, pro Sacro decem dierum ſeceſſu.* 4. *Pariſiis* 1689. & *in* 8. *anno* 1696. *ac* 1703. *ibid.*

CAPUT XXIX.
D. Joannes Garet.

Ob. 1694.

JOannes Garetius primum cœli ſpiritum hauſit apud Portum Gratiæ in Diœceſi Rotomagenſi, non Rotomagi, ut quidam * tradidit. Severioris vitæ conſilia ſolemnibus ex Benedictina Regula votis roboravit Vindocini ſexto Calendas Aprilis anno milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo ſeptimo, ætatis anno vigeſimo jam adito. Is in veterum Autorum, præſertim Eccleſiaſticorum pervolutandis commentariis multus fuit, ſingu-

F laré-

* Mellang. Hiſt. & Litter. volum. I. pag. 63.

laréque judicium in conſtituenda codicum manuſcriptorum ætate omnibus probavit. Conſiliorum ſuorum fautores, amicóſque habuit eruditiſſimos viros Emericum Bigotium, Lucam Acherium, Simonem Bugiſium è noſtris, Petrum Pelheſterum Rotomagenſis Metropolis Bibliothecarium, & deníque Nicolaum Nurritium, ſeu Nurrium. quem ipſe * *ſtudiorum ſuorum ſocium, & laboris participem vocat.* In vindicandis, tuendisque priſcis Ordinis ſui ornamentis nemini ceſſit Garetius, iis indignari ſolitus, qui Benedictinorum, aliorumque Cœnobitarum fidem in ſuſpicionem adducunt propterea, quòd domeſtica, & â majoribus accepta decora minimè prodigant, ſed fortiter ipſi aſſerant, & propugnent. „ Nemini profectò (ita * Diſſertationem de Caſſiodori Senatoris vita Monaſtico - Benedictina contra Cardinalem Baronium auſpicatur) „ nemini pro-
„ fectò diſplicere debet genuinus ille pie-
„ tatis ardor, & inſita Monachorum ani-
„ mis in Ordinem ſuum propenſio, qua
„ provehendis illius utilitatibus, & gloriæ
cer-

* Oper. Caſſiodor. Tom. 1. præf. pag. XI.
* Ib. T. 1.

„ certatim incumbunt: ſi tunc tamen non
„ immodicè ferveant ſtudia partium, ſi faceſſat ambitus, ſi exulet cupiditas, & præcipuè, quæ ſcribentium ſumma ſit religio,
„ ſi nullus veritati fucus accedat. Verū pleroſque video ſusque eò difficiles, & moroſos, ut nihil auctoribus, qui ſodalitio
„ alicui aut religioni nomen dedêre, concedendum velint, dum domeſtica proponunt, quamvis auctoritas ſuo pondere gravis, & ratio ſuis librata momentis,
„ quæ in cauſæ ſubſidium veniunt, ſecus
„ eis ſuadeant. Solum ſcriptoris nomen,
„ aut operis titulus eis nauſeam parit, & eo
„ terrentur, velut offendiculo veritatis.
„ Quapropter ne Benedictinum me in Benedictinâ Controverſia (de Caſſiodori
„ vita Monaſtico - Benedictina) verſantem damnet neſcio quis; ſciat velim diſſertationis hujus ſcopum non eſſe, ut
„ quid novum accenſeam Ordini meo,
„ qui penè ad invidiam locuples, & felix,
„ nihil alienum, aut ſuppoſitium, nihil furto abreptum, aut precariò conceſſum
„ ambit. Litandum eſſe veritati, non cupiditati, conſcientia docet. Quæ graviſſima Garetii verba ad obterendas quorun-

dam Scriptorum calumnias, quibus Ordinem Benedictinum gravant, perquam accommodata ſunt. Jam verò Opus, ad quod maximam ſuam induſtriam contulit Garetius, eſt nova, eáque quoad ejus fieri potuit, emendatiſſima Aurelij Caſſiodori Senatoris editio, in qua tamen eruditiſſimus, Joannes Martianæus, ejusdem Congregationis Alumnus quædam reprehendit, deſideravitque. * „ Neque tamen, ſecundum eundem Martianæum, „ negli-
„ gentia vel inſcientiæ accuſandus eſt Ga-
„ retius noſter, qui in ultima Caſſiodori
„ Operum editione hos non emendavit
„ codicum, ſeu editorum ſeu manuſcrip-
„ torum errores. Is quippe, ſicut & alii,
„ qui edendis SS. Patrum lucubrationibus
„ navant operam, id, quod in melioris
„ notæ libris, manu optima, & vetuſtiſſi-
„ ma exaratis habebatur, bona fide retulit,
„ nec ſui credidit eſſe officii & muneris ea
„ corrigere, quæ in tam venerandæ anti-
„ quitatis codicibus conſtanter legeban-
„ tur. At nulli omnino ingratum, aut in-
„ jucundum fore arbitramur, ſi pro ſu-
„ ſcepto â nobis Canonis Hebræi expli-
can-

* Oper. S. Hieronymi T. 2. Suppl. ad Divin. Biblioth.

„ di munere obſervemus hos omnes lapſus, & errores poſſe âb iis facilè corrigi, „ qui ſacra divinarum litterarum eruditione imbuti, eos tentaverint hac ſacrati „ fontis unda eluere, átque abſtergere. „ Sic ille. Periodum vitæ ſuæ Garetius clauſit in Monaſterio Gemmeticenſi Octavo Calendas Octobris anno milleſimo, ſexcenteſimo, nonageſimo quarto.

Opera.

M*Agni Aurelii Caſſiodori Senatoris, Viri Patritii, Conſularis, & vivarienſis Abbatis Opera omnia in duos Tomos diſtributa ad fidem MSS. Codd. emendata, & aucta, Notis & Obſervationibus illuſtrata cum Indicibus locupletiſſimis quibus, præmittitur illius vita, quæ nunc primum in lucem prodit cum Diſſertatione de ejus Monachatu. fol. Rotomagi* 1679.

In præfatione Operum Caſſiodori pag. II. innuit Garetius abs ſe etiam conſcriptam eſſe quamdam *Notitiam dignitatum, locorum, fluminum, & id genus plurium, quæ notatu digniſſima eo in Ope-*

re (Variarum) *inveniri poſſunt.* Verum ſubdit, *ne nimia foret hujus voluminis moles, ſeparatim curret tantillum hoc opus noſtrum, poſtquam huic editioni manum ultimam admoverimus.* Nec nobis ſatis conſtat, typiſne illa Notitia commendata unquam fuërit necne?

CAPUT XXX.

D. Antonius, Paulus Le Gallois.

Ob. 1695.

ANtonius, Paulus Le Gallois, ſeu Galeſius, Viriæ, non ignobili Nortmanniæ oppido in Diœceſi Conſtantienſi procreatus, Congregationis S. Mauri, emiſſis ſolemnibus votis acceſſit in Remenſi S. Remigii Monaſterio Quinto Calendas Aprilis, anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſexageſimo ſecundo, anno ætatis vigeſimo ſecundo nondum expleto. Verbi Divini Doctor, & Concionator fuit ſuò tempore longè celeberrimus. Qui, dum Cadomi, in D. Petri templo quadraginta diebus verni jejunij cum maximo Urbis plauſu Conciones ad populum habuiſſet, poſtea de rebus inter Catholicos, & Calvinianos contro-

troverſis, rogatus, palàm è ſugeſtu pari cum ſucceſſu diſſeruit, & horum gratiâ Diſſertationum ſuarum Compendium condidit, typìſque mandari permiſit. Hic quidam, qui aliena laude, ac luce jam dudum dolebant, Oratoris, ſibi exoſi famam, gratiamque hominum, qua florebat, quòquo modô & pretio, imminuere cupientes, paucos quoſdam, eóſque imperitos, ac ſibi obnoxios, Sacræ Facultatis Cadomenſis Doctores Theologos eò perpulerunt, ut nonnullas Galeſii ſententias & dicta imprudenti, ac temeraria cenſura notarent. At eam labem ſibi malè adſperſam publicis tribus ſcriptis mox abſterſit Antonius, quibus præter injurias & contumelias nihil opponi âb Invidia potuit. Spiritum Deo reddidit Vir de Eccleſia Catholica optimè meritus, in Monaſterio S. Michaëlis in Periculo Maris, Nonis Decembris anno milleſimo, ſexcenteſſimo, nonageſimo Quinto cùm paulò ante Britanniæ Minoris Hiſtoriam ſcribere aggreſſus eſſet.

Opera.

D*Eclaration ſignifiée à MM. les Do-*

 ćteurs

Ɛteurs de la Faculte de Theologie de Cäen, l'onxieme Fevrier 1686. Id eſt: *Declaratio facta Dominis Doctoribus Sacræ Facultatis Theologicæ Caoomenſis die undecima Februarii anno* 1686. . . . 4.

Factum: ou l'on defend les expreſſions de l'Ecriture ſainte, celles des SS. Peres, & des Theologiens, la doctrine de L'egliſe &c. Contre trois cenſures de quelques Docteurs de la Faculte de Theologie de Cäen &c. Id. eſt. *Vindiciæ Phraſeon, ſeu modorum loquendi Scripturæ Sacræ, Sanctorumque Patrum, ac Theologorum, Doctrinæ Eccleſiæ Catholicæ &c. adverſus tres cenſuras quorumdam Doctorum Facultatis Theologicæ Cadomenſis &c.* . . . . . 4. 1686.

Lettre d'un Ecolier en Theologie à un Eccleſiaſtique de ſes amis ſur deux cenſures faites par les ſoi diſans Faculte de Theologie de Cäen. Id. eſt: *Epiſtola cujusdam Theologiæ Studioſi, data ad Eccleſiaſtici Ordinis amicum, de binis cenſuris, latis à quibusdam hominibus, qui ſibi ipſi nomen ſacræ Facultatis Theologicæ Cadomenſis attribuunt, & uſurpant.* 4. . . . 1686.

Re-

Reponſe charitable à la Lettre diffamatoire addreſſée a L' univerſité de Cain par le P. D. J. contre le R. P. Dom. Antoine Paul Gallois 1686. Id eſt: *Amica Reſponſio ad famoſam Epiſtolam, quam P. D. J. adverſus R. Patrem Domnum Antonium Paulum Galleſium ad Univerſitatem Cadomenſem ſcripſit anno* 1686. 4. . . . . .

CAPUT XXXI.

D. Claudius Martin.

Ob. 1696.

CLaudius Martinus, Turonibus vitam auſpicatus eſt anno reparatæ ſalutis milleſimo, ſexcenteſimo vigeſimo primo. Vix duodecennis matrem amiſit, quæ jam vidua filii, immò ſui propè immemor, in Virginum Deo dicatarum, quas Urſulinas vocant, collegio, intra ejuſdem Urbis mœnia conſtructo ſacrum velum ſuſcepit. Non multo poſt tempore in Canadenſe Americæ Regnum miſſa, barbaras puellas Chriſtianis rudimentis imbuit, tandemque incredibilibus pro Deo laboribus defuncta, ibidem deſeruit terras, ac in cœlum abiit. Interibi Martinus fili-

us, Matris veſtigia ſtrenuè ſecutus illecebras mundi contempſit, Ordinem Benedictinum ſubiit, & apud vindocinum anno milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo ſecundo, Tertio Nonas Februarii, factis ſolemnibus votis, omnia ſua in uno Deo fixit. Exinde vitam omnem inſtituit cum extraordinaria pietate conjunctam, ex qua ſimilitudinem ducerent omnium tum ſuperiorum, inferiorumque tum æqualium mores. Perſpectæ Viri prudentiæ, ac Virtuti ſumma quæque munia delata fuêre. Quatuor & quadraginta annis diverſa Monaſteria gubernavit, ſedecim univerſæ Congregationis præpoſito Generali Operam ſedulò addidit. Cum ingenio ad omnia ſummo, & excellenti valeret, nullum tamen ſcriptionis genus aggreſſus eſt, ex quo fama, & plauſus in Autorem redundaturus eſſet. Ad ſacras piáſque Commentationes, unde ardentiorem ad Dei cultum amoris ſpiritum haurirent omnes, ſubſecivas horas traducens, ſplendidiora molimina Sodalibus relinquebat, quos curioſo ingeniorum delectu habito, nullis non artificiis, machinisve ad reſtituenda Sanctorum Patrum Opera permove-

rebat. Deníque Martino in acceptis referenda ſunt Sanctorum Augiſtini, Ambroſii, Hieronymi, Hilarii, aliorumque tam Latinorum, quàm Græcorum Patrum monumenta vel primævo nitori reddita, vel primùm in lucem vindicata *opera & ſtudio eruditiſſimorum Monachorum è Congregatione S. Mauri*, quorum inclyti, & Eccleſiæ Catholicæ utiliſſimi labores * *in nullorum, niſi indoctorum, malevolorùmve vituperationem venêre.* Integerrimæ ac ſanctiſſimæ Claudii vitæ mors conſenſit, quæ privatum cœnobitam, in Majori Monaſterio Turonenſi agitantem, ad immortalem lucem transtulit Quarto, Idus Auguſti, anno milleſimo, ſexcenteſimo, nonageſimo ſexto.

Opera.

M*Editations Chretiennes, pour les Dimanches, les feries, & les Principales Feſtes de l'année, propres à totutes ſortes de Perſonnes, qui aſpirent à la perfection de la vie Chretienne.* Id eſt: *MeditationesChriſtianæ pro Dominicis diebus, feriis, & præcipuis Feſtis totius anni, omnibus ad vitæ Chriſtianæ perfectionem conten-*

* Du Pin. Nouv. Biblioth. Tom. XVIII. pag. 223.

tendentibus accommodatæ. 4. *Duo. vol. Pariſiis* 1669. *&* 1684. *apud Petrum de Bats.* Has Meditationes adm. Rev. D. P. Franciſcus Mezger, Monachus Benedictinus in Monaſterio Sancti Petri, Congregationis Salisburgenſis, SS. Theologiæ, & J. V. Doctor latinitate donavit, tributaſque in quatuor partes vulgavit *Salisburgi.* 12. *typis Joannis Baptiſtæ Mayer* 1695.

Conduite pour la retraite du Mois, à l'uſage des religieux de la Congregation de S. Maur. Id eſt: *Modus & ratio ſe rectè habendi in ſacro ſeceſſu menſtruo: ad uſum Monachorum è Congregatione S. Mauri.* 12. *ibidem.* 1670. Liber multoties recuſus.

Practique de la Regle de S. Benoiſt. Id eſt: *Praxis Regulæ S. Benedicti.* 12. *ibidem* 1680. *apud Ludovicum Billaine.* Maximè pium, & ſummi uſûs opuſculum ſæpè ad typos revocatum.

La Vie de la Venerable Mere Marie de l'Incarnation, Superieure des Religieuſes Urſulines en Canada. Id eſt: *Vita Venerabilis Matris Mariæ de Incarnatione, Superioris Religioſarum virginum Urſulianarum in Canada.* Hæc eſt Claudij Mater. 4. *Ib.* 1677.

Les Lettres de la Vén. M. Marie &c. Id eſt: *Ejusdem Mariæ de incarnatione Epiſtolæ.* 4. *Ibid.* 1681.

Retraites de la M. Marie &c. Ejusdem ſacra Exercitia. 12. *Ibidem* 1682.

L'Eſcole ſainte, ou Explication familiere des myſteres de la foy, de la M. Marie &c. Id eſt: *Schola ſacra, ſeu familiaris Explicatio myſteriorum fidei, eadem Autore.* 12. *Ibidem* 1684.

CAPUT XXXII.

D. Ludovicus Seroux.

Ob. 1702.

LUdovici Seruſij natalis annus incidit in annum Domini milleſimum, ſexcenteſimum, vigeſimum octavum, quo patriam ſortitus eſt Compendium, ſat celebre Diœceſis Sueſſionis oppidum. Contemptis commodis, quorum largam ſpem Mundus, elegantiúsque ingenium ſuggerebant, in Remenſi S. Remigij Archi-Monaſterio tertio Idus Octobris anno milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo octa-

octavo, nuncupatis ſolemnibus votis, quod factu optimum erat, elegit. Porrò nihil metuens, ne amœniorum Muſarum cultu juratæ vitæ ſanctimoniæ officeret, iis operam feliciter dedit, locumque inter Poëtas Francicos nequaquam poſtremum conſecutus eſt. Naturæ debitum ſolvit in Monaſterio S. Quintini de Monte, Decimo Calendas Maji anno milleſimo, ſeptingenteſimo, ſecundo.

Opera.

L*A Paſſion de JEſus-Chriſt en vers.* Id eſt: *Paſſio Domini N. J. Chriſti metro Francico.* 12. *Pariſiis* 1687.

CAPUT XXXIII.

D. Andreas Roze.

Ob. 1703.

ANdream Roſeum, virum impensè doctum Francica Sancti Mauri Congregatio debet Britolio, loco in Diœceſi Ebroicenſi poſito. Ad illius alumnos ſe applicans Roſeus, anno ætatis vigeſimo in Monaſterio Beatæ Mariæ de Lyra ſolemniter

ter vovit Quarto Nonas Auguſti anno Chriſti milleſimo, ſexcenteſimo, ſexageſimo octavo, vitæque reliquum in Virtutum, & Doctrinarum ſtudiis collocavit. Elatus eſt in Monaſterio Sancti Joannis Laudunenſis Quinto Calendas Novembris anno milleſimo, ſeptingenteſimo, tertio.

Opera.

Nouveau *Syſteme par penſées ſur l'Ordre de la Nature*. Id eſt: *Novum Syſtema cogitandi de Ordine Naturæ*. 8. *Pariſiis* 1696.

CAPUT XXXIV.

D. Claudius Hugo Mathoud.

Ob. 1705.

Claudius Hugo Mathoud, ſeu Mathudius, gente Burgundus, Matiscone vivere occepit anno milleſimo, ſexcenteſimo, vigeſimo ſecundo. Ad inſtauratam Benedictini Ordinis in Francia diſciplinam animum cùm adpuliſſet, in eam ſolemni more juravit Vindocini Sexto Calendas Octobris anno milleſimo, ſecenteſimo, trige-

trigeſimo nono. Accerrimo ingenio pollens, Philoſophiæ, Theologiæ, in qua Domnum Hilarionem de Febure è noſtris Magiſtrum audiit, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, omnigenarúmque Antiquitatum ſtudio ſe comprimis, maximáque cum laude dedit. Non unis ſuis ſodalibus, quos circa annum milleſimum, ſexcènteſimum, ſexageſimum tertium in Senonenſi S. Columbæ Monaſterio Prior rexit, ſed etiam eruditioribus quibusque ſui temporis Viris in cultu, & amore fuit. Eum ſingulari humanitate complexi fuêre VV. CC. Valeſii Fratres, Philippus Labbèus S. J. Joannes Launoius, Carolus de Hanniques de Benjamin Archidiaconus Stampenſis, Joannes de Montpezat Arciep. Senonenſis, Jacobus Boileau ejusdem Eccleſiæ Decanus Pereyretus, Regiæ Navarræ Præfectus, & Domnus Lucas Acherius, cujus poſterioris *ope, hortatu, privatis & publicis pro ſe ſtudiis, & crebra litterarum, ac ſchedularum tranſmiſſione*, ut ipſe confitetur * Mathudius, tandem inſigne illud opus perfectum eſt, quô Roberti Pulli, & Petri Pictavienſis, veterrimorum Scilicet Scholaſticorum

* Oper. Rob. Pulli Præf. fin.

ſticorum Theologorum libri Sententiarum eruditiſſimè illuſtrantur. Finem vivendi fecit Vir de Eccleſia Senonenſi peregregiè promeritus in Cabilonenſi Sancti Petri Monaſterio tertio Calendas Maij anno milleſimo, ſeptingenteſimo quinto.

Opera.

R*Oberti Pulli S. R. E. Cardinalis, & Cancellarii Theologorum, ut vocant, Scholaſticorum Antiquiſſimi Sententiarum Libri VIII. item Petri* Pictavien*ſis, Academiæ Pariſienſis olim Cancellarii Sententiarum Libri V. nunc primùm in lucem editi, ac Notis, atque Obſervationibus illuſtrati. fol. Pariſiis ſumptibus Simeonis Piget* 1655.

De vera Senonum origine Chriſtiana adverſus Joannis de Launoy Theologi quondam Pariſienſis criticas obſervationes Diſſertatio. 4. *Pariſijs apud Simonem La Gronne* 1687.

Catalogus Archiepiſcoporum Senonenſium ad fontes hiſtoriæ noviter accuratus. 4. *ibidem apud eundem* 1688.

CAPUT XXXV.

D. Joannes Mabillon.

Ob. 1708.

DOmnus Joannes Mabillon honeſtis parentibus natus eſt die XXIII. Novembris anni M. DC. XXXII. in vico SanctiPetri de Monte, vulgò *Saint Pierre-Mont*, diœceſis Remenſis, in Campaniæ finibus, duabus, circiter Gallicis Leucis â Muſcipoute. Ruri primis Grammatices elementis imbutus, poſtea Remos maturè miſſus, liberalibus Artibus in Academiæ gymnaſio operam navavit. Progreſſus is fuit, qui parentum, magiſtrorumque ſpem longè ſuperaret. Quæ tum elucebant in juvene ſingulares animi dotes, ingenii ſagacitas, judicii maturitas ætate major, utrique par modeſtia, nec pietas minor, quis qualíſque futurus eſſet adultus, jam portendebant: adeò ut doctrina & virtute cœteris prælucentem Mabillonium ſine invidia ſuſpicerent ſodales, ipſique magiſtri non ſine admiratione in exemplum aliis proponerent.

Tantæ ſpei adoleſcentem, ut arctiùs Diœ-

Diœceſi Remenſi manciparent ejuſdem rectores, locum ei conceſſerunt anno MDCL. in Metropolitanæ Eccleſiæ Seminario; ſed alium jam deſignaverat ſuperna Dei providentia. Expleto quippe Philoſophiæ curſu, frequentatíſque per annum Sacræ Theologiæ ſcholis, monaſticam vitam in Congregatione S. Mauri amplecti conſtituit. Admiſſus pro votis in celebre, quod exſtat in urbe Remenſi, Sancti Remigii monaſterium, ubi tum inſtituebantur Novitii, ibíque per annum probatus, ſolemnem profeſſionem emiſit die VI. Septembris anni MDCLIV. Tantos autem in virtute progreſſus fecit juvenis monachus, tantæque animi dotes ſingulari cum pietate in eo relucebant, ut ſummam de eo ſpem jam tum conciperent Superiores Congregationis. Sed ſpem in arcto poſuit contractus ex fervore nimio morbus. Dum enim fidei ardori magis, quàm corporis imbecillitati conſulens Mabillonius acriori, quàm par erat, ſtudio in exercitia pietatis incumbit, in graviſſimum, cúmque continuum capitis dolorem incidit, quo diu conflictatus, ſic defecit, ut, qui aliis rectè cogitandi exemplar futurus

erat, vix cogitare ac ne vix quidem officium divinum recitare poſſet. Tentatis primùm remediis morbus exaſperabatur potiùs, quàm leniebatur. Unde cùm ſpes exigua ſupereſſet, ad monaſterium Beatæ Mariæ de Novigento prope Cordiciácum miſſus eſt: Ut ruris otio, & liberiori cœlo afflicta valetudo refici poſſet.

Grata quidem Mabillonio fuit Novigenti ſolitudo: At eadem ſemper corporis valetudo. Inter eas tamen nebulas, quibus velut obfuſcabatur nobile ingenium, ſe prodebat animus ad antiquitatis perveſtigationem comparatus. Dum enim morbi pertinatioris evincendi cauſa rebus externis vacat; rudera omnia Monaſterii vicinorumque locorum, triſtes Calviniani furoris reliquias, aliave, ſi quæ nunciarentur, antiqua monumenta ſollicitus perluſtrabat, ut abditum quidpiam inde erueret, quo animũ jam tum antiquarum rerum cupidum expleret, Miſſus initio Julii anni MDCLVI. Corbejam veterem, nobile agri Ambianenſis monaſterium, antiquis monumentis, manuſcriptíſque codicibus, rebus Mabillonio gratiſſimis, locuples; cum nec iis vacare pro votis, nec ſcho-

ſcholas, quæ tum ibi habebantur, aſſiduè frequentare, imo nec regularibus exercitiis inſiſtere, præ morbo, liceret, exterioribus officiis deputatus eſt. Viliora non refugit humilis monachus: Sed ad præcipuum cellarii munus promotus; ſuſcepit quidem hortante obedientia, ægrè tamen. Terrebat nempe in eo munere gravior, ac multiplex rerum temporalium cura, frequentiórque cū ſæcularibus hominibus conſuetudo, in quibus modum tenere, nec umquā extra cancellos religioſi ſtatûs egredi, arduum. HæcMabillonio, ad tranquilla ſolitudinis otia nato, moleſtiſſima cùm eſſent, imo & periculoſa viderentur, ab importuno munere abſolvi petiit, obtinuitque.

Inter ea ſacer bresbyteratus ordo, ad quem promotus eſt die XXVII. Martij an. MDCLX. novos pietati ſtimulos addit, cujus fovendæ gratia optimos quoſque libros, quantum per valetudinem licebat, evolvit. Dum in tot ſanctorum hominum, qui Corbeam olim pietate, ac eruditione ſua illuſtrârunt, vitas, & hiſtoriam, quò exemplis eorum accendi poſſet animum confert; incidit in hiſtoriam Adalhardi, ſanctiſſimi quondam Corbejenſis abbatis,

præ cæteris impenſiùs ſtuduit. Cúmque legiſſet, ſanctum Gerardum, Corbejenſem undecimo ſæculo monachum, eadem fermè corporis infirmitate laborantem, atque ipſe tunc conflictabatur, Adalhardi precibus & meritis convaluiſſe; eadem ſpe, & ipſe fretus ſanctiſſimum abbatem humilibus, continuiſque precibus rogavit, ut, quod olim Gerardo præſtiterat, ſibi non denegaret. Nec vana fuit ſpes: quæ enim medicamenta tenacis morbi vis hactenus vicerat, eadem effectum paulatim ſortita, acerrimum, ac diuturnum capitis dolorem levare primùm cæperunt, ac demum penitùs depulerunt. Reddito ſibi Mabillonio prima cura fuit meritas Adalhardo gratias referre. Et ut in hoc etiam inſiſteret Gerardi veſtigiis, qui, ut gratum ſe præberet in beneficum ſibi ſanctum, ejus vitam, antiphonas, & reſponſoria in ejus feſto decantanda compoſuerat; ipſe accepti beneficii memoriam ſignificare ſtuduit, editis in Adalhardi laudem hymnis, qui etiam nunc in Abbatia Corbejenſi in illius feſto cani ſolent. Hoc primum Mabyllonii peritiæ ſpecimen Corbejenſibus probatum cùm fuiſſet, âb iis rogatus hymnos

etiam

etiam in laudem ſanctæ Bathildis reginæ compoſuit: tum ad alia ejusdem monaſterii officia propria manum admovit, & vel nova edidit, vel vetera emendavit: quæ omnia in unum collecta typis edita ſunt, ad uſumEccleſiæ Corbejenſis. Et hic primus fuit fœtus confirmatæ â morbo valetudinis Mabillonii, uberiores poſthæc & ampliores editurí.

Miſſus anno MDCLXIII. in regalem Sancti Dionyſii abbatiam prope Pariſios, ibi per annum cimeliarchæ munus ſic implevit ut ſtrenuam litteris operam navaret. Tum temporis degebat in ſuburbano Sancti Germani à Pratis Pariſienſi Monaſterio domnus Lucas D'Acheri, qui in eruenda colligendaque ſummo cum delectu vetera monumenta indefeſſus incumbebat. Spicilegii nomen indiderat operi, cujus aliquot Tomos, ſummo cum eruditorum omnium plauſu, jam in lucem emiſerat. Monente verò exacta jam, & affecta ætate ſarcinas colligendas eſſe, conſilium fuit, aliquem eximiæ ſpei adoleſcentem in partem operis vocare, qui & poſt auctoris mortem perſequi poſſet. Oculos ſtatim conjiciunt ſuperiores in Mabillonium,

quem egregio ad litteras ingenio natum probè noverant. Vocatur itaque ut ſuppetias ferat venerando ſeni. Tulit ille, nec litterarias modò, ſed & civiles quaſcumque potuit, in infirmum præſertim ſenem beneficus, & officioſus. At anguſtis Spicilegii (cujus tamen poſteriores ſeptem tomi ipſo juvante vulgati ſunt) limitibus contineri non potuit vaſtiſſimum ingenium. Curas in novam Sancti Bernardi operum editionem conferre compulſus eſt. Eam quidem ſuſceperat domnus Claudius Chantelou, qui delectos quoſdam ſermones uno volumine in quarto comprehenſos jam publicaverat. Sed dum novam omnium operum editionem parat, inopina mors piis conatibus intercedens, rem infectam, vixque cœptam dimittere jubet, totumque onus in Mabillonium devolvit. Subit ille, nec invitus, pro innata ſibi in Bernardum pietate, mſs. codices undique conquirit, diligenter conſulit, errata præcedentium editionum corrigit, genuina à ſpuriis ſecernit plura hactenus inedita luce donat, omnia denique doctiſſimis præfationibus, notis, & obſervationibus illuſtrat. Prodiit ea editio an-

no MDCLXVII. tum duobus voluminibus in fol. tum novem minoribus in octavo; Opus eruditis omnibus acceptiſſimum celebritatem, & nomen tota Europa fecit auctori, magnaque ex tam præclaris initiis conſtituta in eo ſpes omnium Tam felici ſucceſſu permoti Superiores noſtræ Congregationis, animum ad ſanctorum Patrum, tum Græcorum, tum Latinorum editiones ad antiquorum exemplarium fidem expurgandas adjecerunt; quod factum hactenus eo ſucceſſu, quem non modò probi quique ſed & Eccleſiæ præſules, ipſique ſummi Pontifices non ſemel gratulari haud dedignati ſunt.

Diſtractis verò prioris Bernardi editionis exemplaribus, novam prœlo ſubjicere rogatus Mabillonius, eò libentiùs annuit, quò ſtudiis in Bernardum aſſiduè collatis, auctiorem, ac perfectiorem editionem ejus operum dudum meditabatur. Accuratè igitur recognitis ſancti Doctoris operibus, ſecundam editionem duobus tomis in folio publicavit anno MDCXC. auctam quinquaginta ferè novis epiſtolis, pluribusque diſſertationibus præviis, & annotationibus illuſtratam;

adeò ut ſecunda hæc editio numeris omnibus abſoluta dici poſſet, niſi ea iterum brevi diſtracta tertiam majori ſtudio perpolire, novisque acceſſionibus locupletare cogitâſſet vir doctiſſimus, ſi Deus vitam paulo diutiùs produxiſſet. Libros de Conſideratione elegantioribus typis, commodiorique forma ſeparatim edi curavit anno MDCCI. monitus acceptiſſimũ munus fore Clementi XI. Romano Pontifici, ſi opus â Bernardo ſcriptum ad Eugenium Papam, ejus ſucceſſori nuncuparetur, qui id in promptu, velut quoddam enchiridion, ſe habere velle declaraverat.

Aliud, nec minùs operoſum, maximìque ad Ordinem noſtrum, imo & Eccleſiam momenti conſilium mente dudum agitabant majores noſtri, ut nimirum generalis, & accurata Ordinis Sancti Benedicti hiſtoria conſcriberetur. Jamque materiam operis parari juſſerant, miſſis varias in provincias, ac regiones peritis monachis, qui monaſterio rum, & Eccleſiarum bibliothecis, & Archivis ſollicitè perluſtratis, ex ijs colligerent, quæcumque in rem facere viderentur. Eo loco res erant, cùm Mabillonius Pariſios venit. Ubi prima

ma ſui ſpecimina dedit, omnium ſtatim opinio fuit, nec vana, peritiorem nullum architectum tantæ molis operi præfici poſſe. Paruit ille Superiorum mandatis; remque ut âb imis fundamentis duceret, â publicandis ſanctorum Ordinis actis authenticis, è quibus præcipua hiſtoriæ noſtræ capita petenda erant, incipiendum eſſe ſibi meritô cenſuit. Jam igitur collectis ab Acherio benè multis ſanctorum actis ad ea in unum corpus redigenda, & in ordinem digerenda, habita ſæculorum, & temporum ratione, agreſſus eſt Mabillonius, ſincera â ſpuriis, integra â vitiatis, certa ab incertis ſecernendo, omnia verò criticis annotationibus, & obſervationibus illuſtrando. Primum tomnm vulgavit anno MDCLXVIII. quem paulatim ſecuti ſunt alii octo: unus dumtaxat ſupereſt ad complendum opus, isque ferè typis paratus. Omnibus porrò nomen ſuum ſic præfigi curavit, ut Acherii ſemper præponi, in poſterioribus Ruinarti adjungi voluerit: quamquam cujus potiores eſſent in opere partes, nullus neſciret. Quantum valeat ea actorum collectio non tantùm ad informandos ſanctorum exemplis mores, ſed

etiam

etiam ad illuſtrandam hiſtoriam tum civilem, tum Eccleſiaſticam, tum monaſticam, imo & ad firmanda Catholicæ religionis dogmata, norunt eruditi, quibus eorum actorum ope, ac facem præferente Mabillonio, licet multa hiſtoriæ capita obſcuriſſima, ac pæne impervia tutò pervadere, quæ nemo hactenus niſi infeliciter tentaverat. Sed pretium augent quam maximè erudititiſſimæ illæ præfationes, ſingulis tomis præmiſſæ, tanti viſæ multis, ut eas ſeparatim edere non ſemel cogitarint. In iis verò præfationibus ſelecta, eaque difficillima cujusque ſæculi hiſtoriæ capita, ac præcipua quæque, quæ ad diſciplinam tum Eccleſiaſticam, tum monaſticam pertinent, ipsáque dogmata ſic pertractantur, ut miretur, quisquis legerit, ſummam auctoris eruditionem, nec minorem eruditione modeſtiam. Si quem enim interdum confutat (plures certè, nec infimi nominis viros, feriit ejus cenſura) tam modeſtè, tam civiliter ac urbanè confutat, ut confutantem vel invitus amet, qui confutatur. Certè quantum lucis attulerit vir doctiſſimus controverſiis, quæ nono ſæculo de rebus Euchariſticis efferbuerunt, quan-

quantas difficultates ſecuerit, patefactis quorumdam operum genuinis auctoribus; quantum rem Catholicam juverit, hæreticam afflixerit, verum quæſtionis ſtatum aperiendo & reſtituendo, grati agnoſcunt eruditi omnes. Nemo neſcit, nomen, & ætatem Anonymi Cellotiani per Mabillonium nobis innotuiſſe, Ratramno Corbejenſi monacho invictè aſſertum fuiſſe librum de Corpore, & ſanguine Domini, de quo priùs ambigebatur, Ratramni an Joannis Scoti Erigenæ fætus eſſet utriúsque demum auctoris Catholicam de Euchariſtia fidem à Calvinianorum objectionibus ſtrenuè vindicatam fuiſſe. Alia multa ſileo; quibus eruditarum præfationum pretium commendari poſſet: hæc quippe uſu & lectione, notiora fiunt, quàm verbis.

Initio tamen non omnes, è Benedictina familia præſertim, collectioni Mabillonianæ æqui, boníque conſuluerunt. Quem enim modum tenuit vir recti amans, veritatisque ſtudioſiſſimus in deligendis ſanctorum actis, nec niſi veris indubitatíſque Ordinis alumnis Ordini vindicandis & aſſerendis, is diſplicuit pluribus, quos immodicum Benedictini nominis ſtudium in-

infuſcaverat. Malè actum cum Ordine exiſtimabant illi, ſi Benedictinus eos albo ſanctorum noſtrorum expungeret, quos credula nimis majorum noſtrorum pietas Calendariis noſtris inſcripſerat. Hinc multiplices in auctorem querelæ ſparſaque ſcripta, interdum duriora. Ingrata quidem hæc illi fuêre, ſcriptisque apologiis propoſitum ſuum approbare præpoſitis neceſſe fuit: ſed quidquid egerint adverſarii, flecti numquam potuit animus veri tenax, palamque conteſtatus eſt Mabillonius, malle ſe â ſcribendo penitùs ceſſare, quàm Ordinis gloriæ ultra modum ſtudioſis gratificando quidquam ſcribere, quod â veritate, & ſinceritate, præcipuis hiſtoriæ ſcriptoris dotibus, vel latum unguem declinaret. „ Ut æquitatis amor, ajebat ille in apologia mſs. „ prima judicis dos eſt, „ ſic & rerum anteactarum ſincera & accurata inveſtigatio hiſtorici munus eſſe „ debet. Judex perſona publica eſt, ad ſuum „ cuique tribuendum conſtituta; ejus judicio ſtant omnes in rebus, de quibus „ fert ſententiam; maximi proinde criminis reum ſe facit, ſi pro virili ſua „ parte jus ſuum unicuique non reddat.

Idem

„ Idem hiſtorici munus eſt, qui & ipſe
„ perſona publica eſt, cujus fidei commit-
„ titur examen rerum âb antiquis geſta-
„ rum. Cùm enim omnibus non lice-
„ at eas per ſe inveſtigare; ſententiam
„ ejus ſequuntur plerique, quos proinde
„ fallit, niſi æquam ferre conetur. Nec
„ ſatis eſt tamen verum amet & inveſti-
„ get, niſi is inſit animi candor, quo inge-
„ nuè & apertè dicat, quod verum eſſe
„ novit. Mentiri ſi Chriſtianis omni-
„ bus, â fortiori religioſam vitam profeſſis
„ nulla umquam ratione licet, longè mi-
„ nus cùm mendacium exitiale, & perni-
„ tioſum multis evadit. Fieri verò
„ non poteſt, quin hiſtorici mendacia ver-
„ tant in perniciem multorum, qui verbis
„ ejus fidem adhibentes decipiuntur, dum
„ errorem pro veritate amplectuntur.
„ Non levis proinde ejus culpa eſt, quæ
„ tot alias ſecum trahit. Debet ergo ſi
„ candidus ſit, procul ſtudio partium cer-
„ ta ùt certa, falſa ùt falſa, dubia ùt dubia
„ tradere, neque diſſimulare, quæ utrique
„ parti favere, aut adverſari poſſint. Hæc
Mabillonij verba, quæ, quo affectus erat
animo, dum ſcriberet, probant: ſed id
ſcrip-

ſcripta ipſa verbis omnibus luculentius demonſtrant.

Cùm verò in præfatione in primam partem tomi tertij actorum inter cætera diſſeruiſſet de materia ſacrificij euchariſtici; probaſſètque contra Sirmundum, perpetuum fuiſſe ſolius azymi panis in eccleſia Latina uſum, nec à Photij tempore adhiberi cœpiſſe; quæ etiam obliquè ſaltem feriebant ſententiam eminentiſſimi Cardinalis Bona, contendentis promiſcuum, & indifferentem fuiſſe, ante Photij Schiſma, azymi, & fermentati panis apud Latinos uſum: hic pro innato ſibi veritatis amore, non moleſtè tulit, imo ad Mabillonium litteras dedit, quibus hortabatur, ut rem accuratiùs & enucleatiùs pertractaret, reſiduosque ſcrupulos excuteret. Paruit ille, diſſertationemque *de pane Euchariſtico, azymo & fermentato* edidit anno MDCLXXIV, in 8. eminentiſſimo Cardinali Bona nuncupatam, in qua retractato toto argumento difficultatem pleniùs ac uberius expendit, ſententiam ſuam novis rationibus, & auctoritatibus muniit, & adverſariorum argumenta, dubia, ſcrupulos omnes diſcuſſit, excuſſitque. Accepta, perlectaque erudi-

dita diſſertatione gratias egit Em. Cardinalis, & de victoria perinde Mabillonio gratulatus eſt, ac ſi ipſe reportâſſet. Procul diſſimilis ab iis, qui diſputationes æternare ſtudent, & quantumvis adverſariorum argumentis obruantur, graviſſimum pondus excutere non valentes, movere tamen utcumque nituntur, nihilque adeò reformidant, quàm victos ſe ſilentio ſaltem ſuo fateri. Quæ vero diſputatio doctiſſimis viris diſcordiæ fomes eſſe potuiſſet, eos potiùs ſanctioris amicitiæ nexibus, ſola morte ſolvendis, ſic conjunxit, quidquid deinceps alteruter ſcripſerit, alteri conſilium ſuum approbaverit, emergentesque ſubinde difficultates propoſuerit.

Paulo diverſa fuit, tum argumento, tum certandi modo controverſia, quam non multo poſt habuit Mabillonius cum uno ê RR. PP. Canonicis regularibus congregationis Gallicanæ, occaſione libelli de Imitatione Chriſti. Eo ferè devenerat cœpta dudum diſputatio, ut cauſæ periculum ex ſcriptis codicibus penderet. Cùm autem plures proferrentur â noſtris, qui Joanni Gerſeni apertè faverent; adverſarii, præeunte Gabriele Naudæo, qui ob

 ſuſceptas

ſuſceptas Romæ cum Conſtantino Gajetano Caſſinenſi inimicitias, iras deinceps per libellos ſuos ubiq; totis paginis adverſus Benedictinos evomuit, nodum hunc ſecare conati ſunt, falſi poſtulando codices; ſicque majores noſtros corruptorum exemplarium reos palam, ac publicè agebant. Fœda certè, ac illiberalis nota, quam â piiſſimis patribus noſtris amoliri officii noſtri eſſe duximus. Facile fuit. Impetratis quippe iis ipſis codicibus, qui falſi poſtulabantur, nec iis tantùm, ſed & illis omnibus, qui ex Italia, Germania, Belgio, & Gallia, quàm maximo numero fieri potuit, corrogari potuerunt, Lutetiamque Pariſiorum adductis, exhibiti ſunt peritis, ſi qui tunc temporis fuerint, perſpicacibus, & â ſtudio partium alienis judicibus, ut decretoriam de ſinceritate aut corruptione ſententiam ferrent. Quibus vero? Clariſſimis viris, Antonio Faure Doctori Pariſienſi Sorbonico, Carolo le Cointe Oratorii Presbytero, Annalium Eccleſiaſticorũ Francorum auctori, Antonio de Vion domino d'Herouval Rationum publicarum auditori, Hadriano Valeſio Hiſtoriographo Regio, Stephano Baluzio, Col-

Colbertinæ Bibliothecæ Præfecto, & Joanni Baptiſtæ Cotelerio ſocio Borbonico: quorum omnium agmen ducebat illuſtriſtimus Pariſiorum archiepiſcopus Franciſcus Harlæus, qui in cauſæ cognitionem deſcendere haud dedignatus eſt, conventumque in ædes ſuas hac de re indixit anno MDCLXXI. Prolatis codicibus, & quàm diligentiſſimè potuit, excuſſis, & ad ſeveriores criticæ leges exactis comprobati ſunt omnes, & âb iis falſi ſuſpicio prorſus remota; quod ſolemni inſtrumento non ſolùm periciſſimi arbitri, ſed etiam illuſtriſſimus archiepiſcopus declarârunt. Cui quidem inſtrumento poſtea ſubſcripſit, expenſis ſeorſim codicibus, qui ad examen vocatus oportuno tempore adeſſe non potuerat, Carolus du Freſne dominus du Cange, regii ærarii Quæſtor, vir in mſs. codicum lectione verſatiſſimus. Exacto dein biennio, cùm ſuos codices exponere non curâſſent adverſarij, noſter Franciſcus Delfau inſtrumentum vulgavit, apologiamque pro Joanne Gerſen edidit, inſtrumenro maximè innixam. Toto triennio, quo ſuperſtes fuit Delvaſius, nulla apologiæ Gerſenianæ reſponſio oppoſita

eſt: eo vero, dum Britanniæ inferioris fretum trajiceret, ſæviente procella aquis obruto, jam inexſpectata prodiit, ſub hoc titulo, „ Vindiciæ Kempenſes à R. P. „ - - - - Canonico Regulari Congrega- „ tionis Gallicanæ, adverſus R. P. Fran- „ ciſcum Delfau &c. Nec id reprehenſione dignum, ſi auctor à verbis temperâſſet, quæ in totius Benedictinæ familiæ redundabant injuriam. Eam diſſimulandam non eſſe ratus Mabillonius edidit anno MDCLXXVII. *Animadverſiones in Vindicias Kempenſes*, in quibus illatas Ordini Benedictino & Delfavio injurias ſolita moderatione propulſat, mſs. codicibus & prædicto inſtrumento fidem, & auctoritatem aſſerit, adverſariique præcipuas objectiones diluit.

Utrumque ſcriptum Delfavii ſcilicet & Mabillonii, ſi legiſſet auctor bibliothecæ criticæ, quatuor tomis diſtinctæ, quæ Gallico idiomate cum omnium offenſione prodiit annis MDCCVIII. & MDCCX. à referendis * tum brevi quodam R. P. Du Molinet, Canonici Regularis, (ſi quæ critico

co

* Biblioth. Critiq. T. 1, pag. 18, & ſeqq. p. 89. & ſeqq.

eo fides) ſchediasmate, tum Naudæi virulento calamo ſcriptis libellis fortè abſtinuiſſet. Sed longè magis debuiſſet, ſi vel oculos injeciſſet in ea, quæ Mabillonius ſcripſit libro III. de Re Diplomatica cap. III. & in Supplemento cap. IV. & XIII. ubi ſingulas Naudæi, aliorùmque Naudæo ſimilium criminationes valide refellit. Hæc diſſimulanda non erant, nec ea iterum in os impingenda, quæ jam turpis calumniæ convicta fuerant; longè minùs audacter pronuntiandum erat, Pariſienſibus omnibus probata fuiſſe Naudæi ſcripta, & ab eo jus omnē ſtetiſſe. Fortè Pariſienſes non erant illuſtriſſimus Pariſienſium archiepiſcopus, Joannes Launojus, * Antonius Faure, Corolus le Cointe, aliique periciſſimi & integerrimi arbitri, qui præmiſſo diligenti examine à Gerſenianis Benedictinorum Codicibus omnem falſi ſuſpicionem removerunt. Præſtat certè ab ejusmodi judicibus abſolvi, quàm à critico damnari, cujus jam notior fides, quā ut cuiquam imponere poſſit ſolita dicendi confidentia. Egregium ſanè judicem, qui ſententiam ferre ne lectis quidē litis inſtrumentis

 auſit

* Vid. Animadverſ. in Vind. Kemp. p. 58.

auſit; imo ex iis ipſis partis unius inſtrumentis, in quibus ingenium non minus, quàm eloquentiam deſiderari fatetur ipſemet. Aſt non admodum attendebat bonus ille Criticus, obviis quibusque modo libros inferciret, ut creſcente librorum & numero, & mole, accreſceret & auctori merces. Sanè legenda erant, quæ ex erudito Societatis JESU presbytero, Maximiliano Raſslero, refert Mabillonius in Supplementi loco citato. Ille diplomatis Lindavienſis vindicias ſuſcipiens adverſus Hermanni Conringii cenſuram, ſancti Benedicti familiam ab inuſta per iniquum cenſorem confecti Lindavienſis diplomatis nota vindicat; * improbatque, quòd attexuerit, hic auctor cenſuræ ſuæ Gabrielis Naudæi ſatyram, an diras, contra totum ampliſſimum magni Patriarchæ cœtum, eamque ipſe latinitate donaverit (idem facinus eſt in novam lucem protuliſſe, quod in oblivione dudum jacebat) quod facere boni viri non fuiſſe dicit. „ Nam vel ea „ labes, inquit, adulterandi nimirum „ Pontificum, Cæſarumque decreta, vel „ mſs. codices, verê adhæſit Ordini tam
incly-

* Defens, diplom, Lindav, c, 1, n. 8.

„ inclyto; vel ab homine irato, & ſui præ
„ vindictæ cupidine impote, ex toto, aut
„ magnam partem per nefas conficta eſt.
„ Si illud; profectò lex illa charitatis, tan-
„ topere in ſacris oraculis inculcata, non
„ faciendi alteri, quod tibi fieri nolis, vul-
„ gari, & propalari arcanũ non ſinebat, tan-
„ toque minùs ſinebat, quod res non unũ
„ aliquem hominem, ſed cætum numerò
„ ampliſſimum, antiquitate venerabilem,
„ & nullis non titulis hodieque præful-
„ gentem, tangebat. Nec enim vel pri-
„ vatus quisque æquo fert animo, quod
„ nullus aut pauci ſciebant, id unius lo-
„ quacitate populi rumorem fieri. Quid
„ ergò neceſſe erat communi eruditorum
„ lingua vulgari (dicerem ego; denuo
publicare) „ quod ſoli Galli, & ex his non
„ multi (jam bene nulli) ad eam diem le-
„ gerant, & ſciebant? At ſi commenta
„ ſunt iſta hominis rancore & invidia ta-
„ beſcentis, ùt ſanè exiſtimo, quæ pru-
„ dentiæ, quæ humanitatis, quæ charita-
„ tis jura ac leges ſinebant, ne dicam jube-
„ bant, tenaci chartarum memoriæ ea-
„ dem illini, & viros planè innocentes tam
„ turpiter, & ignominioſè coram eruditis

„ omnibus traduci? Quem igitur æſtimabimus Contingium (vel Criticum Contingio longè iniquiorem) „ qui iſtud facere non dubitarit? Quid fidei mereatur, qui nullo, vel ſuo, vel publico emolumento famam alienam tam invidè allatravit; tam probroſè traduxit? Hoc omnino eſt artibus non bonis uti. Hæc religioſus Soc. JESU presbyter ad hominem heterodoxum. Sed quid ad catholicum? quid ad ſacerdotem, qui in iis artibus, quas ille non bonas vocat, conſenuit? Facinus horruiſſet vir pius, nec jam artes non bonas, ſed peſſimas, & charactere̅ ſacerdotalem dedecorantes vocare non dubitâſſet. Sed jam ad cœptū ſermonem redeo.

Ex quo vulgandis Sanctorum noſtrorum actis animum adjecerat Mabillonius, varias bibliothecas, & archiva perluſtrare neceſſe fuerat. Ex iis autem, præter Sanctorum acta, alia plurima monumenta litteraria eruit, hactenus inedita, quæ in communem reipublicæ litterariæ uſum publicare operæ pretium viſum fuit. Huic collectioni inditum nomen *veterum Analectorum*, quorum primus tomus prodiit anno M DC LXXV. in octavo tres alii annis M DC-

MDCLXXVI. MDCLXXXII. & MDCLXXXV. Antiqua monumenta ſunt non temere, & prout ſors offerebat, collecta, & inſerta, ſed maturo examine ſelecta, qualia ſunt opuſcula theologica, fragmenta conciliorum chronica, fundationes eccleſiarum & monaſteriorum, Epiſtolæ imperatorũ, regum, ſum̃orum pontificum, & epiſcoporum, inſcriptiones, acta, formulæ, & alia ejusmodi, quibus pretium addunt collectoris notæ, obſervationes, & diſſertationes. Plura alia ejusmodi monumenta in ſcriniis reliquit, ſuo tempore publicanda.

Sed fructum, quem hactenus ex Mabillonii peregrinationibus, plurimisque ab eo luſtratis archivis ceperat reſpublica litteraria, vicit eruditorum omnium judicio, is, quem percepit ex libris *de re diplomatica.* Dum Archiva perſcrutaretur, plura in iis invenerat tum primorum regum noſtrorum, tum imperatorum, tum veterum ſummorum pontificum, tum denique aliorum nobilium virorum diplomata, quorum pulverem excutere vix tentabat quisquam, quia vix legere poterat. Studioſè verò collegit vir ſagaciſſimus, rei

pretii non ignarus. Alium quemvis deterruiſſent inſolentes, ac impliciti litterarum characteres, ſtyli barbaries, ſermonis ambages, ut alia benè multa ſileam, crucem alteri cuivis figere nata. At difficultates improbo labore non tantùm ipſe ſuperavit, ſed & ſuperandi viam alios edocuit, certas regulasque tradidit, quibus tota veterum inſtrumentorum ratio, uſus, formulæ, auctoritas, ſinceritas aut falſitas dignoſci poteſt. Ut tamen non minus novum, quàm arduum ac ſalebroſum erat argumentum, nihil feſtinandum eſſe cenſebat vir prudens, donec maturitatem aſſecutum eſſet tantæ molis opus. At cœpta dudum, jamque ſatis meditata maturare compulit Danielis Papebrochii, viri editis Sanctorum actis celeberrimi tentamen. Is, cùm veterum chartarum nulla ſibi fuiſſet parabilis copia, nullasque ferè ſcripturas audenticas vidiſſet, quod nulla ſibi archiva luſtrare licuiſſet, ùt modeſtè fatetur vir candidus, unius dumtaxat, aut alterius chartæ inſpectione in tranſverſum actus, judicium omnibus iniquum tulit. Pronunciare ſiquidem non dubitavit, in Propylæo ad Aprilis tomum ſecundum, chartas fidem habere eò minorem, quò majorem præferunt

runt antiquitatem: in toto Franciæ regno nullam chartam ſinceram, ac genuinam reperiri ante regnum primi Dagoberti; pauciſſimas autem ſub illo, ac poſt illum usque ad ſecundæ ſtirpis Reges ſcriptas haberi, quæ vel autographæ dici poſſint, vel ex autographis fideliter deſumptæ: eodem modo ratiocinandum & de privilegiis apoſtolicis, quibus ab epiſcoporum jurisdictione exempta monaſteria, & ſub immediatam ſedis Romanæ protectionem ſuſcepta ſunt: denique de Adeodati papæ privilegio pro Martiniano cœnobio, deque aliis aliorum pontificum pro Dionyſiano, atque aliis porro omnibus, tempore primæ ſtirpis regiæ editis, illud omnino tenendum eſſe, tantò minus adhibendum eis fidei, quanto plus præſeferunt antiquitatis.

Hæc & alia, cùm archivum Dionyſianum velut officinam falſorum diplomatum traducerent, & in omnium aliorum, in uno confoſſorum, imo totius Francici regni redundaret injuriam, æquo animo ferre non valens Mabillonius, falſis Papebrochii regulis veras opponendas eſſe duxit. Ad argumentum igitur dudum ſuſceptum jam probe meditatus accedens, quæcumque ad rem diplomaticam pertine-

tinebant, accuratiùs, & attentius expendit, digerit, explicat, archivorum fidem, & auctoritatem tuetur, collatiſque ſecum invicem infinitis propemodum, quas inſpexerat, chartis, regulas eruit, quibus genuinæ â ſpuriis, integræ â vitiatis diſcerni queant, veterum ſcripturarum varia ſpecimina, in tabulis LX. accuratiſſimè delineata, oculis exhibet; & ut verbo dicam, inſignem illam de re diplomatica lucubrationem in lucem emittit, anno MDCLXXXI. in fòl. maj. Ad novum illud antiquariæ artis genus, quod hactenus aggreſſus erat nemo, obſtupuit Litterarius orbis, ac præter mentis acumen auctoris, ingenii ſagacitatem, profundam eruditionem, immenſam veterum recentiorúmque lectionem miratus eſt rem diplomaticam certis quibusdam regulis ſubjici potuiſſe, quibus coërceri poſſe deſperabant omnes. Ea laus poterat eſſe hominis dumtaxat longo uſu in ea arte contriti ac ſubacti. Plauſêre proinde antiquarii, forenſes, omnis generis, & nationis homines, novamque ſibi viam aperiri & æquari geſtierunt, quam imperviam, ancipitem & inexplicabilem eſſe putabant. Plauſit in primis vir doctiſ-

ſimus

ſimus Daniel Papebrochius, omnemque reſpectum ſincero, quo flagrabat, veri ſtudio poſtponens, non tantùm non moleſtè tulit, ſe â Mabillonio confutatum fuiſſe, nec præproperè conceptam opinionem vanis rationibus, & cavillationibus tueri ſtuduit, ut juvenculus quispiam tyro feciſſet; ſed ſcriptis ad auctorem litteris gratias egit, eique tropæum ipſe ponere non detrectavit. Litteræ ex autographo, quod penes nos eſt, vulgavit Mabillonius, initio Supplementi ad rẽ diplomaticã, de quo inferius.

Hæc fuit Mabillonii gloria, tam diu manſura, quam diu vigebit antiquitatis ſtudium, ad quam illuſtrandam, quantum conferant veteres chartæ, norunt, qui experti ſunt. Ut tamen juncta ſemper invidiæ gloria, quam vir doctus merito conſecutus erat, quidam poſt viginti & amplius annos, quàm prodierat opus de re diplomatica, imminuere conati ſunt. Sed conatibus non reſpondit pro votis exitus. Quæ enim de Auctore & opere fuerat apud eruditos exiſtimatio, manſit incolumis, imo ex irritis conatibus crevit. Idque veriſſimum eſſe expertus eſt prudens quisquis rerũ æſtimator, quod initio libri primi de re diplo-

ma-

matica pronunciaverat Mabillonius, ad „ id argumentum pro dignitate tractandum opus eſſe in primis eruditione non „ vulgari, cum multo veterum chartarum „ atque archivorum uſu, quibus etiam „ moderatio & æquitas accedat. Qui vel „ uno horum deſtitutus id ſuſceperit, timendum eſſe, ne aut falſas regulas pro „ veris obtrudat, aut incidat in temerariam „ præcipitemque cenſuram. Nam, ut addit in ſupplementi Cap. I. ſi de uno ſingulari inſtrumento decretorium ferre „ judicium difficile eſt homini in hoc argumenti genere minus verſato: quanto „ magis de univerſis ſtatuere arduum, & „ periculoſum, ſi non adſit ea experientia, „ quæ non niſi longo hujuſmodi monumentorum uſu comparari poteſt? Nec „ ſufficiunt ad hoc judicium humaniores „ artes, orationis politioris ſtudium, nec „ denique lectio aſſidua melioris litteraturæ auctorum; imo hæc ſtudia ad id „ plurimum obſunt, ſi eadem dicendi elegantia, vel puritas in vetuſtis illis inſtrumentis exigitur. Ad hæc enim improbanda, vel rejicienda ſuopte marte „ ducitur animus politioribus illis imbu-

„ tus

„ tus auctoribus, quorum leges aliquo
„ modo dediſcendæ erunt, ut his infimæ
„ latinitatis monumentis animus aſſueſcat.
„ Et tamen plerumque accidit, ut, qui illis
„ ſtudiis imbuti ſunt, de his quoque ſum-
„ mo jure judicandi poteſtatem uſurpent,
„ rideantque alios, qui ſecus ſentiant.
„ Quapropter qui ſe rei diplomaticæ arbi-
„ tros profiteri volunt, de his idem exi-
„ gendum eſt, quod de pædagogis exige-
„ bat Quintilianus : nimirum, ut aut ſint
„ eruditi planè aut ſe non eruditos eſſe
„ ſciant. * Hactenus Mabilloni-
„ us.

Cùm autem vir clariſſimus adverſariorum rei diplomaticæ objectiones jam plus ſatis vel confutâſſet, vel occupâſſet in opere de re diplomatica, vel ea principia ſtatuiſſet ex quibus omnes pæne à peritis facile ſolvi poſſent, nova ſcripta doctorum judicio permittere maluit, quàm data opera refellere; ne refellendo, vel eadem cum tædio lectorum iteraret, vel lites cum temporis, majoriſque momenti laborum diſpendio perennaret. Ne tamen & ſibi & doctorum amicorum conſiliis prorſus de-

* Quintil. lib. 1, c. 1.

deeſſe videretur, mediam hanc iniit rationem. Paratum dudum habebat Supplementum, novæ librorum de re diplomatica editioni âb omnibus expetitæ, quam tum meditabatur, ſubjungendum; ſeparatim tamen imprimendum, ne, qui priorem editionem ſibi comparâſſent, novam emere cogerentur. Huic illud præmittere conſultius eſſe duxit, ratus (nec fefellit ſpes) id plus ſatis eſſe ad ſuccutiendas inanes adverſariorum objectionès; iis tamen velut ſi nulli fuiſſent, ne nominatis quidem aut expreſſè confutatis. Prodiit igitur in lucem *Supplementum* ann MDCCIV. in fol. dilata in opportunius tempus nova editione, quæ demum vulgata eſt anno M DCC-IX. In eo ſupplemento, retractato breviter Diplomaticæ totius argumento, archetypa pro regulis propoſita, ipſæque regulæ denuo confirmantur, noviſque ſpeciminibus & argumentis aſſeruntur, & illuſtrantur; diplomata plura, formulæ, veteraque monumenta hactenus inviſa in lucem emittuntur, ac demum objectiones omnes, quæcumque proponi poterant, aut propoſitæ hactenus fuerant, ſedulò excutiuntur, ac planiſſimè diluuntur: ita ut
jam

jam nihil ſupereſſe confidens, quod lectorem æqui verique amantem remorari poſſet, â contentioſis ſcriptis abſtinendum ſibi meritò cenſuerit. „ Si quis, inquit, „ rixas, & contentiones perſequi, & ingerere amet, nihil reſponſi â me exſpectet. Ut enim âb ejuſmodi cavillationibus ſemper abhorruit animus; ita,nunc maximè, his tricis confici puderet reliquum hoc ætatis meæ ac temporis, quod melioribus ſtudiis occupari decet. Fecit quod dixit vir pacificus: quidquid enim egerint quidam, ut veteranum militem proritarent, â propoſito dimoveri non potuit, non cauſæ ſuæ diffiſus, quæ jam abſoluta videbatur, ſed paci, ac tempori conſulens.

Quibusdam tamen ex Mabillonii amicis, cùm major tanti viri moderatio videretur, quàm res ferret; amici, veterumque diplomatum, adeòque venerandæ antiquitatis vindicias ſuſceperunt, Inter eos excelluit illuſtriſſimus D. Juſtus Fontaninus, tunc in Romano Archigymnaſio publicus eloquentiæ profeſſor, vir non ſolùm politiorum Muſarum ſtudio ſed omnigena eruditione conſpicuus, &

ad ejuſmodi pugnam, ſi quis alius, inſtructus, & munitus. Is ergò librum edidit Romæ anno MDCCV. cui titulus, *Vindiciæ antiquorum diplomatum*, quem ſummo pontifici Clementi XI. nuncupavit, in quo ſingulas adverſariorum objectiones accuratè expendit, ac ſolidè, & eruditè refellit. Egregium opus non multò poſt exceperunt epiſtolæ duæ de eodem argumento: altera eſt, „ Domini „ Lazzarini ex nobilibus de Mauro ad amicum Pariſienſem, pro vindiciis antiquorum diplomatum Juſti Fontanini Forojulienſis. Romæ MDCCVI. Altera „ eſt M. Antonii Gatti ac V. C. Jacobum „ Bernardum. Amſtelodami MDCCVII. Ea omnia continenter referre viſum eſt, quia ad idem argumentum pertinent. Nunc ad incœptum redeo.

Opus ſuum de re diplomatica nuncupavit Mabillonius illuſtriſſimo viro D. Joanni Baptiſtæ Colbert, generali ærarii moderatori, ſummòque regiorum ædificiorum præfecto, cui acceptiſſimum munus fuit, tum ob argumenti novitatem ac dignitatem, tum ob auctoris ipſius meritum. Is pro amore ſuo

ſuo ac ſtudio in bonas artes & ſcientias, quas ad regni decus & ornamentum modis omnibus promovere ſatagebat, eruditos homines quoscumque noverat, multa liberalitate fuſis ex ærario donis recreare, & accendere geſtiebat. Mabillonium proinde inter eruditos non infimum tenentem locum, ſibique jam dudum & virtute ſua, & eruditione notiſſimum, inter beneficiarios Regis deſcribi curavit, conſtitutaque ei ex ærario regio annua penſione, miſit, qui ſchedulam deferret. Sed qui repulſam ferre, in iis præſertim rebus, non ſolebat, miratus eſt regiæ munificentiæ dona â Mabillonio recuſari. Ubi enim ſchedulam vidit humillimus, & religioſæ paupertatis amantiſſimus monachus, ſtatim abnuit, nec ulla ratione flecti potuit, ut acciperet. Id unum reſponſi elici âb eo potuit, ſe illuſtriſſimo litteratorum Mæcenati pro liberalitate, ac beneficentia, quàm maximam poſſet, habere gratiam: cœterùm ſe nullius rei indigere, utpote cui neceſſaria omnia, pro ſtatu, ac conditione, affatim ê monaſterio, & congregatione ſuppeditarentur; ſe id unum âb illuſtriſſimo viro efflagitare, ut congregationi ſuæ,

quæ litteras litteratosque pro modulo colit, favere pergat; quod ſi obtineat, ſe opiparè muneratum ac perbeatum exiſtimare. Sic fuit piiſſimi viri animus, quàm diu vixit: nec ſemel alias ejusmodi *penſiones* ſibi âb amicis oblatas accepturum ſe conſtanter negavit, ſtudio paupertatis utique, monaſticarumque legum, quibus nihil potius umquam habuit.

Quòd ſi à penſionibus annuis adeò abhorruerit Mabillonius, quòd repugnare viderentur monaſticis legibus, à quibus ne latum unguem deflectere volebat; quis fuerit ejus animus erga eccleſiaſtica vel monaſtica beneficia, quæ eum monaſtico ſtatu penitùs eduxiſſent, amplisque redditibus excuſſo obedientiæ jugo ditaſſent, facile, me etiam tacente, probus quisque judicabit. Et tamen mox citatus Criticus palam aſſerere non erubuit, Mabillonium dignitatem abbatialem ambiviſſe, vel nullum non lapidem moviſſe, ut exitum ſibi ê congregatione S. Mauri pararet. Is nempe in bibliothecæ criticæ tom. 4. pag 293. & ſeqq. fabellas pro more narrat, dignum bibliothecæ criticæ argumentum, quas referre nec

juvat,

juvat, nec decet. Id tantùm ad inſtitutum facit. Famam fuiſſe, Mabillonio graves cum monacho quodam ſimultates fuiſſe, quod hic ùt erat in mſs. codicum lectione verſatiſſimus, paſſim inveheretur in Mabillonii ſtudia: ajebat enim ſibi, dum Landeveneci in inferiori Britannia habitaret, plusquam mille & ducentas chartas videre licuiſſe, ex quibus ſaltem octingentas falſas deprehendiſſet. Nec inter illos dumtaxat iras fuiſſe, ſed & inter alios omnes, qui in monaſterio Sancti Germani à pratis litteris operam dabant; adeoque flagrâſſe, ut non ſolùm foras erumperent, ſed etiam Mabillonius, turbarum ſi non auctor, ſaltem incentor, earum tandem pertæſus nihil intentatum reliquerit, ut congregatione diſcederet: quod revera feciſſet, ſi regularem abbatiam rex Chriſtianiſſimus ab illuſtriſſimo præſule rogatus concedere voluiſſet. Hæc fabula, quam frigidis inficetiis identidem ornare ſtudet auctor. Ubi quot verba, tot calumniæ ſunt.

Falſum ſiquidem eſt, ullas umquam Mabillonio cum dicto monacho ſimultates fuiſſe; niſi quòd Mabillonius, pro ſua

pietate, & regularis diſciplinæ ſtudio, impatienter ferret illius mores, haud ſatis religioſos. Falſum eſt, hunc Landeveneci umquam habitâſſe: vix tota vita ſua quatuor dies in eo monaſterio moratus eſt, per quos monaſterii chartarium vix evolvere licuit. Hæc, leviora. Sed gravius & inſulſius, eum amplius mille, & ducentas chartas ibi vidiſſe, quarum octingentæ ſaltem falſæ eſſent, â monachis utique aut ſuppoſitæ, aut vitiatæ: hac enim familiari criminatione delectatur in primis Criticus, illucque per fas, & nefas, opportunè importunè ſemper revocat conceptum in monachos odium inexorabile: quamvis de injuriis lege poſtulatus, mente male conſcia timens, ne meritas dudum pœnas tandem daret, palinodiam ſolemni ſcripto dato die 19. Martij anno MDCC. coram eminentiſſimo Cardinale de Noailles archiepiſcopo Pariſienſi canere, quam cauſam adhibitis probationibus dicere ſibi tutiùs eſſe cenſuerit. Leviſſima certè ſatisfactio, ſi injuriarum toties repetitarum ratio habeatur: quam tamen hortantibus tum Chriſtiana caritate, tum eminentiſſimo Cardinale, tum clariſſimo

ſimo quodam abbate, amico communi, accepêre Benedictini, meliora deinceps de hoſte ſperantes. At ſi palinodia inſuper habita, ad ingenium redire chriſtianæ leges ſinant, artificioſiùs ſaltem inſtruenda erat criminatio, nec ita infabre cudenda, ut riſum magis, quàm ſtomachum moveat. Ridiculum ſanè in exiguo ſatis, & obſcuro monaſterio, cenſu tenui, in angulo Britanniæ minoris ad mare ſito, cui ſi quæ alia vicina ſint monaſteria, certè perpauca, modicique cenſûs, tantum occurrere potuiſſe chartarum ſeu genuinarum, ſeu ſpuriarum numerum, quantum vix tota Britannia ſuppeditaret. Niſi contendat Criticus maximam partem illius provinciæ chartarum, ſive quæ in archivis publicis, ſive quæ in monaſteriis aliiſque eccleſiis, ſive quæ apud privatos aſſervantur, falſitatis aut corruptionis vitio laborare. Id certum, ſi quas umquam chartas illi monacho videre licuerit, pauciſſimas fuiſſe, quaſdam nimirum ex iis, quæ in hiſtoria Britanniæ à noſtro domno Alexio Lobineau conſcriptæ aut citantur, aut integræ referuntur: quæ ſi falſi poſtulentur, falſitatis argumenta, ſi quæ ſint non calumniæ,

convitia, falſi rumores, anilesve fabulæ proferantur; excipiet auctor, nec concertationem detrectabit. Sed mirum prorſus falſis chartis indeſinenter repetitis aures noſtras obtundi à garrulis illis, qui ne fortè quidem unam authenticam tota vita ſua viderint, legere vix poſſint, nec prima regularum elementa noverint, quibus genuinæ â ſpuriis diſcerni queant. Verùm calumniis citius, quam argumentis res conficitur.

Quod addit Criticus, fictitiarum diſſenſionum vel auctorem, vel incentorem fuiſſe Mabillonium, adeò inſulſum eſt, ut ſi perſuadere voluerit, iis certè ſcripſerit, qui Mabillonium ne nomine quidem noverint: aliis, quibus perſpecta eſt piiſſimi viri morum lenitas, humanitas, caritatis, ac pacis ſtudium, animus, non dicam à rixis, ſed ab ipſis rixarum & contentionum umbris alieniſſimus, veſana calumnia videbitur. Hæc gravis quidem: ſed longe gravior & intolerabilior ea, quâ tanti viri famam adſpergere non veretur Criticus, quaſi regularem abbatiam ille ambiiſſet, ut â congregationis noſtræ legibus ſolutus ſibi deinceps viveret. Id enim conſtanter ac fiden-

fidenter affirmamus, fidemque apud probos & honeſtos quosque habebit affirmatio, eam eſſe cogitationem, quæ non tantùm Mabillonii mentem numquam ſubjerit, ſed à qua, pro ſua in Deum pietate, ſincero in congregationem amore, tenaci in perſolvendo officio conſtantia, ſcrupuloſa in minimis quibusque regularibus exercitiis diligentia, abhorruiſſet tanti viri animus. Vacante quidem abbatia Sancti Tiberii, quæ modici cenſus regularis abbatia eſt noſtræ congregationis, in Agathenſi diœceſi, ad quam nominandi jus penes regem Chriſtianiſſimum eſt; hortati ſunt Mabillonium Superiores majores, & tantùm non juſſerunt, ut opera & favore illuſtriſſimi Remenſium archiepiſcopi Caroli Mauricii le Tellier, apud quem multum poterat, eam à Rege ſibi impetrari curaret: non ut abbatiali reditu frueretur, ac de eo arbitratu ſuo ſtatueret; hoc numquam conſilium fuit: ſed ut eo cedente monaſterio, res illius afflictæ hac acceſſione relevari poſſent. Eo animo paruit vir optimus, archiepiſcopum adiit, hic regem, at negotium non ſucceſſit ex ſententia; damno utique non Mabillonii, ſed

monaſterii. Sed quàm alienus fuerit ab ejusmodi dignitatibus humillimi viri animus, alia paulo poſt patefecit occaſio. Defuncto abbate Mauri-Monaſterii, * quæ regularis abbatia eſt in Alſatia, nulli congregationi addicta, liberaque eligendi ſibi abbatis, annuente rege, facultate gaudens de ſubſtituendo in ejus locum Mabilloni cogitavit amicus ejus R. P. piæ memoriæ domnus Hiacynthus Alliot, abbas regularis Mediani-Monaſterii, congregationis Sancti Vitoni; eoque facilius obtinuiſſet â monachis, quò gratiæ, & auctoritati, quibus apud eos plurimum valebat, acceſſiſſet candidati per ſe commendatiſſimi virtus. At eò adduci numquam potuit Mabillonius, ut huic rei aſſentiretur. Quidquid enim ſcriptis ad eum litteris egerit optimus abbas, ut conſenſum eliceret, adductis etiam in medium Monaſterii rebus non nihil confuſis, ac perturbatis, quibus pietate, ac prudenti œconomia ſubveniret; hic conſtanter negavit, reſponditque ſe ſua ſorte contentum, dignitates nec ambire, nec adipiſci velle; abbatialem neque propoſito, neque ſtudiis, neque vivendi rationi

* Maursmünſter.

tioni convenire; gratiis proinde amico actis rogare, ut âb incœpto deſiſtat, nec optatam quietem ſibi invideat. Hæc fere Mabillonii epiſtola, cujus autographum penes R. Patrem Alliot vidiſſe ſe fidem facit teſtis omni exceptione mojor R. P. domnus Auguſtinus Calmet, congregationis Sancti Vitoni monachus, eruditis, ac exquiſitis in Sacram Scripturam commentariis celeberrimus.

Hæc & alia ſi diligenti ſciſcitatione quærere voluiſſet Criticus, ab inofficioſa cenſura fortè temperaſſet; temperare certè debuiſſet. Sed ejusmodi ſcrupulis dudum excuſſis, majorem ingenii fœcunditatem, quàm religionem, & diligentiam in conſcribendis hiſtoriis prodere voluiſſe videtur. In exemplum, inter ſexcenta alia, proferri adhuc poteſt, quod ait, Benedictinos * Sancti Germani à pratis, mortua Marja *Moriſet*, relicta Ludovici *Billaine*, Typographi Pariſienſis, ex ſolo mercimonio librorum ad uſum congregationis Sancti Mauri ab eo editorum, iniquis omnino rationibus ſibi vindicâſſe ſumam viginti, & novem milliũ librarum, fraudatis ea ſum-

* Biblioth. crit. Tom. 4. pag. 54.

ſumma hæredibus; hæcque ſe didiciſſe ex ipſis inſtrumentis, quæ ſecum communicavit D. *Touret*, dictæ viduæ hæres ex aſſe. Atqui tamen & D. *Touret* adhuc vivens, & valens, cùm id audiviſſet, palam proteſtatus eſt coram graviſſimis viris, quorum fides, religio & auctoritas paulo minus nutant quam Critici, totam eam narrationem falſam eſſe, & calumnioſam: & ipſa authentica inſtrumenta & acceptilationes, quæ penes nos ſunt, clamant, non Benedictinos à D. *Touret*, ſed hunc potius à Benedictinis accepiſſe viginti mille, & nongentas libras, pretium videlicet librorum ad uſum congregationis Sancti Mauri impreſſorum, puta Breviariorum, Diurnalium, Gradualium, & aliorum ejuſmodi, quos in auctione publica mercimonii dictæ viduæ licitati ſunt. Sic inſtrumenta legit Criticus, ſummaque cum fide refert ſummam iis expreſſam. Ejuſdem fidei eſt Calviniſmi accuſatio, quam in Benedictinos, novæ Auguſtini operum editionis auctores, moliri non veretur: cui tamen quatuor aut quinque voculæ dumtaxat anſam præbuerunt. Nempe monuerunt, ab Apoſtoli verbis, Rom. 1, 20. *Ut ſint*

inex-

inexcuſabiles, quæ citat Auguſtinus libro de ſpir. & lit. cap. XII. particulam *ita*, quam præferunt editi, abeſſe tum in mſs. Auguſtini codicibus, tum in ipſius Apoſtoli textu Græco, qualem utique exhibent libri cùm editi publica auctoritate, tum ipſi etiam manu exarati. *Editi*, inquiunt, *ita ut. Abeſt* ita *à mſs. & à Græco.* Pauciſſima verba, eaque purè hiſtorica. Ipſa tamen ſunt, quæ catholicæ fidei ſtudio ſuccenſus optimus ille catholicus acriter redarguit, quaſi dedita opera ſcripta, ut Calvinianorum impietas firmetur; hincque conjici, poſſe audacter aſſerit, eodem animo omiſſas fuiſſe in nova editione Lovanienſium annotationes, quibus Calvinianorum errores refelluntur. Sanè præſtat egregiis Dialectici illius argumentis Calvinianiſmi poſtulari, quâm epiſcoporum, doctiſſimorumque hominum, tum Catholicorum, tum Proteſtantium rationibus, ipſiſque edictis publicis, Socinianiſmi, aliorumque graviſſimorum errorum, ac flagitioſæ malignitatis palam argui.

Alia ejusdem furfuris plurima, quæ nec in bibliotheca critica, nec uspiam alibi locum habere debuiſſent, miſſa facimus.

Sicubi

Sicubi vela dedit auctor ingenio mordaci (primum hoc ſpecimen non fuit) nullibi certè tam paſſa. Non mirum proinde, ſi tantam habuerit apud omnes offenſionem, ut querelis ad illuſtriſſimum Cancellarium delatis, Regii concilii decreto ſuppreſſum fuerit opus, ſub graviſſimis pœnis prohibitum, & ad chartariorum piſtillum damnatum. Et meritò quidem. Tanta quippe comminiſcendi laſcivia eſt, ut pauca ſint, quibus ſua ex omni parte conſtet veritas, plurima ex toto conficta; ſecum pugnantia, falſi ſæpè convicta, & confutata, iterum tamen incredibili audacia prolata: tantæ iræ, ut laxatis frenis in obvios quoſque, vivos, defunctos, ipſoſque ſanctos, nullo diſcrimine habito, inſiliat auctor, mordeat, laceret, diſcerpat; ſed nullos crudelius quàm monachos, Benedictinos præſertim, hominum genus injuriis opportunum. Si homini fides, falſarii ſunt, chartarum, diplomatum, & manuſcriptorum corruptores, prædones fæneratores, impoſtores ex ſuppoſitis ſanctorum reliquiis quæſtum facientes, Calvinianorum fautores, omnis eruditionis expertes, atque ignari, quorum editiones,

quibus

quibus à tot annis incumbunt, inutiles prorſus, nec aliud exhibent, quàm male congeſtas codicum mſs. lectiones, abſque judicio, & eruditione; quorum clauſtra diſcordiæ ſedes, & ut verbo dicam, dæmones ſunt. Nihil hìc verbis exaggeratur. Iis enim coloribus paſſim in tota bibliotheca critica delineantur monachi. * Et tamen ſacerdos fuit, isque fere octogenarius, qui hæc proferre, ſcribere, in vulgus efferre, & ad nauſeam repetere non erubuit, quæ horreſceret honeſtus quivis ethnicus. Pudet quidem tantas ineptias, calumnias, & impietates retuliſſe; aſt protuliſſe pudere debuiſſet magis. Sed, ut Salluſtii verbis utar, *cùm omnibus locis nos maledictis laceret* Criticus, *non placuit* occaſione data, *reticere: ne quis modeſtiam in conſcientiam duceret.* Operæ ſaltem pretium fuerit, hominis ingenium pateſeciſſe, non ut recens mortui (utinam ſatis expiata quæ viventem aduſſit aliis invidiam conflandi prurigine) cineribus dolorem inurere videar: ſed ne cui fucum faciat in ſcriptis ſem-

* To. 1. p. 22. 101. 109. To. 2. p. 223. To. 3. p. 101. & ſeqq. 104. 105. & ſeqq. 110. 111. 115. 116. 331. & ſeqq. 334. 335. 337. 339. 344. 353. 334. 360. 361. 365. To. 4. p. 54. 297. 298.

ſemper manens affectata dicendi confidentia. Sed ad Mabillonium, à quo non nihil digredi coëgerunt ſæpiùs iteratæ, hactenusque diſſimulatæ criminationes, redeat oratio.

Anno MDCLXXXII. Burgundiam ſtudiorum cauſa peragravit, ut illius provinciæ archiva & bibliothecas perluſtraret. Occaſione captata, illuſtriſſimus D. Joannes Baptiſta Colbert diplomata quædam ad regiam familiam ſpectantia per eum examinari curavit. Ex relatione ſibi facta magis ac magis comperit vir illuſtriſſimus ſummam eſſe Mabillonii iis in rebus peritiam, nec minorem ſinceritatem & fidem. Quas quidem animi dotes cùm eximias ac ſingulares eſſe cogitat, eas totas, dum liceret, in reipublicæ litterariæ utilitatem, regnique ipſius decus, quo nihil antiquius habebat, convertere ſtatuit. Inter hæc ſubiit mentem cogitatio, ſi Mabillonius in Germaniam nomine, & ſumptibus regis mitteretur, ampliſſimas illius regionis bibliothecas & chartophylacia luſtratum, magnum inde emolumentum, & in bibliothecam regiam, & in ſcientias redire poſſe. Nec fallebat opinio. Re Chriſtianiſſimo regi

per

per magnificum litteratorum patronum approbata, Mabillonius ad iter accingere ſe jubetur. Paret ille; & quamvis à ſolitudine monaſtica avelli in exteras regiones ægrè ferret: ea tamen diſpendia abunde reſarcitum iri ſperabat, ex iis, quæ ad illuſtrandam hiſtoriam noſtram collecturus erat. Ubi doctiſſimi viri in Germaniam adventus proximi fama ad amicos, quos frequentes illic habebat, perlata fuit, cuncti gaudere, gratulari, & tantùm non feſtos dies agere, nulli non ad ſe invitare. *Omnibus ſolatium erit*, ſcribebat unus, ***vel conſpexiſſe tantum virum.*** Diſcedit ergò Pariſiis anno MDCLXXXIII. menſe Junio exeunte, ſocium itineris habens, qui & ſtudiorum erat, domnum Michaëlem *Germain.* Quinque menſium ſpatio peragrat Burgundiæ comitatum, Alſatiam, Sueviam, Bavariam, Tirolim, Helvetiam, aliasque provincias. In Auſtriam cogitabat: ſed iter interclusit Turcarum exercitus Viennam tunc obſidens qui etiam reditum maturare coëgit, ne quæ ſuſpicio oriri poſſet de Gallis monachis Germaniam ſuſpicionis pleno tempore percurrentibus. Non morabor peregrinationis circumſtan-

K tias

tias, ampliſſimóſque honores clariſſimo peregrino ubique exhibitos: hiſtoriam ipſe deſcripſit initio tomi quarti Analectorum; & quamvis præ innata ſibi modeſtia maximam delatorum honorum partem reticuerit, ex iis tamen, quæ ſcripſit, ſatis conjicitur, quod non ſcripſit, certatim videlicet contendiſſe ornatiſſimos omnium ordinum viros de excipiendo, quo maximo poterat., honore, tam inſigni hoſpite.

Rediit porro Mabillonius ex eá peregrinatione non honoribus tantùm cumulatus, ſed quod jucundius erat, pretioſis antiquitatis monumentis onuſtus, quæ ex archivis & bibliothecis, ſibi ubique ferè ultro reſeratis, eruerat. Haud contemnendam partem luce donavit in tomo quarto Analectorum, qui primus itineris fructus fuit: in quo præter iter Germanicum operi præmiſſum, ubi narrat præcipua quæque, quæ ſibi occurrerunt, & quæ in Germaniæ Bibliothecis viſuntur, plurima reperiuntur hactenus inedita, quæ quiſque hiſtoriæ ſtudioſus legerit, laboris eum non pœnitebit. Aliis verò multis, quæ publici juris facere operæ pretium non erat, uſus eſt ad illuſtrandos Annales Ordinis noſtri. Sed gratior fortè Gallis noſtris

ſtris, imo & Germanis ipſis, itineris Germanici fructus fuerit eximium opus de Liturgia Gallicana. Cùm enim Germaniam adiret vir doctiſſimus, ad Luxovienſe monaſterium acceſſit, atque inter ſemilaceras veteris ejus loci bibliothecæ reliquias invenit antiquiſſimum Lectionarium litteris Franco-Gallicis ſeu Merovingicis ſcriptum, quod in ſacris ad legendas prophetias & epiſtolas cum euangeliis ante annos mille apud Gallos in uſu fuerat. Re poſt reditum maturiùs expenſa, accuratèque digeſta, hoc de argumento ſingularem edidit tractatum: in quo liturgiæ Gallicanæ, qualis ante Carolum Magnum apud majores noſtros recepta erat, veram formam, genuinosque ritus explicavit. Opus in tres libros tribuitur. In primo tota liturgiæ Gallicanæ ratio, vetus ſacræ ſupellectilis aqud Gallos noſtrates, eccleſiarumque forma & apparatus deſcribitur, & illuſtratur. Argumentum hactenus obſcuriſſimum, & â nemine, niſi irrito conatu, tentatum; deficientibus quippe idoneis hujus rei monumentis. Quæ fuerit etiam majorum noſtrorum per id tempus de Euchariſtia fides & perſuaſio, in exordio & fine libri exponitur.

nitur. Secundus liber exhibet lectionarium Gallicanum, continens lectiones prophetiarum, epiſtolarum, & evangeliorum per totum annum in miſſa, & in aliis majorum ſolemnitatum officiis recitandas: quibus omnibus lucem afferunt Mabillonii obſervationes ſubjectæ. Tertium librum conſtituunt miſſalia tria antiquiſſima, Gothico-Gallicanum, Francorum, & Gallicanum vetus, quæ quidem licet à Joſepho-Maria Thomaſio jam edita, à Mabillonio probationum inſtar iterum vulgata ſunt, ne ob raritatem exemplarium Romanæ editionis ea ſuo operi deeſſe nonnulli cauſarentur. Accedit denique doctiſſima & ſingularis disquiſitio de curſu Gallicano, id eſt, de divinis officiis, quæ in eccleſia Gallicana jam inde à primis temporibus obtinuerunt. Hæc fere ſumma operis de liturgia Gallicana, quod prodiit in quarto anno MDCLXXXV. non minor certè fructus, quem ex Mabillonii itinere Germanico retulit res Chriſtiana. Eidem itineri accepta referri debet Trithemii annalium Hirſaugienſium nova editio, triplo ut minimum auctior, quàm hactenus fuerat. Cùm enim inter mſs. codices biblio-

thecæ

thecæ Sancti Galli pretioſum hunc theſaurum reperiſſet Mabillonius, mox San-Gallenſes noſtros hortatus eſt, ut eum eruditis cupientibus diutiùs non inviderent. Benignè conceſſerunt illi, ſuiſque typis opus in duos tomos in fol. diſtinctum ediderunt anno MDCXC.

Reverſus ê Germania Mabillonius illuſtriſſimum Colbertum, itineris auctorem, ê vivis ereptum magno tum ſui, tum eruditorum omnium mœrore reperit. Fore ut optata quiete frui diutius ſibi liceret, ſpes erat; at non permiſit, qui litterarum promovendarum poſt Colbertum curam ſuſceperat illuſtriſſimus Remorum archiepiſcopus Carolus-Mauritius *le Tellier.* Cùm enim Mabillonio impenſè faveret, ſuoque & aliorum experimento didiciſſet quantum utilitatis ex itinere Germanico cæpiſſet eccleſia; eũ ad Italicam peregrinationẽ inducendum eſſe exiſtimavit, tum ut aliquid utilitatis eccleſiæ, reique litterariæ inde accederet; tum ut conquiſitis regia bibliotheca libris fieret locupletior. Propoſitum Rex conſilium laudavit, juſſitque, ut iter Italicum, quemadmodum & Germanicum, regiis impenſis conficeretur.

tur. Mandata regia exſequi dum non jubetur modo, ſed & urgetur Mabillonius ineunte vere anni MDCLXXXIV. iter in annum ſequentem differre cogit ſuperveniens morbus. Interim dum confirmatur valetudo, autumnum in perluſtranda Normannia, ſtudiorum cauſa inſumit. Sed tandem exacta hyeme, longinquior, ac diuturnior in Italiam peregrinatio ſuſcipienda fuit. Diſcedit itáque Pariſiis cum D. Michaele *Germain*, prima die Aprilis MDCLXXXV. illuc reverſurus die 11. Julii anni inſequentis. Totis quindecim menſibus Italiæ bibliothecas veteres, ac novas, archiva & cimelia perluſtravit, ipſasque adeo librariorum officinas: ex quibus omnibus magnam pretioſamque ſupellectilem, utilitati publicæ conſecrandam, ſecum re tulit, bibliothecam regiam ter mille & ampliùs rariſſimis libris, tum ſcriptis, tum editis auxit. Quas verò urbes, Bibliothecas, eccleſias, monaſteria &c. inviſerit, quidve in ſingulis obſervatione dignum invenerit, enucleatè docet iter italicum tomo primo Muſæi Italici præmiſſum. Opus ab iis omnibus legendum, tum qui rei litterariæ Italicæ noticiam ſibi

cum

comparare voluerint, tum qui eadem loca cum fructu peragrare cupierint. Longum eſſet ſummos honores ubique locorum à Principibus, Ducibus, Cardinalibus, Legatis, Præſulibus, Abbatibus, eruditis omnibus, omniumque ordinum ſpectatiſſimis viris, Mabillonio delatos, enarrare. Facilis usque ad viros principes aditus, theſes publicæ ei nuncupatæ, laudes ejus frequenti auditorum cœtu ſtricta, & ſoluta, oratione celebratæ, illuſtriſſimi cujusque urbis viri turmatim in occurſum ejus effuſi, ac de excipiendo, & retinendo apud ſe tam inſigni hoſpite contendentes, ſecretiora, & pretioſiora quæque ei comiter, & hilariter reſerata, ſatis ſuperque teſtantur, quanta eſſet tanti viri apud Italos fama, & exiſtimatio. At tantum abeſt, ut honores ambiret humillimus monachus, ut potius ſtudioſè fugeret: adeò ut ſæpius delituerit, amicorumque conſilium fruſtratus fuerit, ne qui deferrentur; ſæpe tamen & ipſe ea in re deceptus ab amicis. Romæ dum moratur, ad congregationem Indicis inter conſultores vocatus, ſententiam pronuntiare ſuffragiumque ſuum promere juſſus de quibusdam libris Voſſianis de dilu-

vio non univerſali, tanta cum eruditione, & modeſtia protulit, ut mirati Cardinales ſecundùm eum ſententiam dixerint.

Perluſtratis demum præcipuis quibusque Italiæ locis, quo duxerat non vana curiofitas, ſed illuſtrandæ antiquitatis cupiditas, Pariſios rediit, theſauros illic inventos & Italiæ & Orbi cum fœnore redditurus. Primitiæ fuerunt *Muſæum Italicum*, in 4. vulgatum anno MDCLXXXVII. in duas partes diviſum. Prima continet iter Italicum, in quo totius itineris ſeriem deſcribit; Italicarum bibliothecarum, monumentorumque veterum, quæ occurrerunt, notitiam exteris hominibus, qui litteras amant, præbet, additis ubique criticis obſervationibus; ac denique viros litteratos, quos in Italia novit, in aliorum cognitionem venire curat. Altera pars complectitur vetera monumenta plura hactenus numquam, vel imperfectiùs edita, quales ſunt virorum illuſtrium epiſtolæ & vitæ, epiſcoporum, ducum, & abbatum indices, concilia, capitularia, libri diurni Romanorum Pontificum ſupplementum, antiquiſſima belli ſacri ſeu expeditionis Hieroſolymitanæ hiſtoria, à teſte oculato ſcripta, va-

ria

ria de ritu Ambroſiano, quibus lucem affe-runt Mabillonij annotationes non hic modo, ſed & ſingulis monumentis præmiſſæ. Sed pretioſius nullum, quàm vetus Sacramentarium ante mille annos ſcriptum, in Bobienſi Monaſterio repertum, quod ad liturgiam Gallicanam pertinere demonſtrat vir doctiſſimus, & propter eà Gallicanum vocat; quod excipit antiquus liber pœnitentialis, in quo multa ſcitu digna occurrunt ad veteris diſciplinæ eccleſiaſticæ cognitionem. Biennio poſt, id eſt anno MDCLXXXIX. prodiit alter ejuſdem Muſæi Italici tomus, in quo continentur antiqui libri rituales S. R. E. qui Ordinis nomine comprehendi ſolent, plerique antea haud vulgati; & ſi jam editi, ob novas acceſſiones & notas quamdam novitatis gratiam præſeferentes. Operi pretium addit præmiſſus in ordinem commentarius, in quo præcipuos Romanæ eccleſiæ ritus explicat Mabillonius. Plura alia ejuſdem operis volumina in lucem edidiſſet ex iis, quæ in Italia collegerat, niſi conſilio obices injeciſſent tum alia ſtudia, quibus otium impendere neceſſe fuit, tum maximè turbatus Europæ ſtatus, quo liberum com-

mercium cum exteris interclusum fuit.

Inter ea Mabillonij auxilium implorantibus ſuis, ad alia calamum vertere compulſus eſt ordinis monaſtici vindex acerrimus. In ſolemmnes ordinum ducatûs Burgundiæ conventus ad hominum memoria non modo admiſſi ſunt Benedictini præcipuarum, & antiquiſſimarum provinciæ abbatiarum octo, ſed & primum ex parte cleri regularis, ante cæteros omnes regulares, locum ſemper tenuerunt. Ea prærogativa nemine contradicente gaviſi ſunt, donec Canonici Regulares circa annum MDCLXXXVII. litem movere, eosque de poſſeſſione dejicere tentarent. Id ut obtinerent, ſcriptum obtulêre tum Regi. tum ordinibus Burgundiæ, in quo auctor ſic fere cauſam agebat, ut unam Ordinis ſui antiquitatem ab Apoſtolis ipſis repetitam obtenderet, aliaque proferret argumenta, quæ Benedictinorum poſſeſſionem nihil aut parum attingebant. Huic ſcripto aliud oppoſuit Mabillonius, in quo miſſis adverſarii declamationibus, obiterque caſtigatis verbis in Ordinem monaſticum probroſis, ad rem propius veniens, de antiquitate & ele-

clericatu utriusque Ordinis diſſeruit. Cùmque Mabillonij ſcripto reſpondere conatus fuiſſet alter è Canonicis Regularibus, ſed priori moderatior, ejus reſponſionem altero ſcripto confutavit. Acta ſunt ea omnia anno MDCLXXXVII. Erit fortè, qui litem hanc aliis ejusdem naturæ ſimilem eſſe putans, totam conſuetis litium ambagibus agi exiſtimaverit. Ac judicium longè diverſum tulerit, qui viri doctiſſimi ſcripta perlegerit. Totidem diſſertationes ſunt, omnigena eruditione refertæ, in quibus quidquid ad antiquitatem tum monaſtici, tum Canonici Ordinis ſpectat, expenditur & illuſtratur, quas quisque partes in eccleſiæ officiis, honoribus, dignitatibus & adminiſtratione objerit, exponitur; antiquorum canonum & auctorum teſtimonia elucidantur; uno verbo præclara hiſtoriæ ac diſciplinæ ſeu eccleſiaſticæ ſeu monaſticæ capita ſolidè pertractantur, adeò ut mirum ſit tam brevibus ſcriptis, ſi rerum ratiò habeatur, tanta congeri, ac digeri potuiſſe. Ea poſtmodum ſuos in uſus Latinè converterunt, edique curârunt Benedictini noſtri Helvetii, & Germani, à Canonicis Regularibus ſimiliter laceſſiti.

Eo-

Eodem anno ſcribere compulſus eſt Mabillonius epiſtolam ad amicum, de primario inſtituto Romarici-montis, * quæ eccleſia, olim nobile monaſterium ſanctimonialium Ordinis ſancti Benedicti, nunc, collapſa regulari diſciplina, converſa eſt in collegium Canonicarum ſæcularium. Cùm enim illius loci abbatiſſa Canonicarum ſuarum mores in melius reformare vellet, hæ novæ reformationis impatientes, abbatiſſæ litem intenderunt. In iis verò ſcriptis, quæ in vulgus emiſêre, non tantùm contendebant eccleſiam ſuam numquam monaſtico Ordini & regulæ ſancti Benedicti addictam fuiſſe, ſed & Mabillonium aſſertionis ſuæ vadem perperam omnino citabant. Is eo magis indignatus, quo contrarium apertè ſtatuerat multis in locis, & in iis ipſis, quæ allegabant; edidit anno MDCLXXXVII. epiſtolam, in qua accuratiùs retractato argumento, ſolita eruditione, ac moderatione probat, abbatiam Romarici-montenſem in monialium dumtaxat gratiam conditam, regulæ ſancti Benedicti ab ipſis primordiis addictam fuiſſe, nec illius loci monachas eam regulam profiteri deſtitiſſe, donec

nec

* Remiremont.

nec anno circiter M. D. abjecto cum monaſticis veſtibus & nomine, in ſæculares Canonicas, nullis conſtrictas votis, evaſerunt.

Biennio poſt alia difficultas Mabillonium cum doctiſſimis viris, quos impenſè venerabatur, commiſit. Illuſtriſſimus quidam abbas ſcripſerat Gallico idiomate commentarios in Regulam Sancti Benedicti, in quibus contendebat, nullam in tota Regula mentionē fieri ſacrificii Euchariſtici communionisque ſacramentalis; ac proinde voces *Miſſa*, & *communio Sancta*, quibus utitur Sanctus Patriarcha Regulæ ſuæ capitibus XXXV. & XXXVIII. à vulgata acceptione detorquendas eſſe, ut priori ſignificetur divinorum officiorum concluſio ſeu finis; poſteriori, pauculum panis & vini, quod à lectore menſæ ſumitur ante lectionem, in ſignum eccleſiaſticæ communionis cum fratribus ſuis, quibuſcum edere non poteſt. Violenta quidem & toti contextui repugnans videbatur hæc explicatio: cùm tamen illuſtriſſimi abbatis commentarius typis editus non eſſet, ſed à multis exſcriptus dumtaxat & lectus, facile diſſimulari potuiſſet, niſi doctiſſimus auctor diſſer-

diſſertationis Gallicæ de Hemina vini, quam ſuis indulget Sanctus Benedictus, in ſecunda editione in abbatis ſententiam, ſua retractata, non modò iviſſet, ſed & pro ea decertâſſet: quem non multo poſt ſubſecutus eſt alter, qui Regulam ê Latino in Gallicum ſermonem convertit. Veritus Mabillonius, ne nova hæc opinio, à conſtanti totius Ordinis traditione diſcedens, & communi interpretum Regulæ ſententiæ repugnans, latiùs ſerperet, eam ſcriptis cœrcendam eſſe ſibi putavit. Tractatum proinde patrio ſermone edidit anno MDCLXXXIX. in quo novam eorum auctorum explicationem confutat, nullaque ſolida ratione niti poſſe demonſtrat. Argumenta verò petit tum à priorum monachorũ, Sancto Benedicto antiquiorũ, praxi, tum à cõmuni totius Ordinis diſciplina tum ab interpretũ fere omnum ſententia: oſtenditque eum in monaſteriis morem ſemper obtinuiſſe, ut ſingulis dominicis ac feſtis diebus monachi euchariſtiæ ſacrificio intereſſent, ſacraque cõmunione Chriſti corporis reficerentur: eos verò fratres, qui coquinæ, & refectorio deſerviebant, & lectorem menſæ, quibus indultum erat, ut pauculum panis & uni

(quod

(quod *mixtum* vocabatur) ante refectionem ſumere poſſent, *ne grave eis eſſet jejunium ſuſtinere*, *mixti* ſumptionem iis diebus *poſt Miſſas & Communionem*, id eſt poſt miſſæ ſacrificium, & communionem euchariſticam, quæ à jejunis percipienda erat, diſtuliſſe: tum verò lectorem *mixtum* ſumpſiſſe *propter Communionem Sanctam*, ne ipſa lectione, & contentione vocis periculo ſacras particulas exſpuendi objiceretur. Hæc fere tractatus ſumma, in quo auctor identidem alia affinia diſciplinæ eccleſiaſticæ & monaſticæ capita illuſtrat. Hunc tractatum domnus Claudius *de Vert*, ex antiqua obſervantia Cluniacenſi, quem nonnihil feriebat, confutare aggreſſus eſt, oppoſita diſſertatione, ſed verbis (ſæpiùs parùm urbanis & inofficioſis) ac confidentia, quàm argumentis & rationibus graviori; in qua proinde refellenda à contentione ſemper abhorrens Mabillonius otium abuti noluit; quamvis juſtæ querelæ locus eſſe potuiſſet, quod auctoris tractatus nomen ideo ſibi ignotum eſſe diſſimulaſſet diſſertationis auctor, incivilius appetere poſſet.

Gravior, ac paulo diuturnior exſtitit, quæ

quæ ſubinde exarſit Mabillonium inter, & clariſſimum abbatem Trapenſem, ex ſtrictiori obſervantia Ciſtercienſi, concertatio de ſtudiis monachorum. Jam dudum Mabillonium hortabantur & urgebant non modo majores noſtræ congregationis, ſed & alii doctiſſimi viri, ut accuratè diſſereret de ſtudiis monachorum, quæ nimirum, & qualia & quouſque eis frequentanda eſſent, certamque ſtudendi methodum præſcriberet, qua cum ipſe tam feliciter uſus eſſet, alii, pro ſuo quiſque fine ac ingenio, iisdem veſtigiis inſiſtentes ſimiliter uti poſſent, & ad eam ſtudia ſua cum fructu exigere; rati videlicet, nihil periculoſius eſſe junioribus, quàm ut rectore ac duce deſtituti ſeipſos avidius, quâm conſultius immenſæ lectioni committentes, obvia quæque temere captarent, ſicque incerti, quo ferrentur, totam vitam in ſtudiis, ſed incaſſo labore, ducerent, ſibi & eccleſiæ inutiles ſemper futuri. Re, ùt par erat, expenſa Mabillonius Superiorum & amicorum conſiliis concedendum eſſe putavit; atque adeo tractatum edidit *de ſtudiis monaſticis* in quarto anno MDCXCI. quem in tres partes diſtribuit. In priori

priori oſtendit, ſtudia litterarum, ea etiam, quæ conſuetis, jamque receptis Scholarum exercitijs coluntur, monaſtico ſtatui non tantùm non repugnare, ijsque monachis non interdici, ſed adeo neceſſaria eſſe, ut monaſtica diſciplina, rectusque monaſteriorum ordo & æconomia ſine ijs conſiſtere vix poſſint. quod eò verius eſſe demonſtratur, quò jam monachi clericatu nobilitati, ea ſcientia, alijsque dotibus inſtructi eſſe debeant, quas ſacri canones exigunt. Tum argumenta petit ab ipſius ſancti Benedicti Regula & praxi, ab exemplo tot illuſtrium Benedictinorum, qui ſcientiæ laude floruerunt, à locupletiſſimis præcipuorum monaſteriorum bibliothecis, & a conſtanti demum, & perpetua totius ordinis traditione & diſciplina; probatque tantum abeſſe, ut à litterarum ſtudijs monachos arcuerint Concilia, & ſummi Pontifices, ut potius admoveri juſſerint, longeque majoribus ac funeſtioribus malis objici monachos imperitos, quàm litterarum ſtudioſos. In ſecunda parte expendit ea omnia ſtudiorum genera, quæ monachis ſolitarijs convenire poſſunt, oſtenditque omnia illis permitti poſſe, quæ eccleſiaſticis viris lice-

ant. Tum, quod caput eſt, præcipuuſque operis finis, ad ſingula particulatim deſcendens, quo quiſque gradu ferri debeat, quibus ſubſidijs munitus ad ſtudium ſibi præſcriptum, aut à ſe delectum accedere, quos auctores, & quo ordine evolvere, qua ratione lectiones ſuas dirigere, & digerere, qua arte collectanea conficere, & in adverſaria redigere; uno verbo: qua certa methodo quiſque procedere, ut ab errandi periculo tutus ad ſcientiæ, cui vacat, culmen pertingere valeat, fuſè pertractat, & docet. In tertia parte agit de fine, quem ſibi in ſtudijs ſuis proponere debent monachi, eumque eſſe debere meritò contendit, ut ad veritatis notitiam & claritatem referantur, nec à præcipuis, quibus monachus quiſque tenetur, monaſticæ vitæ officijs avocent; ſecus non inutilia modò, ſed & noxia futura. Hanc partem excipit curioſa, & ordine ſæculorum digeſta ſeries difficultatum, quæ in lectione Conciliorum, Patrum, & hiſtoriæ eccleſiaſticæ occurrere poſſunt, ſubnotatis auctoribus, qui eas ſolvere conati ſunt: ut ad eas attendant legentes, & ſtudioſius obſervent ea omnia, quibus illuſtrari poſſunt. Accedit denique

cata-

catalogus ſelectorum librorum, quibus eccleſiaſtica bibliotheca inſtrui poteſt, indicatis, ubi opus fuit, melioribus editionibus.

Nullus ferè liber, majori omnium plauſu exceptus eſt, quàm tractatus iſte de ſtudijs monaſticis, qui non monachis dumtaxat, ſed omnibus alijs, doctis juxta & indoctis, utilis, incipientibus tutam, & expeditam ad ſcientias viam, provectioribus exemplar, omnibus vaſtiſſimum eruditionis campum aperit: adeò ut mirum ſit, hominem, qui in eruendis e pulvere & ſitu chartis veteribusque monumentis maximam vitæ partem egerat, de alijs omnibus ſcientijs ſic diſſeruiſſe, quaſi in unaquaque totam vitam inſumpſiſſet. Tanta fuit operis fama, ut brevi diſtractis prioris editionis exemplaribus, alteram vix elapſo anno curare neceſſe fuerit; quam eandem anno inſequenti typis ſuis recudêre Bruxellenſes. Et ne tanto munere defraudarentur exteri, librum in Latinum ſermonem convertit, Campodunenſibusque typis in Suevia edi curavit anno MDCCII. R. P. Udalricus Staudigl, monaſterij S. Angeli Andechs, è Congregatione ſanctorum Angelorum

 cuſto-

cuſtodum Benedictina - Bavarica monachus: dubia hiſtorica etiam latinè vertit, & in ſuorum uſum apud Sanctum Gallum in Helvetia edidit R. P. Hermannus *Schenck*, ejus monaſterii bibliothecarius. Totam verò ſecundam operis partem, quæ ad uſum magis comparata eſt, cum difficultatum ſerie, Italico ſermone donatam, Romæ vulgavit anno MDCCI.) ſub hoc titulo: *la ſcuola Mabillonia*, R. P. Nicolaus Hieronymus *Ceppi*, Auguſtinianus. Hæc quo in pretio apud omnes eſſet Mabillonij tractatus, ſatis ſuperque teſtantur.

Probatum tamen omnibus de ſtudiorum monaſticorum ratione opus diſplicuit viro clariſſimo Armando - Johanni Butillerio, abbati B. M. de Trappa, ſtrictioris obſervantiæ Ciſtercienſis: adeò ut ſententiam de eo ſuam diſſimulare non potuerit. Jam enim edito tractatu *de ſanctis monaſticæ vitæ officijs*; ſeverioris diſciplinæ zelo ultro metas abreptus, ſtudia monachorum non modo vexare aggreſſus erat, verùm illis turbari monaſteria, ſanctiorem diſciplinam enervari, monachorum animos à rebus ſerijs ad nugas avocari, ſuperbiaque inflari, pietatem exſtingui, ea can-

tandem cum religioſæ vitæ profeſſione, ſanctorumque patrum legibus & inſtitutis conſtare non poſſe acerbè deploraverat. Non poterat Mabillonius, de ſtudijs monaſticis ſcribens, abbatis illius teſtimonium, quod magni ponderis apud multos eſſe intelligebat, ſilentio præterire, & argumenta illius ad examen non revocare. Fecerat id, more ſuo, tam modeſtè, ut nihil contentioſæ diſputationis haberet ejus oratio, quam ita temperaverat, ut nobilis ille adverſarius ne verbulo quidem læſum ſe queri poſſet. Is tamen lecto tractatu de ſtudijs monaſticis, ſtatim illum, ne monachis ſuis, ut ajebat, fraudi foret (quibus tamen aſceticos dumtaxat, non certè Mabillonianum legere permittebat) refellendum ſuſcepit; ſed ſtylo vehementiori, quaſi actum foret de monaſtica diſciplina. Cauſam porro non tam argumentis, quàm vivida & varijs figuris ſplendida oratione ita pertractat, ut non Mabillonius modò, ſed congregationis religioſæ & perſonæ pietate conſpicuæ ab inofficioſa cenſura intactæ non ſint; quaſi ſcilicet nihil tam abditum in profana etiam litteratura ſit, quod non Mabillonius addiſcere juberet; ipſas vete-

res inſcriptiones, numiſmata, fabulas, linguas peregrinas, leviora tandem pabulum ſtudij, doctrinæque aſcetarum eſſe vellet.

Tam ſiniſtrè accipi ſententiam ſuam doluit Mabillonius. Et ſi quidem ſoli ſibi, quamvis immerenti, facta fuiſſet injuria, corde facilè preſſiſſet: ſed contumelias in totum Ordinem jactas, oblitosque ſtudij litterarum falſos colores diſſimulari nec poſſe, nec debere, non ipſe modò, ſed & ſuperiores, virique alij clariſſimi, inter quos illuſtriſſimus Franciæ Cancellarius, cenſebant. Jis igitur hortantibus reſumpto calamo, abbatis Trapenſis reſponſioni animadverſiones in eandem reſponſionem (is libro titulus) opponere feſtinavit; adeò ut octavo circiter menſe, quàm prodierat reſponſio (prodierat menſe Februario anni MDCXCII. ineunte) animadverſiones e prælo exierint, menſe videlicet Septembri ejusdem anni ineunte, anno inſequenti iterum recuſæ. Ubi in ipſo limine plurima ſibi ab abbate malè impacta fuiſſe conqueſtus eſt, oſtenditque; diſſimulatum, aut malè conſtitutum quæſtionis ſtatum reſtituit; an videlicet ſtudia litterarum, ea maximè, quæ viros eccleſiaſticos decent,

mona-

monachis liceant, majora tamen, aut minora, pro cujusque captu & ſuperiorum judicio; non verò, ut falſò expoſuerat abbas, utrum ſcientiæ omnes, de quibus egerat Mabillonius in tractatu ſuo, monachis neceſſariæ ſint; longè minus, an monachi omnes promiſcuè, nulloque diſcrimine habito, in majora ſtudia altius ſeſe demittere debeant. Tam inſulſa cogitatio Mabillonij mentem numquam ſubierat; & quàm ab ea abhorreret, ſic declaraverat, ut diſertiùs non poſſet, tum in tractatus ſui epiſtola nuncupatoria ad juniores monachos, tum alibi paſſim, ubi ea ſtudia quæ ad mediocrem ſaltem litterarum ſacrarum intelligentiam conferunt, omnium; majora & altiora, paucorum; certa quædam, ùt mathematicarum, numiſmatum, inſcriptionum, &c. ferè nullorum eſſe ſcribit. Itaque reſtituto, quem deformaverat abbas, genuino qnæſtionis ſtatu, totum argumentum inſtaurat, eaque vi & efficacia, ſoliditate & perſpicuitate pertractat, adverſarij objectiones ſolvit, criminationes diluit, nimium in omnibus zelum coërcet: vehementiores impetus reprimit, malè laceſſitos plures illuſtres ac ſanctos viros, inte-

grasque congregationes vindicat, ut ſi abbatem ſuſcepti conſilij non pœnituerit; ſaltem pœnitere debuiſſe conſtans omnium ſententia fuerit. Sed ſi in tota ea diſputatione Mabillonij eruditionem, præſtantiſſimúmque ingenium; moderationem non minus mirati ſunt univerſi: quamvis enim inofficiosè & durè, immerens licet, exceptus fuiſſet, eum tamen modum tenuit, ut verbum nullum exciderit, quod convicium ſapiat, cauſamque interdum infirmare malit, quàm ea confutare, quæ non niſi inclementioribus verbis refelli poſſent. Et ne qua vel leviſſima tecti in corde odij ſuſpicio in aliorum animis oboriri poſſet, clariſſimum abbatem, quem impensè veneratus ſemper fuerat, a sereniſſima principe fœmina invitatus, ultrò adijt, habiturus ei honorem, veteremque amicitiam, ſi fortè diſputatione refrixiſſet, renovaturus. Sic finita eſt controverſia quæ diutius attentos tenuerat omnium animos.

Eos labores eluctatus Mabillionius, totum ſe deinceps ad ſanctius otium referre, convertereque ſe à turba in ſolitudinem meditabatur, ubi curis alienis vacuus, totus

tus Deo, ſibique vacans cogitaret dies antiquos, & annos æternos jugiter in mente haberet. Pijſſimum quidem conſilium, ſed eccleſiæ damnoſum, quæ ex tanti viri laboribus non modicum fructum adhuc collectura erat. Id ubi audierunt duo illuſtriſſimi præſules, graviter improbarunt, rati, quod res erat, tanto viro non licere ingenij dotes ſibi à Deo in aliorum commodum conceſſas obruere. Hortati ſunt proindè, ut novam ſanctiCypriani operum editionem curaret. Aſſenſit ille; jamque ad opus ſe accingebat, cùm ab alio occupatũ eſſe cognoſcens, priſtinum conſilium repetere volebat. Sed acriter obſtitêre tum ſuperiores, tum amici, expoſueruntque ſuſcepta hactenus ſtudia, peregrinationes, opera, ad illuſtrandam Ordinis noſtri hiſtoriam collimare cùm debuiſſent, eamdem ab eo ſolo conſcribi poſſe & debere, præter quem vix ullus alius unquam occurreret, qui tot ſubſidijs & dotibus inſtructus ad opus accedere poſſet: hanc eſſe omnium de eo ſpem, omnium vota, totius Ordinis exſpectationem, quæ ſi fruſtraretur, juſtum de eo apud poſteros expoſtulationis locum fore; ex ſe quidem arduum eſſe opus, ſed

ei longè faciliùs qui tantam rerum domeſticarum peritiam jugi ſtudio, ſummámque ſcribendi facilitatem aſſidua exercitatione comparaverat; quod proinde aggredi ſi negaret, alios deinceps ejus exemplo deterritos ne tentare quidem auſuros, ſicque opere utiliſſimo, immo & neceſſario Ordinem, eccleſiam, & ipſam rempublicam defraudatum iri. His, ſimilibusque rationibus permovebatur quidem Mabillonij animus; una remorabatur caduca jam ætas, affectaque valetudo: at Dei auxilio confiſus rei tandem manum admovere conſtituit. Admovit revera medio menſe Julio anni MDCLXXXXIII. hucque deinceps ſtudium omne contulit.

E maxima tamen occupatione tempus interdum eripuit vel caritas proximi, cui inſervire ſtudebat, vel promovendæ aut defendendæ religionis neceſſitas. Cùm anno MDCLXXXXVI. e vita ceſſiſſet Maria de Blemur, e Benedictina congregatione adorationi perpetuæ ſanctiſſimi Sacramenti addicta, monialis, rogatus ſcripſit epiſtolam encyclicam de ejus morte ad cætera ejusdem inſtituti monaſteria, animam pijſſimæ virginis ſororum precibus commen-

mendaturus, ejusque laudes celebraturus. Eo lubentius fecit, quo eximia illius pietas, præclaraque in totum Ordinem, immo & eccleſiam merita juſtis laudibus digniſſima eſſent. Ipſa eſt enim, quæ Annum Benedictinum Gallicè conſcripſit, opus XII. voluminibus in 4to diſtinctum, in quo præcipuorum Ordinis ſanctorum vitas, prout in Kalendario ſingulis anni diebus occurrunt, digeſſit; ac poſtmodum aliorum ſanctorum in eccleſia notiorum acta deſcripſit, ediditque duobus voluminibus in folio, & alijs pluribus libris pietatem, & ſcientiam ſuam poſteris commendavit. Anno ſequenti regulam ſancti Benedicti cum ſtatutis, quæ Stephanus Poncherius, epiſcopus Pariſienſis, ad reformanda monialium Ord. ſancti Benedicti monaſteria Diœceſis Pariſienſis ediderat, Gallicè denuo convertit Mabillonius in gratiam monialium inclyti parthénonis Calenſis.

Sed inſignius fuit, quod anno ſubſequenti MDCXCVIII. edidit opus, mole quidem parvum, ſed argumenti dignitate magnum. Epiſtola eſt, quam ſub nomine Euſebij Romani ad Theophilum Gallum, de cultu ſanctorum ignotorum ſcripſit.

ſit. Nomen ſi diſſimulaverit Mabillonius, fecit prudentia; quòd nimirum haud neſciret lubricum & invidioſum eſſe argumentum pluribusque diſplicituram eſſe epiſtolam. At latebras fruſtra quærebat auctor, quem ſtyli nitor, modeſtia, pietas, rationum pondus, & efficacia, ac eruditio ſemper eadem ſibique conſtans vel invitum ſatis prodebant; adeò ut Mabillonium ex iis dotibus facile agnoſcerent periti. Conſcribendæ verò epiſtolæ ea fuit occaſio. Sæpius & aures & animum pulſaverat ea quæſtio, an veri martyres habendi eſſent illi ſive anonymi, ſive obſcuri nominis, quorum corpora è Romanis cœmeteriis eruuntur, tum quibus indiciis eorum ſanctitas, & martyrium diſcerni poſſint: quo denique cultus genere ſancti illi incogniti ſint honorandi. Dum Romæ verſaretur, his de rebus viros Romanæ eccleſiæ peritos conſulere, & ſubterranea urbis cum reverenter, tum accuratè luſtrare cœmeteria curaverat, ut ejusmodi quæſtionibus aliquid lucis afferre poſſet. Reverſus ſtatuit ſcriptis committere, quæ hac de re didicerat, tum ut piorum hominum votis ſatisfaceret, tum ut cavillos refelleret hæretico-

rum,

rum, qui Romanam eccleſiam ea de re traducunt, & infamant, quaſi ſanctos perſonatos fidelibus venerandos exponat, approbetque profuſos illos cultus, qui ejusmodi reliquiis impenduntur nonnullis in locis. Sic omnino ille conſilium exponit in poſtrema epiſtolæ editione. Exſequi verò diſtulit, aliis ſcilicet ſtudiis occupatus, donec interrogatus quid ſentiret de duabus duorum tumulorum inſcriptionibus, quarum altera in agro Veſuntionenſi, altera apud Ambianos nuper reperta erat, deque corporibus in illis tumulis inventis, eſſentne chriſtianorum, an paganorum; & ſi quidem chriſtianorum, an ſanctorum dicenda eſſent, iisque cultus impendi poſſet, qualis corporibus ſanctorum Româ advectis impendi ſolet; occaſione hinc captata, rem altius repetens, epiſtolam de cultu ſanctorum ignotorum ſcripſit, vulgavitque. In ea epiſtola tria ſibi diſcutienda proponit, expenditque, primò quid de Romanis cœmeteriis ſentiendum ſit, & utrum omnes, qui in eis ſepulti ſunt, martyres, an ſaltem ſancti habendi. Quod ſi non omnes, an certis notis & indiciis ſancti ac martyres ab aliis ſecernantur. Ad hæc, an ſanctos il-

los

los ſive proprio nomine præditos, ſive anonymos, quos ob inditum recens nomen *baptizatos* appellari mos eſt, profuſo illo cultu qualis in quibusdã Gallicanis eccleſiis impendi ſolet honorari velit ſum̃us pontifex, cujus hac in re ſumma eſt auctoritas. Quo præſtructo fundamento de prædictis duabus inſcriptionibus, duobusque tumulis apud Veſuntionem & Ambianos repertis diſſerit.

Ea epiſtola eruditorum omnium favorem habuit, & quibusdam epiſcopis ita placuit, ut ad præſcriptum ejus ſanctorum ignotorum cultum in diœceſi ſua exigi voluerint. Nec ſemel deinceps in Gallia & Belgio tum Latinè, tum Gallicè recuſa fuit. Ex proteſtantibus, qui candidiores erant, ea lecta confeſſi ſunt, plura ſæpe Romanæ eccleſiæ vel apoſtolicæ ſedi perperam vitio verti, quæ privatorum hominum vel inſcitia, vel immoderata pietas in cultum ſacrum invexit; quæ tamen catholici peritiores palam damnant, nec Romana probat eccleſia. Quæcumque tamen fuiſſet auctoris circumſpectio ut neminem læderet, vitare non potuit, quin aliquorum offenſionem incurreret. Quidam, quos bonus qui-

quidem, ſed cæcus, ac præpoſterus impellebat zelus, quidam, quos occultior quæpiam cauſa, quam palam efferre pudor erat, ægrè ferebant ſeverioribus regulis coërceri populorum pietatem, cujus remiſſionem non fruſtra timebant. Hinc Mabillonij lucubratiuncula libellis aliquibus impetita fuit, ſed tam infeliciter, ut vix quiſquam legere dignatus ſit. Alij, ut invidiam auctori conflarent, epiſtolam ad Romanæ Inquiſitionis tribunal detulerunt; nec felicius. Cùm enim Mabillonius non ipſum cultum ſanctorum ignotorum reprehendiſſet, ſed abuſum, qui aliquibus in locis, præter regulas a ſummis pontificibus conſtitutas, irreplerat; hunc eum in modum excreviſſe, qui ferri non deberet, ultro faſſi ſunt e Romanis doctiores. Quod & Mabillonius liquido oſtendit in commonitoria epiſtola ad D. Claudium Eſtiennot, procuratorem generalem congregationis ſancti Mauri in Curia Romana, ſuper epiſtola de cultu ſanctorum ignotorum. Quam cùm legiſſent utrique congregationi, Inquiſitionis & Indicis, præfecti Cardinales, & prælati, ſibi admodum probari conteſtati ſunt, virique doctiſſimi epiſtolam de

cultu

cultu ſanctorum ignotorum ab omni cenſura tutam eſſe palam aſſeruêre plures.

Ut tandem repulſis accenditur potius, quàm extinguitur invidia, malevoli homines paucis interjectis annis ad ſolitas artes rediêre, acriusque, quàm antea Mabillonij damnationem apud congregationem Indicis inſiſtere cœperunt, benè ſibi ceſſiſſe putantes, ſi per latus doctiſſimi & celeberrimi viri, noſtræ congregationis famæ aliquam infamiæ notam adſpergere poſſent. Eò rem adduxerant, ut vix de lucubratiunculæ cenſura dubitaretur, cùm ſapientiſſimorum quorumdam cardinalium conſilio tota conſpiratio dirempta eſt. Ji quippe pro ſuo in eccleſiæ, Romanæq; ſedis decus ſtudio, ſummum portificem Clementem XI. adierunt, expoſituri, indignum probis omnibus viſum iri, ſi Mabillonius, vir doctus ac pius, præcipiti cenſura notaretur, quod profuſum, & interdum imprudentiorem ſanctorum ingnotorum cultum intra juſtos limites coërcere ſtuduiſſet; quem ejus deceſſor, & Rituum Congregatio reprimere decretis ſuis ſtuduerant Hæc, ut Mabillonio, cujus epiſtolam, Cardinalis legerat, propitius erat pontifex, benignè excepit,

cepit, ſtatimque Congregationem Indicis ulteriori cauſæ cognitione interdixit; prudenter ratus, monitum Mabillonium, pro ſua pietate intimaque in ſanctam Romanam eccleſiam & apoſtolicam ſedem obſervantia, haud repugnanter, nullaque mora explicaturum quidquid in epiſtola ſua obſcurius videretur. Nec ſpem pontificis fefellit vir optimus: nam ubi primùm ejus voluntas innotuit, illico novam epiſtolæ ſuæ editionem vulgavit anno MDCCV. in qua retractato argumento, noviſque acceſſionibus aucta lucubratione, ſi quid ſcrupulum inijcere potuiſſet, explicuit; ſi quid durius, emollivit; ſi quid minus accuratum, emendavit; omnemque vel leviſſimam offenſionis occaſionem amoliri ſategit. Romanis omnibus probata eſt nova hæc editio, ſummo pontifici imprimis, qui ea lecta, laudavit, gratulatoriaſque ad auctorem ſuo nomine ſcribi juſſit litteras per procuratorem generalem congregationis ſancti Mauri. Scripſerunt & cardinales multi, in quibus Eminentiſſimus Otthobonius ijs verbis uſus eſt: „ ut in-
„ quid, in ſacra Indicis Congregatione
„ comparuit (nova editio) Eminentiſſi-

M „ mo-

„ morum patrum unanimi conſenſu ple-
„ niſque ſuffragijs commendata, & appro-
„ bata fuit.

Paulo poſt editam primùm epiſtolam de cultu ſanctorum, alteram longè diverſi argumenti ea occaſione ſcribere neceſſe fuit. Miſer quidam religioſus, non noſtri quidem Ordinis, ſed cujus nomen ad Mabillonianum ſatis accedebat, abjecta cum monaſticis veſtibus fide, ad Proteſtantes defecit. Hinc ſiniſter per Germaniam & Angliam diſſipatus rumor, Mabillonium catholicæ fidei deſertorem ad hæreticorum caſtra in Hollandiam perfugiſſe. Tam atrocem, malæque ſtructam excitari de ſe calumniam doluit ex animo vir pius, catholicæque fidei, ſi quis alius, ſtudioſiſſimus; nec minus catholici, quos fictus ille tanti viri caſus non parum conturbabat. Etenim ſparſa in Germaniam calumnia fidem, eamque timidam apud paucos habuerat; quam proinde ſcriptis illuc litteris ad amicos reprimere haud difficile fuit. Latius verò per Angliam vagabatur, ſollicitè diſſipantibus, ſive gaudio, ſive dolo, Proteſtantibus, indeque adverſus afflictos catholicos ſuperbius ſeſe efferentibus. Id ubi

Ma-

Mabillonio renunciatum eſt poſtremis anni MDCXCVIII. diebus, nec mora ſcripſit epiſtolam ad catholicos Anglos, qua infabre cuſam calumniam falſi revincit, quid de catholica fide ſentiat, umquamve ſenſerit, exponit, eosque demum, pro ſuo in eam fidem ſtudio, hortatur, ut in illa perſeverent, quam ſolam veram, & ad ſalutem neceſſariam eſſe probat. At epiſtola haud opus fuit, ut reprimeretur fama, quam detecta nominis æquivocatio, perlatæque in Angliam variæ tum è Gallia, tum è Hollandia litteræ, ſatis compreſsêre; adeo ut epiſtolam illuc mittere neceſſe non fuerit.

Nondum ſummi pontificis prudentia & æquitate finitum erat negotium, quod Romæ faceſſere Mabillonio ſtudebat aliquorum invidia, cùm inde accepta occaſione aliud non Mabillonio ſoli, ſed toti Ordini Benedictino arceſſere conatus eſt Joannes Baptiſta Thiers, vehementioribus ſcriptis notiſſimus. In abbatiali eccleſia ſanctiſſimæ Trinitatis Vindocinenſi, Diœceſis aliàs Carnutenſis, nunc Bleſenſis, aſſervatur, maximaque fidelium veneratione & concurſu colitur, jam ab ipſa mo-

naſterij fundatione, iſt eſt: à ſexcentis amplius annis, pretioſa quædam ciſtella vitream ampullam cærulei coloris continens, qua incluſa creditur una ex Chriſti lachrimis, quas in excitatione Lazari fudit Salvator. Hoc munera Vindocinenſem eccleſiam donavêre Gaufridus Martellus, & Agnes ejus coniux, monaſterij conditores, accepto, ùt ferunt, ab Henrico rege, cui à Nitkero Friſingenſi epiſcopo, allatum ex urbe Conſtantinopoli, donatum fuerat. Hanc hiſtoriam repræſentant tum ipſa capſula, tum arcuata rudi artificio ſtructa fabrica, ſub qua hæc capſula recluſa eſt, eodem fere tempore erecta, quarum ſpecimen æri inciſum exhibet Mabillonius tomo Annalium IV. p. 532. Cæteræ translationis circumſtantiæ prorſus incertæ ſunt, ut quas ſcriptis mandare neglexerint primi Vindocinenſes monachi. Sæculo proximè elapſo unus ex eodem cœnobio breviſſimum quendam libellum Vindocinenſibus typis ad vulgi uſum edidit, in quo quid ferret accepta populis ea de re traditio, haud eleganti ſermone, nec majori artis criticæ peritia, ſimpliciter tamen, & bona fide expoſuit, populi pietati magis,
quàm

quàm criticæ regulis conſulens. Plerumque proſtat libellus ad majores eccleſiæ valvas apud mulierculas infimæque ſortis mercatores, victum ſibi ex ejusmodi mercibus corradentes. Is ipſe tamen eſt, quem litteratis prorſus ignotum ſeriò ſibi refellendum ſuſcepit Johannes Baptiſta Thiers, ſcripta diſſertatione adverſus ſacram lacrymam Vindocinenſem, anno MDCXCIX. Pariſijs edita. Si quidem ſolum id feciſſet, giganteos in formicam elidendam conatus riſiſſent omnes. Sed quod captata hinc anſa diras in totum Ordinem Benedictinum ſcripſerit, Benedictinósque traduxerit, quaſi turpiſſima omnium impoſtura falſas reliquias populis obtrudere geſtiant; quod impios, ac ſcurriles jocos ex profligatiſſimo omnium libro, apparatu ad apologiam Herodoti, hauſtos, ſermonibus admiſcere non puduerit; quod demum eas regulas ad ſecernendas veras reliquias à falſis ſtatuerit, quæ ſi valeant, peſſum eunt omnes reliquiæ, ullæque vix inconcuſſæ ſtare poſſunt; id diſſimulari omnino non potuit, nec decuit. Veritus Mabillonius, pro ſua pietate, nec hominis fama qualiscumque leviſſimis ac futilibus ar-

gumentis adderet pondus, indeque conturbati fideles ſacras omnes reliquias promiſcuè & temere in dubium revocarent, imo & contemptui haberent; repreſſa hominis temeritate, cauſam non Vindocinenſibus modo, ſed & omnium aliarum eccleſiarum, quæ per Vindocinenſis latus configebantur, ſibi agendam eſſe duxit. Scripſit proinde patrio ſermone epiſtolam ad illuſtriſſimum epiſcopum Bleſenſem, de veteribus reliquijs diſcernendis, ediditque anno MDCC. In ea primùm expendit regulas â diſſertationis auctore propoſitas, & exempla, quibus muniebantur; tum oſtendit alias falſas eſſe, & in reliquiarum omnium perniciem ac fidelium conturbationem conſtitutas, alias verò nihil prorſus ad rem facere; tum alias, majori certè judicio, prudentia, ac pietate, ipſe conſtituit, ad quas in veterum reliquiarum habendo diſcrimine attendendum ſit, tum expoſtulat cum adverſario, cujus impie ſcurriles, & dicaces impetus identidem caſtigat, quod iniquo partium ſtudio abreptus falſarum aut dubiarum reliquiarum, quales perperam fingebat, Benedictinis ſolis affingat; cùm tamen veteres omnes eccleſiæ

cleſiæ cùm ſæculares, tum regulares, ſimilibus glorientur, gloriarique ſe merito poſſe exiſtiment; tum denique eccleſiæ Vindocinenſis traditionem ac bona cum fide junctam poſſeſſionem legitimis niti fundamentis, & ab adverſarij ſimiliumque telis tutam eſſe demonſtrat.

Johannis Thiers diſſertationem accuratè legit Criticus alter, necæquior, nec moderatior, auctor videlicet Bibliothecæ criticæ ſuperiùs memoratus, adeoque placuit, ut omnes, quibus ſcatebat, injurias, probra, convitia, calumnias, & ineptias, unis exceptis Herodotianis, quas tamen alijs ubertim compenſavit, dignas conſuerit, quas in adverſaria ſua, ejusmodi ſupellectile, ſi quæ alia, ditiſſima, referret, ut iterum Benedictinis ſolita fide ingereret, * Mabillonij verò epiſtolam ſi viderit, vel ab ipſo titulo ſtatim faſtidiens, tanto viro indignam eſſe, audacter pronuntiat; imo graviter reprehendit; quòd diſſertationi Thierſij reſpondere aggreſſus ſit. Non quod invalida eſſe Mabillonij argumenta probet; ne quidem attingere audet: ea quippe eſt ejus prudentia, ut ſcripta, qui-

 bus

* Biblioth, crit. tom. 3. p. 331. & ſeqq.

bus obloquitur, eminus quidem adlatret, cominus nunquam adoriatur. Sed id revera in Mabillonij epiſtola offenſionem habet apud ejusmodi homines, quod vir pius præcipitem temerariamque audaculorum cenſuram coërceat, easque leges in habendo veterum reliquiarum diſcrimine conſtituat, quæ nihil imprudenti aleæ, nihil effrenatis animi levioris impetibus permittant, ſed totum maturiori judicio & examine, maxima cautione & circumſpecta pietate fieri jubeant. Hæc effreni criticæ moleſtiora, quàm ut placere poſſint.

Cùm anno MDCCI. regiam inſcriptionum academiam novo ſociorum delectorum ſupplemento augeri, novisque ſtatutis informari Rex Chriſtianiſſimus juſſiſſet, in ſpectatiſſimorum hominum cœtum merito & eruditione ſua adſcitus eſt Mabillonius, litterasque ea de re ad illum ſcribere dignatus eſt illuſtriſſimus comes *de Pontchartrain.* Delatum honorem tantum refugit vir modeſtiſſimus, quantum alij ambiunt; accipit tandem, à clariſſimo abbate Bignonio, majoribusque ſuis juſſus. Tam inclyti nominis ſocio auctam ſe glo-

riata eſt academia, quantique eum faceret, publicis argumentis, quoties occaſio ſe tulit, demonſtravit. Cui quidem exiſtimationi pro virili ſua parte reſpondere conatus eſt gratiſſimus Mabillonius, academiam, quantum per occupationes licebat, frequentando, eamque novarum lucubrationum lectione interdum recreando.

Inter honores, quibus undique cumulabatur humilis monachus, ſuæ ſortis nunquam oblitus ad extrema ſemper reſpiciebat. Dumque ex ſanctiſſimi Patriarchæ ſui præſcripto, *mortem quotidie ante oculos ſuſpectam haberet*, quæcunque inter legendum occurrebant pijſſimi ſanctorum hominum obitus exempla, ab oculatis teſtibus, aut qui ab his acceperant, enucleatè deſcripta; ea ſibi eisdem omnino verbis ſtudioſè colligebat, identidem relecturus. Hanc collectionem cùm legiſſent plures pietate & ſapientia conſpicui viri, dignam cenſuerunt, quæ in fidelium uſum patrio idiomate vulgaretur. Acquievit tandem Mabillonius, librumque edidit anno MDCCII. *De morte Chriſtiana*, reginæ majoris Britanniæ nuncupatum.

Præmiſſa huic epiſtola nuncupatoria cum admonitione, auctoris pietatem, mentemque, cui jugi mortis meditatione faſtidit mundus, piè affectis lectoribus produnt.

Jam totum novennium in Annales Ordinis noſtri conſcribendos inſumpſerat Mabillonius: præcipua hæc ejus erat cura; cætera, quæ cœpto majoris molis opere ſcripta memoravimus, horis ſubſecivis elucubrata ſunt. Quamvis autem rerum eccleſiaſticarum & monaſticarum, immo & patriæ hiſtoriæ ſcientia, miraque ſcribendi facilitate nulli ſecundus eſſet, opus tamen præfeſtinare noluit, donec maturitatem eſſet aſſecutum, duosque ſaltem tomos typis paratos haberet: ut, dum hi prælo ſubijcerentur, cæteros parare liceret, citiusque prioribus ſubjungere. Jis igitur paratis, primum in lucem emiſit anno MDCCIII. Inſigne, ſi quod ſit, opus hiſtoricum, eruditorum omnium laudibus merito commendatum, cui pretium faciunt ſtyli nitor, ſcrupuloſa diligentia, prudens critica, multa paucis complectens oratio, mira rerum varietas, ſapiensque delectus, ſingularis modeſtia, & identidem

inſper-

inſperſæ obſervationes, ex rebus ipſis natæ, quæ vel rerum aridarum faſtidium minuant, vel lectoris animum ad pietatem accendant, & à vitijs dehortentur. Hæc enim auctoris laus eſt, ſtudioſè ſemper quotieſcumque ſe ſponte obtulit occaſio, adnotaſſe adnotarique à lectoribus curaſſe, unde primum vitia & virtutes ortum, & incrementum acceperint, à quibus initijs labefactata vel inſtaurata regularis, vel ipſa etiam eccleſiaſtica diſciplina: ut quisquis Annales legerit, non nudam & jejunam rerum hiſtoricarum notitiam referat, ſed & egregia documenta, & exempla inde colligat, ad quos mores inſtituat. Notius eſt opus, quàm ut diutius in explicando & ſcopo & argumento immoremur. Sed ſi quis forte ab eo legendo deterritus fuerit, quod exſanguem rerum monaſticarum, quæ nihil aut parum ad multos attineant, hiſtoriam complecti putet; is legitimam ſibi operis ideam haud effingit. Nam hiſtoria monaſtica, eccleſiaſtica & civilis ſcitè adeo & peritè intermiſcentur, ut hiſtoria generalis propemodum dici poſſit; nulla certè, quæ Francorum hiſtoriæ præcipua quæque eventa accuratiùs & certiùs

expo-

exponat. Ad hæc infinita pene eventa, aut eventorum circumſtantiæ è tenebris eruta, & illuſtrata; chronologia, quæ prius in multis vacillabat, ex certiſſimis monumentis firmata vel reſtituta; Concilia hactenus ignota, ignoti epiſcopi, abbates, viri illuſtres, ſcriptores, &c. in lucem primùm prodeuntes; eruditæ identidem, licèt breves, diſſertationes, ſelecta revera monumenta, quæ dictis fidem conciliant, & alia ejusmodi benè multa, quæ enarrare longum eſſet, omnium curioſitatem accendere debent, vel moroſiorum quorumque abunde explere poterunt.

Secundus Annalium tomus prodijt anno ſequenti MDCCIV. tertius anno MDCCVI. quartus anno MDCCVII. In ijs idem ſemper Mabillonius, ſibique conſtans res eadem methodo, perſpicuitate, diligentia, ac eruditione pertractat: Omnes proinde eodem plauſu ab omnibus excepti. Quintum prœlo ſubjecturus erat, ſextoque operam dare cœperat, cùm ecce labori immoritur. Dum prima die Decembris anni MDCCVII. Calam, * no-

* Chelle.

nobile Virginum Benedictinarum agri Pariſienſis cœnobium, octo circiter millibus à Eutetia diſſitum proficiſceretur, ſtranguriæ morbo in ipſo itinere correptus, graviſſimosque dolores perpeſſus, vix tandem illuc pedes adverſa, & iniqua omnino tempeſtate pervenire potuit. Remedijs per octo dies nequicquam tentatis, quippe natura morbi haud ſatis cognita, Pariſios revectus eſt, ubi opportunioribus adhibitis remedijs nonnihil remiſit ſe morbus, dubijque aliquamdiu inter ſpem, & metum hæſêre ſocij & amici. Sed tandem graviſſima interveniente febre, recrudeſcentibusque doloribus, ſalutis ſpes abijt. Jis diutius graviſſiméque conflictatus, ſuccubuit tandem eccleſiæ ſacramentis munitus, die 27. Decembris ſancto Johanni Evangeliſtæ patrono ſuo ſacra, anno MDCCVII. hora quinta veſpertina.

Sic ceſſit è vita præclarum Ordinis noſtri lumen, immo & eccleſiæ, quibus inſervire ſemper ſtuduerat, hunc nec alium ſibi laborum ſuorum finem proponens. Vita reſpondit morti, & hæc vitæ; utraque ſanctiſſima, qualis pyſſimum monachum decebat,

cebat, qui ad ſanctorum exempla, quorum virtutes deſcripſerat, mores inſtituere conatus fuerat. Quæ fuerit ejus pietas, quæ humilitas, paupertatis, & pœnitentiæ ſtudium, ac vitæ regularis amor, ſcripta ſatis produnt, in quibus animi ſenſus identidem emicant. Nec diſpar fuit animi ſenſibus vita. Quiſquis ad tot & tanta, & tam exquiſitæ eruditionis opera, & ad litterarum commercium, quod ipſi cum omnium ordinum, & nationum ornatiſſimis viris intererat, animum attenderit, dixerit ſanè Mabillonium ſtudijs altius immerſum nihil aliud vel cogitaſſe vel egiſſe: ſed quiſquis in totam vitæ ſeriem oculos convertiſſet, dixiſſet numquam ſtuduiſſe, aut ſcripſiſſe. Sic quippe ſtudijs vacabat, ut à conſuetis, immo etiam minimis vitæ regularis exercitiis numquam diſcederet; ſic regularibus exercitijs inſiſtebat, ut ſtudia non negligeret. Orationis præſertim ſtudioſiſſimus fuit, cui cujusque diei initia & finem conſecravit ſemper, & ad quam in ipſo ſtudiorum æſtu mentem, ne plus æquo diſtraheretur, identidem revocabat. Tantum abeſt, ut doctrina, qua valebat, publicis honoribus, omnium laudibus, ipſorum etiam celſiſſimo-

morum hominum exiſtimatione, ac benevolentia ſuperbiret, ut potius ſincera humilitate magis ſeſe demitteret, ad viliſſima quæque miniſteria, & officia, ubi licebat, ſeſe abjiciens, latebras quærens, lucem, ſplendoremque fugiens, omnibus, ipſis etiam inferioribus, & imperitioribus, cedens, omnibus, ubi ſe offerebat opportunitas, inſervire gaudens, nulli umquam moleſtus, nullum deſpiciens, effuſa caritate omnes complectens. Interdum viſus eſt eos homines adijſſe, à quibus ipſe graviter offenſus fuerat, vel de quibus juſta querela eſſe potuiſſet; eos veniam demiſſiſſimè rogaturus, qui rogare debuiſſent, ut ſic exulceratum eorum animum mitigaret. Vir ſimplex, & rectus, ac timens Deum, toto corporis habitu modeſtiam ſpirans, in converſatione manſuetus, de rebus pijs diſſerere feſtinus, de litterarijs tardior; ſententiam cùm rogabatur, promebat, ſed modeſtè, à vincendi, longè magis contendendi ſtudio alieniſſimus; ea dumtaxat: quæ ad rem quæſitam faciebant, proferens, cætera omnia humili ſilentio premebat. Ad regulam cum quam voverat, tum quam ſibi ipſe ſtatuerat, actio-

nes

cebat, qui ad ſanctorum exempla, quorum virtutes deſcripſerat, mores inſtituere conatus fuerat. Quæ fuerit ejus pietas, quæ humilitas, paupertatis, & pœnitentiæ ſtudium, ac vitæ regularis amor, ſcripta ſatis produnt, in quibus animi ſenſus identidem emicant. Nec diſpar fuit animi ſenſibus vita. Quiſquis ad tot & tanta, & tam exquiſitæ eruditionis opera, & ad litterarum commercium, quod ipſi cum omnium ordinum, & nationum ornatiſſimis viris intererat, animum attenderit, dixerit ſanè Mabillonium ſtudijs altius immerſum nihil aliud vel cogitaſſe vel egiſſe: ſed quiſquis in totam vitæ ſeriem oculos convertiſſet, dixiſſet numquam ſtuduiſſe, aut ſcripſiſſe. Sic quippe ſtudijs vacabat, ut è conſuetis, immo etiam minimis vitæ regularis exercitiis numquam diſcederet; ſic regularibus exercitijs inſiſtebat, ut ſtudia non negligeret. Orationis præſertim ſtudioſiſſimus fuit, cui cujusque diei initia & finem conſecravit ſemper, & ad quam in ipſo ſtudiorum æſtu mentem, ne plus æquo diſtraheretur, identidem revocabat. Tantum abeſt, ut doctrina, qua valebat, publicis honoribus, omnium laudibus, ipſorum etiam celſiſſimo-

morum hominum exiſtimatione, ac benevolentia ſuperbiret, ut potius ſincera humilitate magis ſeſe demitteret, ad viliſſima quæque miniſteria, & officia, ubi licebat, ſeſe abjiciens, latebras quærens, lucem, ſplendoremque fugiens, omnibus, ipſis etiam inferioribus, & imperitioribus, cedens, omnibus, ubi ſe offerebat opportunitas, inſervire gaudens, nulli umquam moleſtus, nullum deſpiciens, effuſa caritate omnes complectens. Interdum viſus eſt eos homines adijſſe, à quibus ipſe graviter offenſus fuerat, vel de quibus juſta querela eſſe potuiſſet; eos veniam demiſſiſſimè rogaturus, qui rogare debuiſſent, ut ſic exulceratum eorum animum mitigaret. Vir ſimplex, & rectus, ac timens Deum, toto corporis habitu modeſtiam ſpirans, in converſatione manſuetus, de rebus pijs diſſerere feſtinus, de litterarijs tardior; ſententiam cùm rogabatur, promebat, ſed modeſtè, à vincendi, longè magis contendendi ſtudio alieniſſimus; ea dumtaxat: quæ ad rem quæſitam faciebant, proferens, cætera omnia humili ſilentio premebat. Ad regulam tum quam voverat, tum quam ſibi ipſe ſtatuerat, actiones

nes omnes ſic exigebat, ut ab ea, ſive bona, ſive adverſa valetudine, ſive intra, ſive extra monaſteriũ degens, numquam, quantum licebat, declinaret; ijsdem horis mane ſurgens, & lectum petens, ijsdem orationi, & lectionibus pijs, quas numquam, etiam in itineribus omittebat, vacans, & officia divina recitans. Peregrinationes verò, quas identidem ſuſcepit, ita confecit, ut pedibus, paupertatis, & pœnitentiæ cauſa, quantum ætas, & vires permiſêre, incedens, potius in cella degens, quàm in itinere conſtitutus videretur. Eadem quippe mentis in Deum intentio, eædem lectiones piæ, orationes, preces, officia divina conſtitutis horis perſoluta; itineris moleſtias pſalmorum, & hymnorum ſacrorum cantu levare ſolitus. Ea loca adijt, non quo vana curioſitas, ſed quo juſta neceſſitas vocabat: illa præ cæteris inviſere gaudens, quæ reliquiis ſacris, & ſanctorum tutela, miraculis, & habitatione celebriora erant. Hæc dum primum eminus videre licebat, equo ſtatim deſiliens, ſi conſcendiſſet, in genua procumbebat, loci tutelares ſupplex veneraturus; tum reliquum iter, interdum pedibus & nudo capite,

pite, inter ipſos ſolis ardores, ſemper verò pſalmos cantans, pijſſimasque orationes fundens, conficiebat. Quas orationes fundere non omittebat, quotiescumque novæ diœceſeos fines ſubibat, ut tutelarium patrocinium imploraret. Nulli tamen moleſtus, ſi quibus extraneis itineris ſociis adjungi neceſſe foret; eos in pia colloquia ſollerter inducebat; vana, multò magis mala, prudens ſemper avertebat. Ita in ipſis itineribus & in ipſa turba ſolitudinem extra ſolitudinem reperiebat aut ſibi parabat pius ille ſolitarius. Quamvis tenuis & infirma eſſet corporis valetudo, nemo tamen ſibi minus indulſit, vix quidquam, majorum juſſu, de conſuetis jejunijs, abſtinentiis, corporisque macerationibus remittens, niſi cùm tanta erat morbi vis, ut aliàs ſuccumbendi periculum fuiſſet. Uno verbo, ſi erudítiſſimus vir fuit Mabillonius, ſanctiſſimus exſtitit monachus, qui pietatem cum ſcientia miro, & individuo nexu ſic conjunxit, ut illam tamen iſta ſuperiorem eſſe ſemper voluerit, quique monachorum ſtudia, qualia eſſe debeant, dum in ſuo tractatu de ſtudiis monaſticis delineavit, ſua ipſius, qualia fuerint, expreſſit.

Ut primùm morbo tentatus eſt, extremum eſſe ſtatim perſenſit; dudumque antea familiari ſuo Ruinarto, velut vaticinando, dixerat, ſe ſtranguriâ moriturum, & eodem ætatis anno, quo S. Anſelmus Cantuarienſis archiepiſcopus objerat, id eſt, ſeptuageſimo ſexto ineunte. Ut igitur fatalem morbum ſenſit, ilico curis omnibus terrenis abjectis, totum ſe ad Deum convertit, ſpiritualibusque ſtudiis addixit. Inter acutiſſimos, quibus vexabatur, dolores, ea erat vultûs ſerenitas ac mentis tranquillitas, ut nihil ferè pati videretur, nullæ aut pauciſſimæ erumpebant querelæ, nulla prorſus impatientia, ſed divinæ voluntati ſe totum permittens, illud cum ſancto Job frequenter ingeminabat: ſicut Domino placuit, ita factum eſt; ſit nomen Domini benedictum.

Cùm divinis officiis intereſſe, ſolitisque ſpiritualibus exercitiis vacare jam non liceret; jacturam compenſare ſtudebat, ſatagens, ut libri pij, ij præſertim, qui ad mortem ſanctè obeundam juvare poſſent, ſibi legerentur, divinaque officia propè lectum recitarentur, ſanctum vero ſacrifici-

cium in ſacello vicino, in quod è cubili proſpectus erat, celebraretur: quæ attentis auribus, attentiori mente audiebat, quibusque pro modulo reſpondebat. Cæterum pſalmorum, canticorum, & eccleſiæ precum recitatione, jugi oratione, cæleſtiumque meditatione, æterna felicitatis gaudia prævenire nitebatur, & ad ea totus anhelabat; aliis omnibus inſuper habitis. Hinc cum frequens eſſet ſingulis diebus virorum omnium ordinum ſpectatiſſimorum in abbatiam San-Germanenſem confluxus, ut de Mabillonij valetudine ſciſcitarentur, de qua ſolliciti, & anxij erant omnes; vix tamen ullos admittere voluit, niſi quorum verbis ad pietatem accendi poterat animus, de cœterorum adventu vel ſollicitudine ne quidem moneri ſe paſſus eſt, ne quæ vanitatis aura animum afflaret. Vix exprimi poteſt quo fervore, amore, pietate ac humilitate divina ſacramenta ſibi allata ſuſceperit, cui Deus id indulſit, ut ipſa ſuprema die, Johanni patrono ſuo ſacra, ſanctiſſima euchariſtia iterum ſummo mane paſtus fuerit. Nihil deinceps ex ejus ore erupit, præter ſacra cantica, jaculatorias oratio-

gumentis adderet pondus, indeque conturbati fideles ſacras omnes reliquias promiſcuè & temere in dubium revocarent, imo & contemptui haberent; repreſſa hominis temeritate, cauſam non Vindocinenſibus modo, ſed & omnium aliarum eccleſiarum, quæ per Vindocinenſis latus configebantur, ſibi agendam eſſe duxit. Scripſit proinde patrio ſermone epiſtolam ad illuſtriſſimum epiſcopum Bleſenſem, de veteribus reliquijs diſcernendis, ediditque anno MDCC. In ea primùm expendit regulas à diſſertationis auctore propoſitas, & exempla, quibus muniebantur; tum oſtendit alias falſas eſſe, & in reliquiarum omnium perniciem ac fidelium conturbationem conſtitutas, alias verò nihil prorſus ad rem facere; tum alias, majori certè judicio, prudentia, ac pietate, ipſe conſtituit, ad quas in veterum reliquiarum habendo diſcrimine attendendum ſit, tum expoſtulat cum adverſario, cujus impie ſcurriles, & dicaces impetus identidem caſtigat, quod iniquo partium ſtudio abreptus falſarum aut dubiarum reliquiarum, quales perperam fingebat, Benedictinis ſolis affingat; cùm tamen veteres omnes eccleſiæ

cleſiæ cùm ſæculares, tum regulares, ſimilibus glorientur, gloriarique ſe merito poſſe exiſtiment; tum denique eccleſiæ Vindocinenſis traditionem ac bona cum fide junctam poſſeſſionem legitimis niti fundamentis, & ab adverſarij ſimiliumque telis tutam eſſe demonſtrat.

Johannis Thiers diſſertationem accuratè legit Criticus alter, nec æquior, nec moderatior, auctor videlicet Bibliothecæ criticæ ſuperiùs memoratus, adeoque placuit, ut omnes, quibus ſcatebat, injurias, probra, convitia, calumnias, & ineptias, unis exceptis Herodotianis, quas tamen alijs ubertim compenſavit, dignas conſuerit, quas in adverſaria ſua, ejusmodi ſupellectile, ſi quæ alia, ditiſſima, referret, ut iterum Benedictinis ſolita fide ingereret, * Mabillonij verò epiſtolam ſi viderit, vel ab ipſo titulo ſtatim faſtidiens, tanto viro indignam eſſe, audacter pronuntiat; imo graviter reprehendit, quòd diſſertationi Thierſij reſpondere aggreſſus ſit. Non quod invalida eſſe Mabillonij argumenta probet; ne quidem attingere audet: ea quippe eſt ejus prudentia, ut ſcripta, qui-

* Biblioth. crit. tom. 3. p. 331. & ſeqq.

bus obloquitur, eminus quidem adlatret, cominus nunquam adoriatur. Sed id revera in Mabillonij epiſtola offenſionem habet apud ejusmodi homines, quod vir pius præcipitem temerariamque audaculorum cenſuram coërceat, easque leges in habendo veterum reliquiarum diſcrimine conſtituat, quæ nihil imprudenti aleæ, nihil effrenatis animi levioris impetibus permittant, ſed totum maturiori judicio & examine, maxima cautione & circumſpecta pietate fieri jubeant. Hæc effreni criticæ moleſtiora, quàm ut placere poſſint.

Cùm anno MDCCI. regiam inſcriptionum academiam novo ſociorum delectorum ſupplemento augeri, novisque ſtatutis informari Rex Chriſtianiſſimus juſſiſſet, in ſpectatiſſimorum hominum cœtum merito & eruditione ſua adſcitus eſt Mabillonius, litterasque ea de re ad illum ſcribere dignatus eſt illuſtriſſimus comes *de Pontchartrain.* Delatum honorem tantum refugit vir modeſtiſſimus, quantum alij ambiunt; accipit tandem, à clariſſimo abbate Bignonio, majoribusque ſuis juſſus. Tam inclyti nominis ſocio auctam ſe glo-

riata

riata eſt academia, quantique eum faceret, publicis argumentis, quoties occaſio ſe tulit, demonſtravit. Cui quidem exiſtimationi pro virili ſua parte reſpondere conatus eſt gratiſſimus Mabillonius, academiam, quantum per occupationes licebat, frequentando, eamque novarum lucubrationum lectione interdum recreando.

Inter honores, quibus undique cumulabatur humilis monachus, ſuæ ſortis nunquam oblitus ad extrema ſemper reſpiciebat. Dumque ex ſanctiſſimi Patriarchæ ſui præſcripto, *mortem quotidie ante oculos ſuſpectam haberet*, quæcunque inter legendum occurrebant pijſſimi ſanctorum hominum obitus exempla, ab oculatis teſtibus, aut qui ab his acceperant, enucleatè deſcripta; ea ſibi eisdem omnino verbis ſtudioſè colligebat, identidem relecturus. Hanc collectionem cùm legiſſent plures pietate & ſapientia conſpicui viri, dignam cenſuerunt, quæ in fidelium uſum patrio idiomate vulgaretur. Acquievit tandem Mabillonius, librumque edidit anno MDCCII. *De morte Chriſtiana*, reginæ majoris Britanniæ nuncupatum.

Præmiſſa huic epiſtola nuncupatoria cum admonitione, auctoris pietatem, mentemque, cui jugi mortis meditatione faſtidit mundus, piè affectis lectoribus produnt.

Jam totum novennium in Annales Ordinis noſtri conſcribendos inſumpſerat Mabillonius: præcipua hæc ejus erat cura; cætera, quæ cœpto majoris molis opere ſcripta memoravimus, horis ſubſecivis elucubrata ſunt. Quamvis autem rerum eccleſiaſticarum & monaſticarum, immo & patriæ hiſtoriæ ſcientia, miraque ſcribendi facilitate nulli ſecundus eſſet, opus tamen præfeſtinare noluit, donec maturitatem eſſet aſſecutum, duosque ſaltem tomos typis paratos haberet: ut, dum hi prælo ſubijcerentur, cæteros parare liceret, citiusque prioribus ſubjungere. Jis igitur paratis, primum in lucem emiſit anno MDCCIII. Inſigne, ſi quod ſit, opus hiſtoricum, eruditorum omnium laudibus merito commendatum, cui pretium faciunt ſtyli nitor, ſcrupuloſa diligentia, prudens critica, multa paucis complectens oratio, mira rerum varietas, ſapiensque delectus, ſingularis modeſtia, & identidem inſper-

inſperſæ obſervationes, ex rebus ipſis natæ, quæ vel rerum aridarum faſtidium minuant, vel lectoris animum ad pietatem accendant, & à vitijs dehortentur. Hæc enim auctoris laus eſt, ſtudioſè ſemper quotieſcumque ſe ſponte obtulit occaſio, adnotaſſe adnotarique à lectoribus curaſſe, unde primum vitia & virtutes ortum, & incrementum acceperint, à quibus initijs labefactata vel inſtaurata regularis, vel ipſa etiam eccleſiaſtica diſciplina: ut quisquis Annales legerit, non nudam & jejúnam rerum hiſtoricarum notitiam referat, ſed & egregia documenta, & exempla inde colligat, ad quos mores inſtituat. Notius eſt opus, quàm ut diutius in explicando & ſcopo & argumento immoremur. Sed ſi quis forte ab eo legendo deterritus fuerit, quod exſanguem rerum monaſticarum, quæ nihil aut parum ad multos attineant, hiſtoriam complecti putet; is legitimam ſibi operis ideam haud effingit. Nam hiſtoria monaſtica, eccleſiaſtica & civilis ſcitè adeo & peritè intermiſcentur, ut hiſtoria generalis propemodum dici poſſit; nulla certè, quæ Francorum hiſtoriæ præcipua quæque eventa accuratiùs & certiùs expo-

exponat. Ad hæc infinita pene eventa, aut eventorum circumſtantiæ è tenebris eruta, & illuſtrata; chronologia, quæ prius in multis vacillabat, ex certiſſimis monumentis firmata vel reſtituta; Concilia hactenus ignota, ignoti epiſcopi, abbates, viri illuſtres, ſcriptores, &c. in lucem primùm prodeuntes; eruditæ identidem, licèt breves, diſſertationes, ſelecta revera monumenta, quæ dictis fidem conciliànt, & alia ejusmodi benè multa, quæ enarrare longum eſſet, omnium curioſitatem accendere debent, vel moroſiorum quorumque abunde explere poterunt.

Secundus Annalium tomus prodijt anno ſequenti MDCCIV. tertius anno MDCCVI. quartus anno MDCCVII. In ijs idem ſemper Mabillonius, ſibique conſtans res eadem methodo, perſpicuitate, diligentia, ac eruditione pertractat: Omnes proinde eodem plauſu ab omnibus excepti. Quintum prœlo ſubjecturus erat, ſextoque operam dare cœperat, cùm ecce labori immoritur. Dum prima die Decembris anni MDCCVII. Calam, * no-

* Chelle.

nobile Virginum Benedictinarum agri Pariſienſis cœnobium, octo circiter millibus à Eutetia diſſitum proficiſceretur, ſtranguriæ morbo in ipſo itinere correptus, graviſſimosque dolores perpeſſus, vix tandem illuc pedes adverſa, & iniqua omnino tempeſtate pervenire potuit. Remedijs per octo dies nequicquam tentatis, quippe natura morbi haud ſatis cognita, Pariſios revectus eſt, ubi opportunioribus adhibitis remedijs nonnihil remiſit ſe morbus, dubijque aliquamdiu inter ſpem, & metum hæſêre ſocij & amici. Sed tandem graviſſima interveniente febre, recrudeſcentibusque doloribus, ſalutis ſpes abijt. Jis diutius graviſſiméque conflictatus, ſuccubuit tandem eccleſiæ ſacramentis munitus, die 27. Decembris ſancto Johanni Evangeliſtæ patrono ſuo ſacra, anno MDCCVII. hora quinta veſpertina.

Sic ceſſit è vita præclarum Ordinis noſtri lumen, immo & eccleſiæ, quibus inſervire ſemper ſtuduerat, hunc nec alium ſibi laborum ſuorum finem proponens. Vita reſpondit morti, & hæc vitæ; utraque ſanctiſſima, qualis pyſſimum monachum decebat,

cebat, qui ad ſanctorum exempla, quorum virtutes deſcripſerat, mores inſtituere conatus fuerat. Quæ fuerit ejus pietas, quæ humilitas, paupertatis, & pœnitentiæ ſtudium, ac vitæ regularis amor, ſcripta ſatis produnt, in quibus animi ſenſus identidem emicant. Nec diſpar fuit animi ſenſibus vita. Quisquis ad tot & tanta, & tam exquiſitæ eruditionis opera, & ad litterarum commercium, quod ipſi cum omnium ordinum, & nationum ornatiſſimis viris intererat, animum attenderit, dixerit ſanè Mabillonium ſtudijs altius immerſum nihil aliud vel cogitaſſe vel egiſſe: ſed quisquis in totam vitæ ſeriem oculos convertiſſet, dixiſſet numquam ſtuduiſſe, aut ſcripſiſſe. Sic quippe ſtudijs vacabat, ut è conſuetis, immo etiam minimis vitæ regularis exercitiis numquam diſcederet; ſic regularibus exercitijs inſiſtebat, ut ſtudia non negligeret. Orationis præſertim ſtudioſiſſimus fuit, cui cujusque diei initia & finem conſecravit ſemper, & ad quam in ipſo ſtudiorum æſtu mentem, ne plus æquo diſtraheretur, identidem revocabat. Tantum abeſt, ut doctrina, qua valebat, publicis honoribus, omnium laudibus, ipſorum etiam celſiſſi-

mo-

morum hominum exiſtimatione, ac benevolentia ſuperbiret, ut potius ſincera humilitate magis ſeſe demitteret, ad viliſſima quæque miniſteria, & officia, ubi licebat, ſeſe abjiciens, latebras quærens, lucem, ſplendoremque fugiens, omnibus, ipſis etiam inferioribus, & imperitioribus, cedens, omnibus, ubi ſe offerebat opportunitas, inſervire gaudens, nulli umquam moleſtus, nullum deſpiciens, effuſa caritate omnes complectens. Interdum viſus eſt eos homines adijſſe, à quibus ipſe graviter offenſus fuerat, vel de quibus juſta querela eſſe potuiſſet; eos veniam demiſſiſſimè rogaturus, qui rogare debuiſſent, ut ſic exulceratum eorum animum mitigaret. Vir ſimplex, & rectus, ac timens Deum, toto corporis habitu modeſtiam ſpirans, in converſatione manſuetus, de rebus pijs diſſerere feſtinus, de litterarijs tardior; ſententiam cùm rogabatur, promebat, ſed modeſtè, à vincendi, longè magis contendendi ſtudio alieniſſimus; ea dumtaxat: quæ ad rem quæſitam faciebant, proferens, cætera omnia humili ſilentio premebat. Ad regulam tum quam voverat, tum quam ſibi ipſe ſtatuerat, actio-

nes

nes omnes ſic exigebat, ut ab ea, ſive bona, ſive adverſa valetudine, ſive intra, ſive extra monaſteriũ degens, numquam, quantum licebat, declinaret; ijsdem horis mane ſurgens, & lectum petens, ijsdem orationi, & lectionibus pijs, quas numquam, etiam in itineribus omittebat, vacans, & officia divina recitans. Peregrinationes verò, quas identidem ſuſcepit, ita confecit, ut pedibus, paupertatis, & pœnitentiæ cauſa, quantum ætas, & vires permiſêre, incedens, potius in cella degens, quàm in itinere conſtitutus videretur. Eadem quippe mentis in Deum intentio, eædem lectiones piæ, orationes, preces, officia divina conſtitutis horis perſoluta; itineris moleſtias pſalmorum, & hymnorum ſacrorum cantu levare ſolitus. Ea loca adijt, non quo vana curioſitas, ſed quo juſta neceſſitas vocabat: illa præ cæteris inviſere gaudens, quæ reliquiis ſacris, & ſanctorum tutela, miraculis, & habitatione celebriora erant. Hæc dum primum eminus videre licebat, equo ſtatim deſiliens, ſi conſcendiſſet, in genua procumbebat, loci tutelares ſupplex veneraturus; tum reliquum iter, interdum pedibus & nudo capite,

pite, inter ipſos ſolis ardores, ſemper verò pſalmos cantans, pijſſimasque orationes fundens, conficiebat. Quas orationes fundere non omittebat, quotiescumque novæ dicæceſeos fines ſubibat, ut tutelarium patrocinium imploraret. Nulli tamen moleſtus, ſi quibus extraneis itineris ſociis adjungi neceſſe foret; eos in pia colloquia ſollerter inducebat; vana, multò magis mala, prudens ſemper avertebat. Ita in ipſis itineribus & in ipſa turba ſolitudinem extra ſolitudinem reperiebat aut ſibi parabat pius ille ſolitarius. Quamvis tenuis & infirma eſſet corporis valetudo, nemo tamen ſibi minus indulſit, vix quidquam, majorum juſſu, de conſuetis jejunijs, abſtinentiis, corporisque macerationibus remittens, niſi cùm tanta erat morbi vis, ut aliàs ſuccumbendi periculum fuiſſet. Uno verbo, ſi eruditiſſimus vir fuit Mabillonius, ſanctiſſimus exſtitit monachus, qui pietatem cum ſcientia miro, & individuo nexu ſic conjunxit, ut illam tamen iſta ſuperiorem eſſe ſemper voluerit, quique monachorum ſtudia, qualia eſſe debeant, dum in ſuo tractatu de ſtudiis monaſticis delineavit, ſua ipſius, qualia fuerint, expreſſit.

Ut primùm morbo tentatus eſt, extremum eſſe ſtatim perſenſit; dudumque antea familiari ſuo Ruinarto, velut vaticinando, dixerat, ſe ſtranguriâ moriturum, & eodem ætatis anno, quo S. Anſelmus Cantuarienſis archiepiſcopus objerat, id eſt, ſeptuageſimo ſexto ineunte. Ut igitur fatalem morbum ſenſit, ilico curis omnibus terrenis abjectis, totum ſe ad Deum convertit, ſpiritualibusque ſtudiis addixit. Inter acutiſſimos, quibus vexabatur, dolores, ea erat vultûs ſerenitas ac mentis tranquillitas, ut nihil ferè pati videretur, nullæ aut pauciſſimæ erumpebant querelæ, nulla prorſus impatientia, ſed divinæ voluntati ſe totum permittens, illud cum ſancto Job frequenter ingeminabat: ſicut Domino placuit, ita factum eſt; ſit nomen Domini benedictum.

Cùm divinis officiis intereſſe, ſolitisque ſpiritualibus exercitiis vacare jam non liceret; jacturam compenſare ſtudebat, ſatagens, ut libri pij, ij præſertim, qui ad mortem ſanctè obeundam juvare poſſent, ſibi legerentur, divinaque officia propè lectum recitarentur, ſanctum vero ſacrifici-

ci-

cium in ſacello vicino, in quod è cubili proſpectus erat, celebraretur: quæ attentis auribus, attentiori mente audiebat, quibusque pro modulo reſpondebat. Cæterum pſalmorum, canticorum, & eccleſiæ precum recitatione, jugi oratione, cæleſtiumque meditatione, æterna felicitatis gaudia prævenire nitebatur, & ad ea totus anhelabat; aliis omnibus inſuper habitis. Hinc cum frequens eſſet ſingulis diebus virorum omnium ordinum ſpectatiſſimorum in abbatiam San-Germanenſem confluxus, ut de Mabillonij valetudine ſciſcitarentur, de qua ſolliciti, & anxij erant omnes; vix tamen ullos admittére voluit, niſi quorum verbis ad pietatem accendi poterat animus, de cœterorum adventu vel ſollicitudine ne quidem moneri ſe paſſus eſt, ne quæ vanitatis aura animum afflaret. Vix exprimi poteſt quo fervore, amore, pietate ac humilitate divina ſacramenta ſibi allata ſuſceperit, cui Deus id indulſit, ut ipſa ſuprema die, Johanni patrono ſuo ſacra, ſanctiſſima euchariſtia iterum ſummo mane paſtus fuerit. Nihil deinceps ex ejus ore erupit, præter ſacra cantica, jaculatorias oratio-

nes, quibus mentem ad humilem fiduciam in Deum concipiendam excitabat. Sic demum animo pœne usque ad ultimum momentum præſenti, inter fratrum gemitus & ſelectorum amicorum ſuſpiria pijſſimam mortem cum pijſſima vita commutavit magnus ille Mabillonius, in memoria æterna apud Deum & homines futurus. Id ſemper in votis habuerat, ſæpiusque humilibus à Deo precibus efflagitaverat, ut ſibi Annales Ordinis uſque ad obitum S. Bernardi perducere liceret. Pijſſimis votis & precibus annuit miſericors Deus: Annales quippe non tantùm uſque ad mortem S. Bernardi, ſed etiam ultra triennium perducere dedit.

Ubi primùm tanti viri caſus lugubri majorum campanarum ſonitu per urbem diſſipatus eſt, mœror omnium animos invadere, amici ſibi dolere, nobis condolere, omnes in monaſterium confluere, ut ejus vel mortui conſpectu frui ſemel adhuc liceret. Die ſequenti SS. Innocentium ſepultus eſt in oratorio beatiſſimæ Virginis, ubi Superiores dumtaxat ſepeliri ſolent, præſentibus omnium ordinum ornatiſſi-

tiſſimis viris, cum infinita promiſcui vulgi multitudine. Sed poſtera die, quo ſolemnia pro eo ſacra facta ſunt, longè major fuit concurſus: quotquot enim ferè Mabillonium noverant (eccui ignotus erat tantæ famæ vir?) nobiles & eruditi, iis ſacris intereſſe voluerunt, lacrymasque ſuas & preces cum noſtris miſcere. Deinceps in tanti viri laudes effuſi oratores, & poëtæ laudationibus funebribus ſepulcrum ejus certatim exornaverunt: adeò ut ſi omnes colligerentur, juſtum volumen ex iis confici poſſet. Sed in primis excelluit regia inſcriptionum academia, cujus ſecretarius panegyricum, frequente ornatiſſimorum hominum cœtu, ſocio quondam ſuo, imo & ſibi dixit. Ea enim fuit oratio, quæ numeris ac partibus expleta, meritas laudes utrique conciliaverit. Id quidem pro more academiæ factum eſt: ſed præter morem fuit, quod oratio typis confeſtim mandata fuerit, ut publicis omnium votis fieret ſatis; unico ac ſingulari hactenus exemplo. Nec ipſi exteri, ii etiam, qui ab eccleſia Romana diſciſſi ſunt, à lacrymis & laudibus, ubi mortis nuntium fama detulit, temperarunt. Quotquot enim fuêre,

quibuſcum interfuit cum Mabillonio commercium, cardinales, epiſcopi, principes, in primis magnus Eturiæ dux, & eminentiſſimus cardinalis Mediceus, nobilis, eruditi, perceptum dolorem litteris ſuis ſignificare dignati ſunt. Acerbiſſimè doluit & ipſe ſummus pontifex Clemens XI. pro paterno, quo Mabillonium fovebat affectu; litterisque ad eminentiſſimum cardinalem Coloredum miſſis, in quibus tota Mabillonij morbi & mortis ſeries deſcribebatur, ſemel & iterum lectis, per eundem eminentiſſimum ſignificari juſſit, *jucundum ſibi fore, ſi talem virum aliquo magis diſtincto loco humaremus*; appoſito ad ſepulcrum lapide, cujus indicio moneantur litterati omnes, quotquot Pariſios venerint, ibi Mabillonij cineres deliteſcere. At eam diſtinctionis notam, licet meritiſſimam, non ferunt Congregationis noſtræ leges. Hujusque Mabillonianæ vitæ hiſtoria â Domno Renato Maſſueto, ejusdem Congregationis eruditiſſimo Sodali ſollerter, eleganterque perſcripta, cui Epitaphium memoriæ Mabillonianæ âb elegantiſſimo Domno Guillelmo Ruſſelio conditum ſubjungimus: id eſt hujusmodi:

Im-

Immortali Memoriæ
Clariſſ. ac Religioſiſſ.
Viri
Joannis Mabillonij
Epitaphium.

❋ ❋
❋

Sub hoc lapide jacet,
Cujus memoria in oblivione nunquam jacebit,
Joannes Mabillonius.
Suos natales *Campaniæ* debet,
Ejus natalibus Campania ſuum decus.
Sortitus eſt animam bonam, & cum ætate adolevit præclara ingenij virtutisque indoles.
Vix ephebus, aris initiatur; adultus ſolitudinis;
Jam tum latebras quæritans.
Qui nunquam potuit latere,
Domino militaturus,

In Benedictina ſancti Mauri Congregatione nomen dedit, tanto nomine nobilitanda.

Ibi ſub modio jam tum ardere cœpit, qui quondam ſupra candelabrum poſitus,

Futurus erat in domo Domini lucerna ardens & lucens

Precibus doctiſque operibus

Diurnas nocturnasque horas dividens

Aſceta Litteratus,

Totum ſe Virtuti dedidit.

Totum ſe Litteris abdidit;

Ratus licere & Aſcetis eſſe Litteratis.

Virtutes omnes diligentiſſimè coluit, & in ſingulis eminere viſus eſt,

Ptincipem tamen locum obtinuêre

Paupertatis amor, lenitas morum, religioſa Humilitas:

Virtutes, quas non infecit, quæ inflat Scientia, quas perfecit, quæ ædificat charitas.

Chriſti paupertate affatim locuples

Victum ac veſtitum divitias Chriſtianorum exiſtimavit.

Doci-

Docilis pauperiem pati,
Ut annuum è Regio Ærario beneficium
acciperet
à Supremo Ærarij Præfecto
nunquam potuit adduci.
Quæſtu illiberali Liberalium Artium
dignitatem lædere noluit
Litterarum cultor:
Sub Chriſto paupere divitias erubuit
Religionis amator, parvo dives,
Et parvi ducens perituras opes, carius
venales, dum paupertatis emuntur
diſpendio.
Omnium hominum ſibi conciliavit animos
Hominum mitiſſimus.
In ipſis etiam Litterarijs diſputationibus,
Quas plurimas cum Viris Clariſſ. habuit,
Nemini aſper, neminem læſit, etiam læſus:
In hujuſcemodi concertationibus
Scribentem incitabat Veritas,
Certantem moderabat lenitas,
Vincentem coronabat charitas,
Coronatum ornabatHumilitas.
Hac ſingulari morum ſuavitate
Devinciebat amicos, leniebat invidos.
Ut debitæ tantis virtutibus gloriæ ſeſe

ſubduceret, eas humilitati tegendas
commiſit, ſimul & ſervandas.
Ceteris teſtibus, nemo major ;
Seipſo judice, nemo minor:
Eò clarior, quo ſibi vilior.
Cœleſtis gloriæ cupidus,
Mundanam ſprevit meliore ambitu;
Et ut Deum ſolum mereretur habere,
mercedem magnam nimis,
reſpuit hominum plauſus,
Mercedem, quam dare ſolent homines
Vani, Vanam.
Nullum in Clauſtro tenuit dignitatis
gradum,
Omnes meruit:
Mereri pulcrius putavit, quam adipiſci,
Et ſubeſſe, quàm præeſſe tutius.
Alienis non indigebat ornamentis
VIR
Propria Virtute, omniumque hominum
exiſtimatione
Ornatiſſimus.
Cùm Virtutum ſtudijs ſtudia Litterarum
conjunxit,
ut alterno fœdere, mutatisque officijs

Scientia pietatem, Pietas ſcientiam adjuvaret.
Quæ
Prima illi fuêre ſtudiorum elementa;
Prima itidem habuit pietatis elementa,
Opera *Doctoris melliflui.*
His emendandis dum iterato labore incumbit,
Cordis cellulis melleum infundit opus;
Unde ſimiles *Bernardo* trahit mores mellifluos.
Ipſo Reſtauratore *Sanctorum Acta* reviviſcunt,
Quorum dum facta ſcribit, ſequitur & exempla,
Illorum faſtis olim adſcribendus.
Operibus opera ſuccedunt,
Et alij ex alijs nectuntur labores.
Sepultam Scribendi Artem ſuſcitat,
Obliteratas reſtituit literas,
Antiquatos renovat apices,
Abrogatas recudit ſcripturarum formulas;
Et ingens condit illud *Diplomaticum* Opus,
Rei Litterariæ miraculum,
Quod ſtupent docti & indocti,
Monumentum ære perennius.

In reconditiore Litteratura verſatiſſimus
Vetuſtis dat novitatem, novis auctoritatem, obſoletis
nitorem, neglectis pretium obſcuris
Lucem, faſtiditis gratiam, dubijs fidem.
Seculo doctiſſimorum Virorum feraci,
Præcellenti inter eruditos eruditione conſpicuus
Juſſu
Ludovici Magni
Regijsq; ſumptibus,
Auctore
Clariſſimo *Colberto*, Generali Ærarij Moderatore,
Germaniam peragrat.
Auſpice
Illuſtriſſimo C. M. Tellerio, Remorum Archiepiſcopo,
Italiam ſubinde perluſtrat;
Publicas, ac privatas ſcrutatur Bibliothecas,
Muſæorũ rimatur angulos, latentes effodit Opes,
Veterum Theſauros tranſmittit poſteris,

Et

Ad totius ReipublicæLitterariæ comodum,
comparatis ad tria ferè millia
Manuſcriptis Codicibus
Regiam Bibliothecam auget,& ditat.
Ex obſitis ſitu, & pulvere membranis,
Ex corroſis marmorum inſcriptionibus,
Ex inciſis in ære, ſed tempore exeſis
monumentis.
Multiplex exoritur Litterarum ſeges,
varia promittitur Librorum ſupellex,
Mira exſurgit Actorum, Annalium, Ana-
lectorum moles.
Tam ſollerti obſtetricante manu, præterità
retro ſecula renaſcuntur,
Et poſitis rugis tota nobis juveneſcit
Antiquitas.

Hinc

Quanta apud omnes Viri exiſtimatio?
Quantum nominis pondus?
Quanta eruditionis auctoritas?

A

Summis Pontificibus
Innocentio XI. Innocentio XII. Clemente XI.
Aureis Numiſmatis honoratur
Vir eruditiſſimus,

Aure-

Aureis ſcriptis de Eccleſia
optimè meritus.

A

Ludovico Magno

Regiæ Inſcriptionum Academiæ adſcriptus,
Reconditam Numiſmatum ſcientiam
ornat, ac promovet
Antiquariorum ſagaciſſimus.
Pariſijs.
In ſuprema Galliarum Curia
Lites
Quæ totæ pendebant ex ſemeſis chartarum
apicibus,
Suo teſtimonio, & auctoritatis pondere
dirimit
Sequeſter Pacis.
Romæ
In ſacra Indicis Congregatione,
Invitante Eminentiſſimo S. R. E. Cardinale
Caſanata
De quibusdam *Iſaaci Voſſij* Operibus
ad *Purpuratos* Patres ſententiam
refert
Cenſor orthodoxus.

Quam

Quam ubique fugit, ſic eum ubique ſequitur gloria
Interim oneris, quam Honoris patientior,
Litterarijs totum ſe impendit laboribus,
Et
De theſauro ſuo nova profert & vetera;
Scriba doctus.
Verum heu!
Dum ſcribendis *Benedictinis Annalibus* improbo labore incumbit
Illis necdum perfectis, intempeſtiva morte occumbit
VI. Kal. Jan. M. DCC. VIII.
ætat. LXXVI.
Venerandæ memoriæ ſodali mœrens poſuit
F. Guillelmus Rouſſel,
Ejusdem Congregat. M. B.
VI. Non. Febr. an. M. DCC. VIII.

Ope-

Opera.

ETſi ex ijs, quæ hactenus allata ſunt, in Mabillonianorum operum cognitionem nemo non veniat; ne quid tamen in nobis deſideretur, novum, eumque quoad fieri potuit, accuratum illorum catalogum attexere operæ pretium viſum eſt.

Hymni in laudem S. Adalhardi, & S. Bathildis, Reginæ, officia eccleſiæ Corbeienſi propria, vel nova edita, vel vetera emendata; quæ omnia in unum collecta typis vulgata ſunt ad ejusdem eccleſiæ uſum - - - - - -

S. Bernardi Abbatis primi Claravallenſis Opera, poſt Horſtium denuo recognita, aucta, & in meliorem ordinem digeſta, nec non novis Præfationibus, Notis, & obſervationibus, Indicibusq́ copioſiſſimis locupletata & illuſtrata. fol. II. Volum. Pariſiis 1667. . . . *& ibidem eodem anno in* 8. *Novem volum. Item ibid. ſecundis curis fol. II. volum.* 1690. *typis Joh. Baptiſtæ Coignard.* Nunc ibidem noviſſima editio paratur, quam curaſſet

raſſet ipſe Mabillonius, niſi mors conſiliis interceſſiſſet.

S. Bernardi de Conſideratione libri V. ad Eugenium III. P. juſſu Clementis XI. Pontif. Max. 8. *Pariſij* 1701. - - -

Acta ſanctorum Ordinis S. Benedicti, in ſæculorum Claſſes diſtributa. Sæculum I. quod eſt ab anno Chriſti D. ad DC. collegit Domnus Lucas D' Achery, Congregationis S. Mauri monachus, ac cum eo edidit D. Johannes Mabillon, ejusdem Congregationis, qui & univerſum opus Notis, obſervationibus, Indicibusque neceſſariis illuſtravit. fol. Lutetiæ Pariſiorum apud Ludovicum Billaine 1668.

Reliqua ſæcula ibidem hoc ordine lucem adſpexerunt.

Sæculum II. quod eſt ab anno Chriſti DC. ad DCC. apud Carolum Savreux. 1669.

Sæculum III. quod eſt ab anno DCC. ad DCCC. Pars I. apud Ludovicum Billaine 1672.

Sæculi III. Pars ſecunda apud eund. 1672.

Sæculum IV. quod eſt ab anno DCCC. ad DCCCC. Pars I. apud eundem 1677.

Sæculi IV. Pars *ſecunda apud eund.* 1680.

Sæculum V. quod eſt ab anno Chriſti CM. ad M. apud viduam Edmundi Martin. 1685.

Sæculum VI. quod eſt ab anno M. ad MC. Pars I. ſumptibus Caroli Robuſtel. 1701.

Sæculi VI. Pars ſecunda apud eund. 1702.

Sæculum VII. quod eſt ab anno MC. ad MCC. nunc ordinat, illuſtrat, ac typis deſtinat Domnus Franciſcus le Texier, ex eadem Congregatione vir doctiſſimus.

Diſſertatio de Pane Euchariſtico, Azymo, & Fermentato, 8. *Pariſiis* 1675.

Veterum Analectorum Tomus I. complectens varia fragmenta & epiſtolia ſcriptorum eccleſiaſticorum, tam proſa, quam metro, hactenus inedita, cum adnotationibus, & aliquot disquiſitionibus Domni Johannis Mabillonij 8. Pariſiis 1675.

Veterum Analectorum Tomus II. 8. *ibidem* 1676. . . . .

Veterum Analect. Tom. III. 8. *ibid.* 1682.

1682. *apud viduam Ludovic. Billaine.*

Veterum Analect. Tom. IV. complectens iter Germanicum Domni Johannis Mabillon & Domni Michaëlis Germain è Congr. S. Mauri, cum monumentis in eo repertis 8. *ibid. apud viduam Edmundi Martin & Johannem Boudot* 1685.

Horum Analectorum Tomo ſecundo inſerta eſt Diſſertatio Mabillonij ad Hadrianum Valeſium, Hiſtoriographum Regium de Monachatu Benedictino S. Gregorij Papæ I. quæ (uti & iter Germanicum) etiam ſeorſim prodijt ibid. 1676. & poſtremò edita fuit ad calcem Tomi primi Annalium Benedictinorum.

Animadverſiones in Vindicias Kempenſes. 8. *Pariſiis* 1677. . . *& ibidem* 16. *anno* 1712.

De Re Diplomatica libri VI. in quibus, quidquid ad veterum inſtrumentorum antiquitatem, materiam, ſcripturam, & ſtylum; quidquid ad ſigilla, monogrammata, ſubſcriptiones, ac notas Chronologicas; quidquid inde ad antiquariam, hiſtoricam, forenſemque diſciplinam pertinet,

tinet, explicatur & illuſtratur. Accedunt Commentarius de antiquis Regum Francorum Palatiis, veterum ſcripturarum varia ſpecimina, tabulis LX. comprehenſa, Nova ducentorum, & amplius, monumentorum collectio. fol. maj. Pariſiis 1681. *cum fig.*

Supplementum ad libros de Re Diplomatica. fol. maj. cum fig. ibid. 1704... *Utrumque opus recuſum fuit ibidem fol. maj. anno* 1709. *ſumtibus Caroli Robuſtel.*

De Liturgia Gallicana libri III. in quibus veteris Miſſæ, quæ ante annos mille apud Gallos in uſu erat, forma, ritusque eruuntur ex antiquis monumentis, Lectionario Gallicano hactenus inedito, cum tribus Miſſalibus Thomaſianis, quæ integra referuntur: accedit Disquiſitio de Curſu Gallicano, ſeu de Divinorum officiorum origine: & progreſſu in Eccleſiis Gallicanis. 4. *Pariſiis* 1685. *apud viduam Edmundi Martini & Johannis Boudot.*

Muſeum Italicum, ſeu Collectio veterum ſcriptorum ex Bibliothecis Italicis eruta. Tomus I. in duas partes diſtinctus: prima pars complectitur iter Litte-

rarium

rarium (Italicum) altera verò varia Patrum opuſcula, & vetera monumenta cum Sacramentario & Pœnitentiali Gallicano. 4. *Pariſiis apud Johan. Boudot.* 1687.

Muſei Italici Tomus ſecundus, complectens antiquos libros rituales ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, cum commentario prævio in Ordinem Romanum. 4. *apud eund.* 1689.

Deux Memoires touchant la præſeance des Benedictins ſur les Chanoines reguliers aux états de Bourgogne. i. e. gemina Apologia Benedictinorum pro defendenda poſſeſſione præcedentiæ in Comitiis ſtatuum Burgundiæ contra Canonicos regulares S. Auguſtini ejusdem provinciæ. 4. .. 1687. Opus hoc latinè reddidit. A. R. D. Hermannus Schenck, Bibliothecarius Sancti-Gallenſis. 4. *Conſtantiæ typis Leonhardi Parcus* 1706. In hujus latinæ editionis principe pagina diciturFrancica editio prodiiſſe *anno MDCLXXXVIII.*

Letre ſur l' inſtitut de Remiremont. i. e. Epiſtola de primario Romarici-montis inſtituto 4. *Pariſiis* 1687.

*Traité, ou l'on refute la nouvelle expli*ca-

plication, que quelques Auteurs donnent aux mots de Meſſe, & de Communion dans la Regle de S. Benoiſt. i. e. *Tractatus, in quo refutatur modus, quem quidam Autores ad explicanda Regulæ Benedictinæ vocabula: Miſſa & Communio, nuper adhibuerunt.* 12. *Pariſiis* 1689.

Traité des Etudes Monaſtiques. i. e. *Tractatus de ſtudiis Monaſticis in tres partes diviſus; unacum enumeratione præcipuarum difficultatum, quæ in lectione Patrum cujusvis ſeculi queunt occurrere; ut & catalogo librorum ſelectiorum, componendæ Bibliothecæ eccleſiaſticæ præcipuè inſervientibus.* 4. *Pariſiis apud Car. Robuſtellum* 1691. *& ibid.* 12. *volum. II. ac* 1692. *Bruxellis* 12. *vol. duo.* Tractatum integrum Latino ſermoni tradiderunt R. P. Udalricus Staudigl, monachus Andecenſis 8. *Campoduni* 1702. & P. Joſephus Porta. 4. *Venetiis* 1705. ſeorſum Dubia Hiſtorica P. Hermannus Schenck, Bibliothecarius Sancti-Gallenſis 4. . . . . Totam verò ſecundam Operis partem, cum difficultatum Hiſtoricarum ſerie Italico ſermone donavit & *Romæ* 12. 1701. vulgavit R. P. Nicolaus Hieronymus Ceppi Augu-

guſtiniani inſtituti alumnus, præfixo hoc titulo: *la ſcuola Mabillonia.*

Reflexions ſur la reſponſe au traité des etudes monaſtiques. i, e. *Animadverſiones in reſponſionem Abbatis Trappenſis ad tractatum de ſtudiis monaſticis* 4. *Pariſiis* 1692. 1. *vol.* & 1693. 12. *Duo volum.*

Lettre circulaire ſur la mort de la Mere de Blemur, Religieuſe Benedictine. i. e. *Epiſtola encyclica de Morte Mariæ de Blemur, Benedictinæ monialis è Congr. perpetuæ adorationis SS. Sacramenti,* 4. 1696.

La Regle de S. Benoiſt, & les ſtatuts d'Etienne Poncher mis en Franſois pour les Religieuſes de Chelles. i. e. *Regula S. Benedicti, & Stephani Poncherij Ep. Pariſienſis ſtatuta in Francicum translata pro monialibus Monaſterij Calenſis.* 8. *Pariſiis* 1697.

Euſebij Romani ad Theophilum Gallum Epiſtola de cultu ſanctorum Ignotorum. 4. *Pariſiis apud* Petrum & *Imbertum de Bats* 1698. Eadem epiſtola quinquies minimùm Pariſiis, item Bruxellis, Turoni, Gratianopoli, ac Ultrajecti re-

cuſa fuit. Ultima editio, eáque ab ipſo Mabillonió recognita & aucta eſt illa, quæ *Pariſiis* 12. 1705. *comparuit.*

Lettre d'un Benedictin à Monſeign. l'Evêque de Blois, touchant le diſcernement des anciennes reliques, au ſujet d'une diſſertat, de M. Thiers contre la ſainte Larme du Vendôme. i. e. *Epiſtola ad illuſtriſſimum Epiſcopum Bleſenſem de veteribus reliquiis diſcernendis, cui anſam præbuit D. Thiertij diſſertatio adverſus ſacram lacyrmam Vindocinenſem.* 8. *Pariſiis* 1700.

La Mort Chretienne dediée à la Reine d'Angletrre i. e. *Liber de Morte Chriſtiana ad Reginam Angliæ.* 12. *Pariſiis* 1702.

Annales Ordinis S. Benedicti occidentalium Monachorum Patriarchæ, in quibus non modò res monaſticæ, ſed etiam eccleſiaſticæ hiſtoriæ non minima pars continetur.

Tomus I. complectens libros octodecim âb ortu S. Benedicti ad annum Chriſti DCC. fol. Lutetiæ Pariſiorum ſumtibus Caroli Robuſtel, typis Dionyſij Thierry 1703.

To-

Tomus II. complectens res geſtas ab anno DCCI. usque ad annum Domini DCCCXLIX. ibid. apud eosdem. 1704.

Tomus III. complectens res geſtas ab anno Chriſti DCCCL. ad annum DCCCC. LXXX. fol. ibid apud eosd. 1706.

Tomus IV. complectens res geſtas ab anno Chriſti DCCCCLXXXI. ad annum MLXVI. fol. ibid. apud eund. 1707

Tomus V. complectens res geſtas ab anno Chriſti MLXVII. ad annum MCXVI fol. ibid. apud eundem typis Jacobi Vincent. 1713. R. Domnus Renatus Maſſuet edidit, ac præfationem cum Vitæ Mabillonianæ ſynopſi, â nobis hìc reddita, præfixit. Idem nunc *ſcutum Annalium Tomum* adornat. Porro in illa vitæ Synopſi dicitur etiam Mabillonius ſcripſiſſe anno milleſimo. ſexcenteſimo, nonageſimo octavo *ad Catholicos Anglos de ſua in Catholica fide perſeverantia epiſtolam.* Verùm editane aliquando typis fuerit, nec ne, nemo autorum memoriæ prodidit. Forte in illa Mabillonianarum *Epiſtolarum* collectione, quam D. Theodericus Ruinartus, & poſt hunc alij inſtituêre, ſuum olim locum ſortietur.

CAPUT XXXVI.

D. Antonius Beaugendre.

Ob. 1708.

ANtonium Beaugendre, maximorum ingeniorum altrix, Lutetia Pariſiorum, anno vigeſſimo octavo ſupra milleſimum ſexcenteſimum mundo peperit, Vindocinum Deo, & Ordini Benedictino, cujus ibidem legibus obtemperaturum ſe ſolemniter ſpopondit Tertio Idus Septembris anno milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo ſeptimo. Eruditionis ſtudio, & cultu, quo Juvenis ſemper delectatus fuit, ne ſuprema quidem ſenecta ſe abdicavit. Capularis jam ſenex ad collectionem, & recenſionem Operum Hildeberti Archiepiſcopi Turonenſis, & Marbodi Epiſcopi Redonenſis ſe vertit. Quo de inſtituto dignus eſt, qui ipſe audiatur: *quin autem*, ait * „ hanc in nos aſſume„ remus provinciam, non tam octogena„ riæ jam tunc imminentis ætatis, nunc „ Deo dante, tranſactæ incommoda, „ quàm ipſum rei tantæ pondus prohibe„ bat. Verùm Dei omnipotentis auxi„ lio

* Præf. ad Oper. Hildeb. pag. 2.

„ lio ſuffulti, cujus gloriæ, ſaltem quod
„ fugientis & viſus & vitæ nobis ſupere-
„ rat, litare tenebamur, & lætabamur, ſi-
„ mul & litteratorum amicorum ſubſi-
„ dio & indulgentia confiſi, opus hoc pro
„ exiguo exercitia regularia conceſſo no-
„ bis otio, & pro viribus in diem defi-
„ cientibus arduum aggreſſi ſumus. Et
„ certè noſtrum hunc, audaciorem fortè
„ conatum, Deus Opt. Max. ſupra ſpem
„ adjuvit. Ita de ſe ipſe vir candidiſſi-
mus, & modeſtiſſimus, ex quibus gemi-
nis virtutibus Antonius totus conſtabat. In-
de quoque evenit, ut nullius unquam eru-
diti viri judicium detrectaret. *Omnibus au-
tem*, inquit, ibid. p. XV. „ illis tam Venera-
„ bilis Hildeberti operibus, quàm Marbo-
„ di opuſculis, ubi neceſſe viſum eſt, &
„ quantum è varijs ſæculi illius hiſtorijs, &
„ eventibus, aut etiam probabilioribus
„ conjecturis nobis aſſequi datum eſt, no-
„ ſtras notas adjecimus, quas, ſed præſer-
„ tim ad Hildeberti epiſtolas, libentiſſimè
„ diſcutiendas ſubjecimus amiciſſimo no-
„ bis, & eruditiſſimo noſtro R. P. D. Re-
„ nato Maſſuet è noſtra S. Mauri Congre-
„ gatione, Sacræ Theologiæ jam diu eme-

„ rito

„ rito Profeſſori, è cujus eruditione non „ parum nos profeciſſe ingenuè profite- „ mur. Nec enim ij ſumus, qui noſtro „ ſenſui pertinaciùs adhærere præſuma- „ mus. Sed ipſi in nobis nos metipſos metientes, & comparantes nosmetipſos nobis, non erubeſcimus, *ut hic noſter Hildebertus ad Honorium II. Papam de ſè modeſtè ſcribebat*: non erubeſcimus, *inquam*, noſtram attendere, vel profiteri menſuram. „ Illum igitur libentiſſimè „ imitabimur, qui quàmvis inter ævi ſui „ litteratos celeberrimus, ſcripta ſua om- „ nia, ùt ex plurimis illorum locis proba- „ ri poteſt, peritorum amicorum judicio „ humillimè ſemper, & modeſtiſſimè di- „ ſcutienda ſubiecit. Ita nos longè po- „ tiori jure noſtra qualiacumque, tenui- „ tatis propriæ conſcij, benevolis, & pe- „ ritis amicis obtulimus examinanda, & „ corrigenda. Veniam interim cum Hil- „ deberto noſtro in Prologo ad vitam S. „ Hugonis, confitebimur poſtulandam, quód amplioris litteraturæ viros, *in ejus vulgandis operibus*, auſi ſimus præveni- re. „ Quam quidem non denegandam „ confidimus capulari propè ſeni, qui, „ quod

„ quod illi ſub ultimæ vitæ periodo conceſſum eſt à ſuis ſuperioribus otij, ita
„ conatus eſt impendere, ut ad plurium
„ eruditorum vota & ad nonnullorum
„ fidelium utilitatem, & ædificationem,
„ pijſſimi æquè, ac eruditiſſimi Præſulis
„ lucubrationum detectione, & publica-
„ tione conferre poſſet, Quique ſi quid
„ minùs ſcitè, minùs exactè, vel etiam
„ (quod abſit) minùs Catholicè impru-
„ dens protulerit, totum illud non ſolùm
„ ſuæ Matris Eccleſiæ Catholicæ, ac Ro-
„ manæ judicio paratus emendare ſubij-
„ cit, ſed etiam cujuslibet eruditi Catho-
„ lici, cujus iterum cum Hildeberto ſuo correctionem, *ut ipſe ait*, pro munere ſuſcipiet; *probè ſciens*, quòd officioſa res eſſe debet, & prudenti ſcriptori grata, *non invidentium, & quaquaverſum mordacium cenſura criticorum, ſed fidelium, & peritorum* benevola correctio. Quæ Antonij verba, præterquam quòd vivam ejus animi imaginem nobis repræſentent, prudentia etiam, & neceſſario juvenibus exemplo pleniſſima ſunt. Ad plures abijt in ſuburbano ſancti Germani, quod Pariſijs eſt, monaſterio decimo ſeptimo Cal. Sept.

Sept. anno milleſimo, ſeptingenteſimo, octavo.

Opera.

LA vie de Meſſire Benigne Jolij Preſtre. i. e. *Vita Domini Benigni Jolij Presbyteri.* 8. *Pariſiis.* 1700. - - -

Venerabilis Hildeberti primò Cenomanenſis Epiſcopi, deinde Turonenſis Archiepiſcopi Opera, tam edita, quàm inedita. Acceſſerunt Marbodi Redonenſis Epiſcopi, ipſius Hildeberti ſupparis Opuſcula. Quæ hactenus edita, hæc autem auctiora, & plura nondum edita prodeunt, omniaque ad Manuſcriptos Codices recenſita, Notis paſſim illuſtrantur. ſol. Pariſiis 1708. *apud Laurentium le Conte.*

Præterea Hildeberti Epiſtolas in Bibliothecis Patrum jam pridem editas, *ſolitudinis levandæ gratia, quaſi piis omnibus utriusque ſexûs hominibus quandoque fortè profuturas lingua* ſua *vernacula donavit, quod,* * inquit, *& Deo dante pro modulo noſtro perſecimus, & ipſo favente fortè proferemus.* An id a pij viri obitu factum, ignoramus.

Cap.

* Oper. Hildeb. Præf. p. II.

CAPUT XXXVII.

D. Antonius Pouget.

Ob. 1709.

Atonius Pugetus in hanc vitam emerſit Bellargæ in Diœceſi Bitterenſi anno elapſi proximè ſæculi quinquageſimo. Admotus humanitatis ſtudiis, progreſſus in ijs neutiquam pœnitendos habuit. Sed cùm Adoleſcentem mundi diſtœderet, eô valere juſſô in Ordinem ſancti Benedicti conceſſit, & facto virium periculo invocatoque Dei Numine ſe vitam ad Benedictinæ Regulæ præceptiones attemperaturum ſolemniter promiſit in Toloſano Beatæ Mariæ Deauratæ monaſterio Octavo Idus Maij anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſeptuageſimo quarto. Hauſtâ penitiùs virtutum, rerumque monaſticarum doctrina ad Litterarum ſtudia ſe retulit. Et quoniam inclytæ Congregationis Præſides, cum unanimi eruditorum applauſu, ampliores quotidie fructus ex editis hactenus ab ſe Latinorum Patrum Operibus in Eccleſiam derivari intelligebant, ipſique oculis uſurpabant, de producendis in lu-

cena

cem pari cum lima, & ſplendore Græcorum etiam Patrum monumentis conſilium cœperunt. Igitur adornandæ huic provinciæ deſtinati, delectique ſunt præſtantioris, feliciorisque ingenij Cœnobitæ quidam, inter quos etiam Antonius noſter. Reſpondit is Majorum ſuorum exſpectationi, & tum Græcorum ſtudiorum contentione, tum egregij judicij acumine magnam ſibi laudem conciliavit. Ad vitæ hujus terminum pertigit aliquanto citiùs, quàm Bernardi de Montfaucon, eruditiſſimi laborum ſocij res ferebant, id eſt: Nono Clandas Novembris, anno milleſimo, ſeptingenteſimo nono, terrâ conditus in Monaſterio B. Mariæ de Sorricinio.

Opera.

ANalecta Græca, ſive varia Opuſcula græca, hactenus non edita, ex manuſcriptis codicibus eruerunt; Latinè verterunt, & nobis illuſtrarunt Monachi Benedictini, Congregationis S. Mauri. 4. *Pariſijs apud viduam Edmundi Martini.* 1688. Hi Monachi fuerunt Jacobus Lopinus,

pinus, Bernardus Montfalconius, & Antonius Pugetus, cujus nominatim eſt *Vita S. Cyriaci Anachoretæ, ex Simeonis Metaphraſtæ* græco in Latinum translata.

Reſtituit etiam Pugetus *mira dexteritate Canones Evangeliorum*, novæ Benedictinæ Operum S. Hieronymi editioni â Martyanæo inſertos. Exſtant hi citato loco, Tom. I. â columna 1429.

CAPUT XXXVIII.

D. Theodericus Ruinart.

Ob. 1709.

THeodoricus Ruinart honeſto genere natus eſt Remis die decima Junii Anno MDCLVII. A pijs parentibus piè & liberaliter educatus, novennis collegium Academiæ Remenſis, vulgò dictum *Bonorum puerorum*, frequentare cœpit, humanioribus litteris operam ibi daturus. Liberalium Artium curſu feliciter ac naviter confecto, in clerum per tonſuram clericalem jam adſcriptus, artium laurea redimitus eſt anno MDCLXXIV. Dehinc mundi vix ſibi noti pertæſus, de ſanctiori

azylo, ubi innocentiam tutaretur, cogitare, monaſterium S. Remigij adire, ut admitteretur, omnibus precibus contendere. Admiſſus tandem, pro votis, die ſecunda Octobris an. MDCLXXIV. veſte monaſtica indutus eſt die 18. ejusdem menſis, ſollemnem profeſſionem emiſſurus die 19. Octobris anni inſequentis, in monaſterio ſancti Faronis Meldenſi, quo translatus fuerat novitiatus. Prioris, ac monachorum utriusque monaſterij conſpirantibus ſuffragijs ad profeſſionem facilè admiſſus eſt; cujus morum puritas & vitæ innocentia, fervens pietas, egregiæ animi dotes, ingenium acre, judicium ætate majus, qualis in adulta ætate futurus eſſet, ſatis portendebant. Nec fefellit opinio. Nam expleto, pro more, Congregationis S. Mauri, à profeſſione biennio, cujus partem * Meldis, partim ** Latiniaci, in ſpiritualibus exercitijs eadem ſemper pietate ac animi fervore egit; veterem Corbeiam conſultorum Philoſophiæ (quam iteravit) & Theologiæ ſtudiorum cauſa miſſus, inter primos ſic excelluit, ut ingenium ad ſcien-
tias

* Meaux.
** Lagny.

tias egregiè comparatum facilè adverterint periti rerum æſtimatores. Jam tum in lectione aſſiduus, ſcripturæ ſacræ intentus, in evolvendis Patribus, bonisque auctoribus indefeſſus, quæcunque occurrebant vetera monumenta hiſtorica, laudanda curioſitate expendebat, obſervabatque. Sed quisquis eſſet in litteris progreſſus, major erat in pietate ac virtute. Sic ſtudere ſolitus, ut de religione nihil decederet; morum candore, humilitate, manſuetudine, ſincera ac ferventi in Deum pietate, omnibus approbatus, ac condiſcipulis ùt ſtudendi, ſic & vivendi exemplum factus.

Interim Mabillonius magnæ ſpei juvenem quærebat, quem in laborum partem vocare poſſet, ut ad ea, quibus ipſe vacabat, ſtudia à ſe informatus, iisdem ille inſiſtere poſſet, eaque ſtrenuè perſequi. Egregiæ Ruinarti animi dotes, quas ex fama didicerat, animo ſtatim cùm obveniſſent, hunc ſibi dari ſtudiorum ſocium & participem Superiores rogavit, facileque obtinuit. Confectis igitur ſtudiis, Pariſios vocatus eſt Ruinartus anno MDCLXXXII. Mabillonio duce, ac comite litteris operam nava-

turus. Prima magiſtri cura fuit diſcipuli ingenium & mores excolere; alterum certiſſimis regulis ad ſcientias, alios ſanctiſſimis præceptis ad pietatem informare, tyronique viam inoffenſam aperire, quam ipſe dudum anticipaverat. Hanc facilè inijt optimi magiſtri diſcipulus optimus, eique ita inſtitit, ut quem ducem aſſequi non valeret, ſaltem quàm proximè liceret, ſequeretur.

Quàm feliciter ſe ad Mabillonij inſtituta & mores finxiſſet Ruinartus, brevi patefecit, in lucem editis jam ab anno MDCXC. *Actis Martyrum ſinceris & ſelectis.* Liber eſt in 4. continens authentica, quotquot reperiri potuerunt, primorum martyrum acta, eorum, qui prioribus quatuor eccleſiæ ſæculis pro Chriſtianæ fidei defenſione paſſi ſunt. Ea mirè illuſtrant exquiſita eruditione refertæ admonitiones in ſingula, & notæ in difficiliora loca. Operi præmiſſa doctiſſima præfatio, in qua primum recenſet modos, quibus ſincera martyrum acta ad nos pervenerint; tum invictè probat infinitos propemodum martyrum exſtitiſſe, quorum acta vel perierint, vel deſcripta non fuerint; nec proinde

de martyrum numerum ex actorum numero repetenda eſſe. Id quidem voluerat. Henricus Dodwellus edita anno MDCLXXXIV. Oxonij inter Cyprianicas diſſertatione, *de martyrum paucitate* inſcripta, in qua contendebat, paucos admodum martyres in primævis perſecutionibus paſſos fuiſſe; tantamque ſanctorum martyrum turbam, quam eccleſia Catholica in martyrologiis, aut in officiis eccleſiaſticis celebrat, nulla alia, quàm fabulatorum, aut monachorum otioſorum auctoritate fulciri. Temerariam hominis ſententiam, vaniſſimis conjecturis, ùt ſolet, ac commentis potiùs, quàm argumentis fultam tam validè refellit Ruinartus, ut is ad incitas redactus ne mutire quidem deinceps auſus fuerit. Agit denique Ruinartus de honore, quo martyres in eccleſia afficiebantur, oſtenditque maximam ſempet, & ab omni ævo fuiſſe totius eccleſiæ in eos reverentiam. Primus hic Ruinarti fœtus in pretio fuit apud eruditos, nomenque fecit auctori. Ut noſtratium, qui latinè neſciunt, utilitati inſervire poſſet, patrio ſermone donatum duobus tomis in 8. edi curavit anno MDCCIX. clariſſimus D. Droüet de Mau-

pertuis. Sed latinam editionem jam rariorem, ab auctore ante mortem recognitam, elegantibus typis ſuis renovari curat, magno rei chriſtianæ & litterariæ bono, D. Wetſtein Amſtelodamenſis typographus.

Huic operi ſatis affinis eſt *Hiſtoria perſecutionis Vandalicæ*, quam anno MDCXCIV. publici juris fecit Ruinartus in 8. cum nulla ferè perſecutio ſit, quæ plures cœlo martyres intulerit. Eam hiſtoriam deſcripſit Victor Vitenſis epiſcopus, cujus proinde aureum opuſculum, cum variis codicibus accuratè collatum & emendatum, notiſque, & obſervationibus illuſtratum præmittitur. Sed quia Victor multa prætermiſerat, & narrationem ſuam intra ſolius Africæ fines concluſerat, quamvis ad longè plures provincias perſecutionem Genſerici pervaſiſſe fateatur; omiſſa ab eo ſupplere ſtuduit Ruinartus, remque altiùs repetens totam hiſtoriam à tempore, quod à prima Vandalorum in Gallias impreſſione effluxit, usque ad exſtinctum eorum in Africa imperium, id eſt, annos circiter centum & viginti-octo perſecutus eſt. Et ut major ei lux afful-

geret, de imperij viciſſitudinibus, ac de illis principibus, qui tunc temporis imperarunt, breviter egit, veteraque nonnulla interſeruit ſcripta, quæ hiſtoriam confirment & illuſtrent, filo tamen minimè interrupto. Addidit alia quædam antiqua opuſcula hactenus nondum, vel imperfectiùs edita, quorum potiſſimum eſt notitia eccleſiæ Africanæ, cui accedunt auctoris notæ & obſervationes.

Abſoluta ea hiſtoria, ſtimulum addentibus pluribus viris clariſſimis & amicis, novam editionem operum ſancti Gregorij Turonenſis aggreſſus eſt, eamque demum publicavit anno MDCXCIX. in fol. Hactenus quidem non ſemel prodierant ea opera, ſed diſperſa, & cum variis variorum auctorum operibus permixta, eaque mendis reſperſa & pluribus in locis mutila. Hæc in unum volumen collegit vir doctiſſimus, & ad veteres codices accuratè recognita priſtino decori reſtituit, additis ad marginem brevibus notis, quibus textus explicatur, rejectis verò ad calcem fuſioribus, quibus ea, quæ ampliorem exigebant animadverſionem, elucidantur.

Addidit Fredegarij Scholaſtici epitamen Gregorianæ hiſtoriæ & chronicon, quod eſt ejus veluti continuatio, cum chronici continuationibus, & aliis antiquis monumentis, Totum editionis conſilium & ſcopum exhibet præfatio, in qua, præter cætera, auctor plura pertractat, quæ ad veterum Francorum hiſtoriam, mores, & diſciplinam eccleſiaſticam ſpectant, quæ legiſſe non pœnituerit.

Anno ſequenti MDCC. Mabillonius in lucem emiſit ſextum ſeculum actorum ſanctorum Ordinis S. Benedicti, duobus tomis in fol. diſtinctum. Cùm magnam partem in actis digerendis, in ordinem redigendis, & illuſtrandis habuiſſet Ruinartus, hunc merita laude defraudare nolens modeſtiſſimus, & æquiſſimus Mabillonius, utriusque nomen operi præfigi curavit.

Biennio poſt miſſionem ſancti Mauri, diſcipuli ſancti Patriarchæ Benedicti, in Franciam à criticorum quorumdam cavillationibus vindicandam ſibi ſuſcepit Ruinartus. Jam illuſtriſſimi Harlæi archiepiſcopi Pariſienſis temporibus, cùm in ordinem religendis, & in reforman-

mandum Pariſienſe Breviarium naviter incumberent delecti ab eo periti critici, lectionesque omnes Breviario inſerendas ad Severioris criticæ leges expenderent, lis ea de re mota fuerat, ſed facilè ſopita, prolatis quippe à noſtris San-Germanenſibus argumentis, & auctoritatibus, quibus vetus & recepta hactenus in eccleſia Pariſienſi, & toto Ordine Benedictino traditio nitebatur, firmabaturque. Sic feſtum ſancti Mauri abbatis, quod ſolemni veneratione ſemper celebravit eccleſia Pariſienſis, ex quo præſertim ejus reliquiæ in monaſterium Foſſatenſe Pariſiis vicinum illatæ ſunt, priſtinam ſedem & dignitatem in novo Breviario retinuit cujus lectiones in eo feſto legi ſolitæ miſſum à ſancto Benedicto Maurum in Gallias palam aſſerere perrexerunt. Sed cùm illuſtriſſimus archiepiſcopus Antonius *de Noailles*, nunc cardinalis eminentiſſimus, Breviarium Pariſienſe accuratiùs recognitum & emendatum edere meditaretur, acriùs recruduit ſopita, non exſtincta, de miſſione ſancti Mauri controverſia. Qui enim miſſioni adverſabantur, reſumptis ea occaſione animis, eam modis omnibus

concutere conati ſunt; non quidem prolatis rationibus, & autoritatibus, quæ rem factam negarent; nullæ erant: ſed congeſtis difficultatibus & cavillationibus, quibus vulgata ſancti Mauri acta in ſuſpicionem vocarentur, infirmataque veteri traditione, nova opinio paulatim ſuccreſceret. Vocatis in commune conſilium partibus, auditisque, ac expenſis utrimque rationibus: ſententiam à deceſſore latam confirmavit illuſtriſſimus archiepiſcopus. Nec ſic tamen à cœpto deſtitêre adverſarij, ſed quæ viva voce protulerant, ſparſis per urbem ſcriptis, imo & in Hollandiam miſſis, publicare cœperunt. Lectis ijs ſcriptis Proteſtantes pro more exſultare, triumphos agere, Catholicis, imo & ſancto Mauro, quaſi larvæ inſultare, Benedictinisque ipſis palam imponere, quaſi adverſariorum argumentis victi agnoviſſent tandem, fabuloſam eſſe totam ſancti Mauri hiſtoriam, ſanctumque ipſum fictitium. Hactenus nulla ea de re ſcripta protulerant noſtri, ſatis habentes adverſariorum objectiones viva voce diſſolviſſe. Sed quod factum nondum fuerat, jam tunc facto opus eſſe res ipſa monebat. Hanc provin-

vinciam cum ſuſcepiſſet Ruinartus, edidit anno MDCCII. patrio idiomate *Apologiam miſſionis ſancti Mauri, Benedictinorum in Francia apoſtoli*, in 8. Ab ipſo limine probat, exſtitiſſe ſanctiſſimum quemdam Benedicti diſcipulum, nomine Maurum, quem ipſum eſſe primum abbatem, ac conditorem monaſterij Glannafolienſis in Andecavenſi Comitatu, recepta jam ac conſtantiſſima nono ſæculo traditio ferebat. Quam quidem traditionem à ſancti Benedicti temporibus ad nonum ſæculum, dehinc verò ad noſtra uſque tempora continuata ſerie manâſſe, certiſſimiſque argumentis, auctoritatibus, & monumentis fultam eſſe demonſtrat vir doctiſſimus: & quamvis acta ſancti Mauri interpolata fuerint, certos tamen in ijs reſiduos eſſe characteres, quibus ſarta tecta maneat eorum auctoritas, ac ſecerni haud difficile valeant poſterioris manus additamenta à primæ ductibus, qui miſſionis ſancti Mauri teſtimonium ferunt, nullis argumentis, ſive Baſnagij, ſive aliorum (quæ quàm infirma ſint, oſtendit) concutiendum. Et quia Baſnagius & alij quidam cum eo critici modum omnem excedentes, non tan-

tùm

tùm acta vulgata, ſed ipſum etiam martyrium, imo & perſonam ſancti Placidi, ſancti Benedicti diſcipuli, & ſociorum ejus, meram eſſe fabulam contendebant; Ruinartus additamento ad calcem apologiæ ſuæ facto, moroſiores illos criticos egregiè refellit. Ingenuè quidem fatetur, vulgata martyrij acta vix ullam fidem mereri; inconcuſſam tamen manere veterem traditionem, tum de miſſo à patre ſuo Benedicto in Siciliam Placido, tum de ejus illic ac ſociorum martyrio, quam invictè confirmat inventio corporum ſanctorum martyrum facta anno MDLXXXVIII. in eccleſia ſancti Johannis Baptiſtæ Meſſanenſi. Hæc ferè ſumma apologiæ ſancti Mauri, quam latinè converſam edidit Mabillonius ad calcem tomi primi Annalium Ordinis ſancti Benedicti.

In alterum poſtea certamen venit Ruinartus, pro magiſtri ſui Mabillonij gloria, haud tamen periclitante, pugnaturus. Libros de re diplomatica ſcriptis publicis adorti fuerant, venerandumque ſenem aliis intentum ad certamen provocaverant quidam. Is rixas fugiens, publicato ſtatim ſupplemento, quod du-

dudum paratum erat, captos fruſtra conatus infringere ſatis habuit. Ne tamen cauſam Mabillonio tradere viderentur adverſarii, nova ſcripta Supplemento oppoſuêre. Veritus Ruinartus, ne verborum pompa, & apparatu, auctorumque confidentia imperitorum oculis pulvis oſtenderetur, oppoſitam Supplemento diſceptationem refellere ſic aggreſſus eſt, ut tandem in omnibus excutiendis, quæ confidentiùs objiciebantur, tempus fruſtra terendum non eſſe merito cenſeret. Ex omnibus ſelecta una ſingulari charta, in quam majores fuerant impetus, hujus defenſionem præ cæteris ſuſcepit, ratus ſi tutam ab adverſariorum telis facile ſervaret, ex hoc vel uno ſpecimine facile intellecturos omnes, quo loco habendæ & quanti faciendæ eſſent aliæ in alia diplomata leviores objectiones. Teſtamentum Vandemiris eſt, viri illuſtris, & Erchambertæ uxoris ejus, quod inſignis eccleſiæ Pariſienſis veteres titulos ſeu baſilicas ſpectat, a Vandemire magnificè dotatas, quod proinde ab injurioſis ictibus illæſum ſervari multum illius eccleſiæ intererat. Strenuè ſervavit Ruinartus, ſcrip-

ſcripta an. MDCCVI. lucubratiuncula ſub hoc titulo: *Eccleſia Pariſienſis Vindicata*, &c. in qua expenſis ſingulis objectionibus, eas nullius roboris eſſe invictè demonſtrat.

Mortuo anno inſequenti Mabillonio, quàm acerbus Ruinarti animum invaſerit dolor facilè conjecerit, qui generoſam ejus indolem, ſummam adverſus magiſtrum reverentiam, intimum amorem, gratiſſimum ob accepta beneficia animum, mutuam demum amicitiæ conjunctioniſque neceſſitudinem cognoverit. Sed qui prius magiſtri laborum ſocius, & particeps erat, totum eorum pondus deinceps ſolus ſuſtinere debuit. Novam editionem librorum de re diplomatica, viris litteratis ex variis Europæ partibus efflagitantibus, paulo ante mortem aggreſſus erat Mabillonius, præloque ſubjecerat, recognitam, auctam & emendatam: properabat ad finem, cùm invidente fato, laboris fructum deguſtare non licuit. Una ſupererat præfatio, quam majori otio & cura conſcribendam ſervaverat, cum ap-

pen-

pendice nova, in quam vetera aliquot monumenta relaturus erat. In præfatione accuratè expendendam ſibi proponebat ſententiam clariſſimi viri Gregorij Hickeſij. Hic enim in ſuo *Linguarum Septentrionalium theſauro*, qui prodiit è theatro Scheldoniano Oxonij anno MDCCV, poſtquam Mabillonij opus de re diplomatica ſummis laudibus extulit, plura ex eo decerpſit, regulasque à doctiſſimo viro conſtitutas, ſi rectè explicentur, calculo ſuo probavit; neſcio quo fato in tranſverſum actus, in Mabillonium ipſum paulo inciviliùs inſurgit, quia regulis malè explicatis abuti quispiam poteſt. Hæc ſunt, quæ Mabillonius expendere ſtatuerat. At quod morte occupatus exſequi non potuit, ſupplevit Ruinartus, præmiſſa novæ editioni præfatione, in qua poſt explicatas novæ iſti editioni factas acceſſiones, & commendatam artis diplomaticæ neceſſitatem & utilitatem, regulas à Mabillonio conſtitutas à præcipiti Hickeſij cenſura vindicat, oſtenditque pleraſque ab Hickeſio nonnihil oſcitanter lectas, & expenſas fuiſſe, unde imprudentius quàm malignius Mabillonio plura impo-

poſuerit, quæ verbis ejus & ſenſui apertè repugnant; omnes verò tanta cautione, diligentia, ac circumſpectione ab auctore ipſo explicatas fuiſſe, ut nemo, niſi qui ſponte cæcutire voluerit, abuti umquam poſſit. Quod verò ſpectat ad appendicem, præter ea vetera monumenta, quæ paraverat Mabillonius, nonnulla addidit Ruinartus, quæ ad ſe poſt ejus obitum venêre.

Cùm à multiplicibus curis, in quas coniecerat Mabillonij mors, paullo liberiorem ſe ſenſit Ruinartus, primum conſilium fuit egregia clariſſimi viri geſta poſterorum memoriæ tradere. Ad id non modo hortabatur gratiſſima in magiſtrum pietas, ſed etiam accendebant nobiliſſimorum hominum vota & preces, veritorum ſcillicet, ne dum æternum viveret libris ſatis commendata eruditio, multorum præclarè ac piè geſtorum, quæ paucis nota intra clauſtri fines continuerat religioſa humilitas, interiret aliquando memoria. Obſtabant dumtaxat Congregationis noſtræ mores, à quibus id alienum eſſe videbatur; hactenus ſaltem data opera factum non fuerat. At tanti meriti viro ſin-
gul-

gularẽ prærogativã deberi monentibus ijs, quorum monita præceptorũ loco habenda erant; Mabillonij vitæ ſynopſim, quam vernaculo ſermone paraverat Ruinartus, in lucem emitti conceſſêre majores noſtri. Edita eſt igitur, cum maximo bonorũ omnium plauſu, anno MDCCIX. ſanctos Mabillonij mores, ac totius pijſſimè actæ vitæ ſeriem accuratiùs, quàm operum ac librorum hiſtoriam deſcribens; hæc quippe ſatis nota, illa minùs.

Totum ſe deinceps convertit Ruinartus ad Annales Ordinis noſtri, quos tamen intactos brevi dimiſſurus erat alteri, niſi quod quinto tomo, quem paratum reliquerat Mabillonius, plura addiderit. Dum enim ad continuandos cæteros probè jam meditatus acceſſurus erat, prius in Campaniam, Galliæ provinciam, proficiſci voluit, locupletiſſima illius regionis eccleſiarum, & abbatiarum archiva iterum luſtraturus. Jam quidem à Mabillonij morte, tum jugis aſſiduitas morienti nocte dieque exhibita, tum preſſus, non exſtinctus, hærensque ſemper animo dolor, valetudinem ſenſim affecerat, feſſumque corpus fatiſcebat. Ut tamen ſibi minus,

quàm alijs parcebat Ruinartus, itineri ſe commiſit ſub menſis Auguſti finem. Vix aliquo pervenerat, cum miſſa quietis & valetudinis cura, indefeſſo labore perquirebat exſcribebatque quæcumque ad rem ſuam opportuna videbantur. Sic Remos pervenit, commodiori tamen, quàm cùm hinc diſceſſerat, valetudine. Sed cùm peractis ex ſententia rebus Pariſios revertitur, ad * Altivillarenſem ſancti Petri abbatiam, Congregationis ſancti Vitoni, agri Remenſis, octo circiter millibus à metropoli, divertit. Eo vix pervenerat, cùm ipſa nocte in febrim quotidianis incrementis gravem incidit, qua per decem, & ſeptem dies conflictatus, tandem die 27. Septembris, expeditis, & intimo pietatis ſenſu ſuſceptis eccleſiæ ſacramentis nunitus, ad ſupernam (ſic ſpes eſt) quam imo pectore defixam ſemper habuerat, quamque moriens in ore ſemper habebat, evolavit, annum ætatis agens quinquageſimum tertium. Sic vitam finivit doctiſſimus, ac pijſſimus noſter Theodericus Ruinart, præclaris, quibus eccleſiam illuſtravit, ingenij ſui monumentis toto orbe celebris, ſed inſigni pietate,

* Hautvilliers.

tate, morum puritate, regularis vitæ ſtudio, animi candore, ſingulari comitate, humilitate ſincera, alijsque Chriſtianis ac monaſticis virtutibus magis adhuc, quàm eruditione commendandus, & ut verbo plura complectamur, totus ad Mabillonij magiſtri ſui mores, & præſcriptum effictus. Sic enim litterarum ſtudijs indefeſſus vacavit, ut nihil umquam optimæ aſcetæ officijs deceſſerit, de quibus vel inter ipſas itinerum moleſtias, aut valetudinis incommoda nihil quidquam, quantum licuit, remiſſum voluit. Extremo morbo oppreſſus, inter ipſos continuæ febris ardores, de paſcendo ſolitis lectionibus pijs animo ſollicitus erat, conſuetasque preces ſibi ad lectum conſtitutis horis recitari volebat. Et quamvis in alterius Congregationis monaſterio hoſpes decumberet, eadem tamen in monaſterij ſuperiores reverentia, ac obedientia erat, nihil vel minimum quidquam iis inconſultis agere volens.

Quæ fuerit RR. PP. Altivillarenſium in hoſpitem ſuum humanitas, cura, aſſiduitas, quæ caritatis officia ei certatim exhibita, vix exprimi poteſt. Pium erat in-

ter eos de caritate certamen, quis ægroto majori ſtudio, ac impenſiori cura miniſtraret; & cùm unus noctu diuque ſatis fuiſſet ægro miniſtraturus, plures tamen ſimul, de hoſpitis valetudine, quàm de ſua ſollicitiores, viligias noctis, eaſque ſæpius repetitas, agitare pertinaci, ſed amico ſtudio volebant, promptam & alacrem operam ad minimum quemlibet nutum oblaturi. Medici & chirurgi è diſſitis etiam urbibus & oppidis vocati; remedia quæcumque opportuniora viſa ſunt, affatim, & liberaliter miniſtrata; nullis denique ſumtibus & impenſis parſum. Hæc breviter commemorare libuit, ut meritam gratiam verbis ſaltem perſolvamus ijs, à quibus obtineri nulla ratione potuit, ut ſumtus facti, ùt par erat, refunderentur. Mortuum denique magno eorum & omnium noſtrum mœrore Ruinartum honorifico loco in eccleſiæ ſuæ navi ſepeliêre, inſcripto tumbæ lapideæ hoc epitaphio:

HIC JACET DOMNUS THEODERICUS RUINART, REMENSIS, PRESPYTER ET MONACHUS S. GERMANI A PRATIS, PIETATE, MO-

MORUM LENITATE, ET DOCTRINA CONSPICUUS, QUI IN HOC MONASTERIO HOSPES EXCEPTUS, GRAVI FEBRE DECUMBENS OBYT DIE 27. SEPTEMBRIS ANNI MDCCIX. REQUIESCAT IN PACE.

Opera.

HÆc quidem ſatis accuratè in vita, quam eruditiſſimo Domno Renato Maſſueto acceptam referimus, hactenus recenſita ſunt; ut tamen noſtrum in annumerandis ſingulorum titulis, editionibus &c. morem etiam hìc obtineamus, en, erudite lector, alium operum à Ruinarto editorum catalogum!

Acta primorum Martyrum ſincera, & ſelecta ex libris tum editis tum MSStis collecta, eruta vel emendata, notisque & obſervationibus iluſtrata. 4. *Pariſiis typis Franciſci Muguet* 1689. & *fol. Amſtelodami apud Wettſtenium anno* 1713. Francicè vertit, & edidit D. Drouet de Maupertuis. 8. *Pariſiis* 1708. *vol. duo.*

Hiſtoria perſecutionis Vandalicæ in duas partes diſtincta. Prior complectitur libros V. Victoris Vitenſis Epiſcopi & alia antiqua monumenta ad Codices MSStos collata, & emendata cum notis & obſervationibus. Poſterior Commentarium Hiſtoricum de Perſecutionis Vandalicæ progreſſu & fine. 8. *Pariſiis apud Franciſcum Muguet* 1694.

S. Georgij Florentij Gregorij epiſcopi Turonenſis Opera omnia, nec non Fredegarij Scholaſtici Epitome & chronicum cum ſuis continuatoribus, & aliis antiquis monumentis ad codices manuſcriptos & veteres editiones collata, emendata, & aucta, atque notis & obſervationibus illuſtrata. fol. Pariſiis typis Franc. Muguet 1699.

Acta ſanctorum Ordinis Sancti Benedicti in ſæculorum claſſes diſtributa. Sæculum ſextum, quod eſt ab anno Chriſti M. ad MC. colligere cœpit Domnus Lucas D' Achery Congreg. S. Mauri monachus; Domnus Johannes Mabillon, & D. Theodericus Ruinart, ejusd. Congr. illuſtrarunt, ediderunt que cum indicibus neceſſariis. Pars prima fol. Pari-

Pariſiis ſumptibus Caroli Robuſtel 1701. *Pars ſecunda fol. ibidem apud eundem eod. anno.*

Apologie de la Miſſion de S. Maur Apôtre des Benedictins en France, avec une Addition touchant S. Placide, premier Martyr de l' Ordre de S. Benoit. i. e. *Apologia Miſſionis ſancti Mauri Monachorum Benedictinorum in Galliis Apoſtoli, & S. Placidi Protomartyris Ordinis S. Benedicti in Sicilia.* 8. *Pariſiis* 1702. . . . Hæc latinè reddita exſtat etiam in Appendice prima ad Tomum primum Annalium Benedictinorum Mabillonij.

Eccleſia Pariſienſis vindicata adverſus R. P. Bartholomæi Germon, duas Diſſertationes de antiquis regum Francorum diplomatibus. 12. *Pariſiis* 1706.

Præfatio in novam editionem librorum Johannis Mabillonij de re Diplomatica. Prodijt hæc editio fol. maj. Pariſiis ſumtibus Caroli Robuſtel. 1709.

Abregé de la Vie de Dom Jean Mabillon, Prêtre & Religieux Benedictin de la Congregation de ſaint Maur. i. e. *Synopſis vitæ Domni Johannis Ma-*

billonij, Presbyteri & Monachi è Congregatione S. Mauri 8. *Pariſiis* 1709. . .

„ Præter opera ſuperiùs memorata,
„ ſtudioſè collegit Ruinartus epiſtolas
„ omnes: quotquot inveniri potuerunt,
„ Urbani II. Papæ è noſtris, quarum pluri-
„ mæ nondum editæ ſunt. Collectioni
„ verò præmiſit accuratam geſtorum
„ ejusdem pontificis hiſtoriam, quæ lu-
„ cem afferat epiſtolis. Ejusmodi ope-
„ ribus iniquior cùm ſit turbida bello-
„ rum tempeſtas, tantisper exſpectan-
„ dum, donec reformata pace tranquillio-
„ ri luce donari poſſit. Plurimum eti-
„ am laboravit in conquirendis & colli-
„ gendis Mabillonij epiſtolis, ut delectu
„ facto eas in lucem emittere poſſet, quæ
„ digniores viderentur. Sed eo labori
„ immortuo, larga hactenus non fuit
„ meſſis. Largiorem reddere ſi dignen-
„ tur ij ad quos ſcripſit Mabillonius re-
„ miſſis ad nos epiſtolis, gratiſſimum
„ certè & nobis & eruditis facient.
Quibus verbis vitam Ruinarti concludit Renatus Maſſuet circa annum MDCCXII. ſcribens.

Cap.

CAPUT XXXIX.

D. Thomas Blampin.

Ob. 1710.

THomæ Blampino locus natalis fuit Noviodunum, oppidum ad Eſiæ fluminis ripam in Picardia adſitum. Prætervectus annum ætatis ſeptimum decimum in Remenſi ſancti Remigij monaſterio ſolemnem monaſticorum votorum profeſſionem edidit Decimo quarto Calendas Januarij anni milleſimi, ſexcenteſimi quinquageſimi noni. Is ad ſingularem modeſtiam quæ homini velut * *innata* videbatur, omnigenarum litterarum, præcipuè veteris Theologiæ, quam Patres poſteris reliquerunt, ſtudium & ſcientiam ſic adjunxit, ut ad ſummum eo in genere faſtigium perveniſſe ab eruditis judicatus ſit. Maxima illius gloria eſt ſplendidiſſima, emendatiſſimaque Operum ſancti Auguſtini, Hipponenſis Epiſcopi editio, quam ſuis nemo meritis æſtimaverit, quin affirmet, eo labore effectum eſſe, ut tantum Blampino debeat

* Beaugend. Præf. ad Op. Hildeb. pag. VIII.

Auguſtinus, quantum Auguſtino Eccleſia. Opus hoc viginti annorum, & plurium è Congregatione S. Mauri ſodalium ſudor & labor fuit, quem tamen maximum Blampinus, ejus chori ab ipſa ſuſcepta ſparta uſque ad feliciſſimum finem princeps, exantlavit. Idem Notarum, ſummo judicio ſelectarum, obſervationum, & elegantiſſimarum, eruditiſſimarumque præfationum, inter quas, ea excellit, quæ de Pelagianæ hæreſis origine Tomo decimo præfigitur, Autor eſt. Auguſtinum ſuum doctiſſima Congregatio inſcripſit Ludovico XIV. Francicorum Regum facile maximo, cujus, uti & Romanæ Sedis autoritate fædiſſimæ nubes, quas aut hæreſis, aut invidia, aut denique immenſum partium ſtudium in ſolertiſſimos editores conflaverant, diſſipatæ ſunt. Tametſi nec ex ipſa Congregatione defuerint, qui frementium, & de Benedictinorum fide malè ſuſpicientium impetum ſtylo fortiter repellerent. Juvat rem omnem verbis celeberrimi Mabillonij, cui Generalis Præfatio à Du Pin * V. C. tribuitur, referre, ex quibus ſimul, quid in hac nova operum Augu-

* Biblioth. Eccleſ. T. XVIII. pag. m. 225.

Auguſtinianorum editione à diligentiſſimo Blampino, ac ſocijs præſtitum ſit, nullo negotio intelligetur. Is ita oritur;

„ Cùm primùm Congregationis no-
„ ſtræ Præpoſiti fratres noſtros ad ſtudia
„ litterarum applicare conſuerunt, ea po-
„ tiſſimùm ab eis delecta ſunt ſtudia, quæ
„ plus utilitatis præ ſe ferrent, quàm
„ oſtentationis, & quæ religioſæ ſolitu-
„ dini, & converſationi magis conveni-
„ rent. In eo genere nihil aptius aut
„ opportunius eis viſum eſt, quàm re-
„ cognitio & editio nova ſanctorum Pa-
„ trum, cùm Latinorum, tum Græcorum;
„ propterea quòd & exercitatio ipſa per
„ ſeſe maximè conduceret ad lectitanda
„ & meditanda eorum ſcripta, in quibus
„ vera & ſincera Eccleſiæ doctrina ac pie-
„ tas conſiſtit, & non pauca nobis adiu-
„ menta ſuppeterent ad id operis ſuſcipi-
„ endum & exſequendum. Atque ut
„ quibusdam veluti gradibus ad hunc la-
„ borem, magis arduum certè ac diffici-
„ lem, quàm ſplendidum, fratres noſtri
„ idonei & parati ſenſim redderentur, à
„ quibusdam veluti rudimentis initium
„ ductum

„ ductum eſt, ſcilicet ab editione ſelecto-
„ rum opuſculorum ſanctorum Patrum;
„ deinde ab integris ſcriptis aliorum, do-
„ nec tandem ad opera ſanctiſſimi Docto-
„ ris Auguſtini ventum eſt: quibus emen-
„ dandis, & recognoſcendis ut operam
„ impenderemus, multi Eccleſiæ Illu-
„ ſtriſſimi Præſules, nec non etiam togæ
„ principes viri auctores nobis, & inſtiga-
„ tores fuere. E primis fuit Illuſtriſſi-
„ mus Franciſcus Harlæus Pariſiorum nu-
„ per Archipræſul, qui hujus operis pa-
„ tronum, & fautorem ſemper ſe præſti-
„ tit: èſe cundis Guillelmus Lamonius Se-
„ natûs Pariſienſis quondamPrinceps, qui,
„ pro ſua in litteras litteratosq; benevolen-
„ tia typographicâ nobis domeſticam offi-
„ cinam à Rege impetrare & procurare
„ voluit, ut hæc editio in privatis ædibus
„ commodiùs & faciliùs procuraretur.
„ Verùm hac conditione, quantumvis in
„ ſpeciem opportuna, ob varias cauſas,
„ quas commemorare nihil juvat, mini-
„ mè admiſſa, inſtitit nihilo minùs Præ-
„ ſes illuſtriſſimus, inſtitêre & alij quàm
„ plures diverſorum Ordinum ſpectatiſſi-
„ mi

„ mi Viri, ut tantæ molis opus ſubire ne „ refugeremus.

„ His incitamentis commoti ſupe„ riores noſtri, vix tamen ad vaſtum il„ lum laborem ſubeundum, ùt erant „ perſpicaces, adduci potuêre; rati, id „ quod docuit eventus, rem eſſe aleæ, „ ac difficultatis plenam, cujus ſi minus „ ea ſuccederet, incauta & imprudens „ molitio nobis probro verteret; ſi be„ nè, invidia forte in nos redundaret. „ Deinde temerarium videbatur, ſecun„ dùm Lovanienſes Theologos doctiſſi„ mos, de Auguſtino, totaque Repub„ lica Chriſtiana optimè meritos, novam „ ſancti Doctoris Operum editionem „ meditari. Quippe vix fieri poſſe, ut à „ nobis eorum diligentia æquaretur, ne„ dum ſuperaretur.

„ Adhæc recurrebant animo veteres „ controverſiæ ac rixæ, quæ ex ſancti „ Doctoris ſcriptis & doctrina identidem „ in Eccleſia excitatæ fuerant; vereban„ turque illi, ne, dum Eccleſiæ hoc fra„ trum ſuorum labore conſulere opta„ rent, novarum altercationum ſemina

„ inde

„ inde orirentur, uti experientia non ſe-
„ mel probatum eſt: nempe quòd tanti
„ viri doctrina & humano ingenio captu
„ ſit difficilis, & mortalium cupidita-
„ ti ac ſuperbiæ parùm favens, & ac-
„ cepta,

„ Verùm has aliasque difficultates
„ prorſus diſcuſſit ac removit ſumma dig-
„ natio Ludovici Magni, qui novam
„ hanc editionem auguſtiſſimo ſuo no-
„ mine illuſtrari, ac patrocinio Regio
„ muniri permiſſit.

„ Acceſſit inſuper ampliſſimum Re-
„ gis privilegium in gratiam novæ editio-
„ nis, Illuſtriſſimi Franciæ Cancellarij
„ Michaëlis Tellerij auctoritate, regioque
„ edicto aſſertum, reclamantibus & ob-
„ ſiſtentibus incaſſum nonnullis biblio-
„ polis, quos occulti quidam adverſarii
„ ad avertendum novæ editionis pro-
„ poſitum clanculùm inſtigabant. Tan-
„ tis fulti præſidijs, nullum obicem in-
„ ſuperabilem, nullam invidiam nobis
„ formidandam eſſe exiſtimavimus,

„ Jam verò ne hoc conſilium ni-
„ mis audax, ac temerarium videretur;
„ præ-

„ præiverat exemplum Petri Morini Vati-
„ canæ typographiæ præfecti, aliorumque
„ almæ Urbis eruditorum virorum, Adria-
„ ni Abbatis, atque Obrij Doctoris Pa-
„ riſienſis & aliorum, qui primùm Six-
„ to V. dein Clemente VIII. ſummis
„ Pontificibus, novam ſancti Auguſtini
„ commentationum editionem poſt il-
„ lam Lovanienſem aggreſſi fuerant, rati
„ ſcilicet egregios eſſe vaticanos libros,
„ quos Lovanienſes minimè conſuluе-
„ rant, magnumque eorum eſſe nume-
„ rum, unde variæ lectiones excerperen-
„ tur; pleraque item, quæ in Lovanien-
ſibus libris, quantumvis accuratis, deſide-
rantur, unde hæc editio chriſtianæ do-
ctrinæ lucem allatura ſit, „ ut Petrus
„ Morinus ſcribit in epiſtola XV. ad
„ Cardinalem Cajetanum, qui prædicto
„ conſilio plurimum ſuffragabatur. Fa-
„ ctum eſt: collati ſunt Lovanienſes libri
„ cum Codicibus Vaticanis perquam ac-
„ curatiſſimè, & ad marginem appoſitæ
„ variantes lectiones ad editionem ador-
„ nandam, cui Cardinalis Veronæ ſacri
„ Collegij princeps præfectus fuit. Ve-
„ rùm cùm res effectu caruiſſet; omnes
„ illæ

„ illæ variationes juſſu Clementis X. Pon-
„ tificis à piæ memoriæ Cardinale Bona
„ nobiſcum communicatæ ſunt, ut ijs in
„ nova noſtra editione uteremur.

„ Comparatis itaque eam in rem his
„ & alijs undequaque veterum codicum
„ ſubſidijs, cùm è noſtris, tum ex alienis
„ bibliothecis, continuò manus operi ad-
„ movimus, adhibitis ad conferendos co-
„ dices pluribus ſodalibus noſtris, non
„ ſolùm in ſancti Germani Pariſienſi, ſed
„ & in alijs aliarum provinciarum Con-
„ gregationis noſtræ monaſterijs; ac de-
„ mum intra viginti circiter annorum ſpa-
„ tium, non ſine multis expenſis & curis,
„ certè maximo cum labore, tota hæc edi-
„ tio, Deo favente, omnino abſoluta eſt,
„ & ab omnibus nullo præjudicio affectis,
„ eo plauſu ac ſucceſſu accepta, qualem
„ nec ſperare poteramus.

„ Ut verò munus noſtrum implere-
„ mus, & publicæ de nobis exſpectationi
„ pro modulo reſponderemus, quatuor
„ præcipua in noſtra editione præſtare
„ conati ſumus: videlicet, ut hæc accu-
„ rata

„ rata eſſet, commoda, rite illuſtrata, nul-
„ liſque partium ſtudijs addicta.

„ Ut eſſet quàm maximè accura-
„ ta, tres conditiones nobis neceſſariæ
„ viſæ ſunt: nempe ut contextui genuina
„ integritas ad veteres codices & ſinceriò-
„ res editiones reſtitueretur; ut certa &
„ germana ſancti Doctoris opera ſecerne-
„ rentur à dubijs, & ſpurijs; & ut editiò
„ ipſa à typographicis mendis, quantum
„ in nobis eſſet, repurgata prodiret.

„ Ut verò perquam commoda red-
„ deretur, quatuor potiſſimùm à nobis
„ curata ſunt: nimirum operum ordò,
„ ſectiones, ſummaria, & indices. Ordò,
„ ut ſecundùm tempus, quo ſingula ope-
„ ra ab Auguſtino ſcripta fuêre, diſpone-
„ rentur: quo fit, ut lector cum Auguſti-
„ no ipſo ſenſim progrediatur, & profi-
„ ciat, & priorum cognitio ad poſteriò-
„ ra intelligenda lucem præferat, quo de
„ ordine plura inferiùs dicturi ſumus.
„ Sectiones, ut non modò capitulis vete-
„ rum editionum, quæ ſubinde prolixiò-
„ ra erant, cujuslibet operis contextus &
„ corpus diſtinguatur; ſed etiam ipſa cà-
„ pita in minutiores dividantur ſectiones;

R numé-

„ numericis diſtinctas notis : tum ut in-
„ dicata cujuslibet operis ſectione faciliùs
„ inveniatur indicatus locus : tum etiam
„ ut in legendo his veluti intervallis &
„ morulis lectoris levetur labor & adten-
„ tio. Ad hæc etiam juvant ſummaria
„ non modò contextûs, ad marginem
„ ſingulis paſſim ſectionibus appoſita, quæ
„ ſummam rei, qua de agitur, paucis ex-
„ hibeant; ſed etiam omnibus libris, &
„ plerisque capitulis præmiſſa, quæ ar-
„ gumentum cujusque libri & capituli
„ breviter explicant. Illa verò ſumma-
„ ria marginalia ex ipſis contextûs verbis,
„ quoad ejus fieri potuit, expreſſimus, vel
„ ipſa Lovanienſium ſummaria retinui-
„ mus.

„ Ad indices quod adtinet, quorum
„ commoda & utilitates nemo non no-
„ vit, non tantùm ſingulos ſingulis to-
„ mis, & quidem uberrimos, ſubjicere
„ curavimus: verùm etiam generales ſeu
„ univerſales in poſteriori hocce volu-
„ mine contexuimus, ut uno conſpectu
„ tota Auguſtini doctrina de quovis ar-
„ gumento faciliùs indagari poſſit.

„ Quod

„ Quod adtinet ad ordinem a nobis in hac editione inſtitutum, ejus rationem reddere non admodum operoſum fuerit. Nam totius illius ordinis tenor adeò naturalis, & genuinus „ videtur, ut ſufficiat ad eum probandum nuda ejus expoſitio.

„ In primo tomo, præmiſſis duobus Retractationum libris, & tredecim „ libris Confeſſionum, quæ ſubſequentium operum veluti præludia ſunt, ſubſequuntur ea opuſcula, quæ ſanctiſſimus Doctor adhuc catechumenus, aut „ nondum presbyter elucubravit.

„ Succedunt in ſecundo tomo Epiſtolæ, numero CCLXX. ſecundùm ordinem temporum, quoad fieri licuit, „ diſpoſitæ, & in quatuor diſtributæ „ claſſes. In prima reponuntur illæ epiſtolæ, quas Auguſtinus nondum epiſcopus ſcripſit: in ſecunda, quas jam „ epiſcopus ante Collationem Carthaginenſem & ante detectam in Africa Pelagij hæreſim dictavit: in tertia, quæ ab „ eo tempore ad ipſius obitum ſcriptæ

R 2 „ ſunt;

„ ſunt: in quarta denique, quarum tem„ pus minùs compertum eſt. Cur au„ tem receptum epiſtolarum ordinem „ mutaverimus, quidve in commodum „ lectorum a nobis hìc præſtitum ſit, „ docet ipſius tomi peculiaris Præfa„ tio.

„ In tertio tomo continentur Opu„ ſcula exegetica, ſecundum Scriptura„ rum ordinem diſpoſita, præfixis in ip„ ſo tomi limine quatuor libris de Do„ ctrina Chriſtiana, quos ſubſequentium „ opuſculorum fundamentum eſſe nemo „ neſcit.

„ Rejectæ ſunt in tomum quartum „ Ennarrationes in Pſalmos.

„ In tomo quinto habentur ſer„ mones ad populum, in quatuor tribu„ ti claſſes, nimirum in Sermones de „ Scripturis veteris, & novi Teſtamenti, „ in Sermones de Tempore, de ſanctis, & „ de diverſis: quibus in quinta claſſe Ser„ mones dubij accedunt.

„ Tomus ſextus opera moralia com„ prehendit cum aliquot Quæſtionum li„ bris.

„ Ab-

„ Abhinc incipiunt Opera Polemica, „ quorum primas tenent in tomo Septi- „ mo libri XXII. de Civitate Dei contra „ Paganos.

„ Tomus Octavus, præmiſſo in „ fronte libro de Hæreſibus, exhibet ope- „ ra polemica adversùs Judæos, Mani- „ chæos, Priſcillianiſtas, & Arrianos: qui- „ bus opuſculis adjuncti ſunt libri XV. de „ Trinitate.

„ Tomus nonus continet Opera po- „ lemica contra Donatiſtas.

„ Denique tomus decimus Opera „ itidem polemica contra Pelagianos: qui- „ bus ſcriptis ſubjunguntur varia monu- „ menta, quæ ad ea illuſtranda poſſunt „ conducere. Hactenus de ordine.

„ Jam verò illuſtrandis ſanctiſſimi „ Patris Operibus Præfationes ſingulis to- „ mis præmittere neceſſarium duximus, „ in quibus res potiùs hiſtoricas, quàm „ dogmaticas explicare ſtuduimus, ad ju- „ vandam Lectorum induſtriam. Ad „ hæc plerisque opuſculis Admonitiones „ præfiximus ad explicandum eorum ar- „ gumentum. Inſuper breviores ſu- „ binde notulæ in margine inferiori à no-

„ bis appoſitæ, quibus vel variantes lectio-
„ nes indicentur, vel obſcura loca, maxi-
„ mè aliorum locorum comparatione, ex-
„ planantur.

„ In his omnibus id altè nobis ani-
„ mo infixum fuit, & à Præpoſitis noſtris
„ inculcatum, ut partium ſtudia in expli-
„ canda Auguſtini doctrina ſedulò cave-
„ remus. Quæ res in cauſſa fuit, ut à
„ prolixioribus commentarijs, & obſer-
„ vationibus abſtinuerimus, ut ne cui-
„ quam vel minimum offendiculi præbe-
„ remus, ullive catholicorum Theologo-
„ rum ſententiæ præjudicaremus.

„ Verùm quantumvis id curaveri-
„ mus, curandúmque mandaverint Præ-
„ poſiti noſtri; difficile tamen fuit, ut ne
„ quid in tam vaſto opere nobis incautè
„ ſubriperet, vel, ùt ſunt mortalium ani-
„ mi variè affecti, ne quid ſecus, quàm in-
„ tenderemus, in ſequiorem partem non
„ acciperent nonnulli. Et re quidem ipſa
„ ſic accidit.

„ Nam etſi plerique omnes noſtram
„ editionem accuratam, commodam,
„ ſatisque illuſtratam, denique Auguſti-
„ nia-

„ nianæ doctrinæ omnino conſentaneam
„ eſſe cenſuerint ; eamque his nominibus
„ ſuffragio ſuo comprobaverint : inſurre-
„ xêre tamen contra poſt decem ferè an-
„ nos ab edito ultimo tomo , anonymi
„ quidam cenſores , qui furtivis ſcriptis
„ hanc editionem , & tantùm non fidem
„ noſtram ſuſpectam reddere moliti
„ ſunt.

„ Ejuſmodi ſcriptiunculis in vulgus
„ ſparſis , commune prudentium ferè
„ omnium conſilium fuit, ut leviores id
„ genus libellos aſpernaremur : quippe
„ non decere, ut cum larvis & umbris
„ luctaremur, ne reſpondendo pondus &
„ auctoritatem furtivis illis libellis præ-
„ beremus : neû Eccleſiæ pacem editis ul-
„ tro citroque, ùt fit, ſcriptionibus, per-
„ turbaremus. Hoc conſilium unanimi
„ aſſenſu comprobavêre Præpoſiti noſtri
„ quod tamen minimè impedivit, quo
„ minùs, illis inconſultîs , quidam è no-
„ ſtris novam ſancti Auguſtini editio-
„ nem defendendam , tuendamque pro
„ virili ſuſceperint : ex quibus unus,
„ * qui tum Romæ verſabatur, hujus édi-

 „ tio-

* Bernardus de Montfaucon.

„ tionis Vindicias in alma Urbe, ſub au„ ctoritate ſacri Palatij Magiſtri, Roma„ nis approbantibus vulgavit.

„ Jam eò res devenerat, ut furtivæ „ illæ utrarumque partium velitationes „ in apertum ferè bellum prorumperent, „ cùm Præpoſiti noſtri, mutato demum „ pro rei ſtatu conſilio, eamdem editio„ nem approbata ab ſe publica ſcriptio„ ne, Congregationis noſtræ nomine, ad„ verſus latentes adverſarios palàm pro„ pugnandam cenſuerunt. Jamque pro„ pemodum affecta, typisque parata erat „ hæc ſcriptio, quæ & editionem, & fi„ dem noſtram ab iniqua ſuſpicione & „ criminatione tametſi privati quidam è „ noſtris id jam ſatis præſtiterant, omnino „ vindicaret.

„ Verùm dum id meditaremur, his „ jurgiis interceſſit Ludovici Magni au„ ctoritas, qui, ut Eccleſiæ paci ab ſe con„ ciliatæ indeffeſſa ſollicitudine ſemper „ invigilat, gliſcenti in dies diſſenſioni, „ imperato utrisque partibus ſilentio, „ modum impoſuit; Sicque tanti prin-

„ cipis

„ cipis auctoritate repreſſa eſt ardens illa
„ contentio, quæ ſopitos jam dudum
„ ignes excitatura videbatur. Hanc au-
„ tem redintegrare, cùm longè abeſt à
„ moribus noſtris, tum vetat in primis
„ ſumma noſtra erga Regem, regiaque
„ juſſa obtemperatio: dein Eccleſiæ pa-
„ cis ſtudium altè animis inſitum noſtris;
„ denique caritas adverſus omnes, quos
„ turbulentis ejusmodi concertationibus
„ offendere nobis religio fuerit.

„ Suppreſſis itaque, quæ ad noſtram
„ noſtræque editionis defenſionem ador-
„ natæ erant, commentationibus, ad ob-
„ jecta adverſariorum reſpondere ſuper-
„ ſedimus, ne reſpondendo novas
„ contra mandata Regia lites ſerere vide-
„ remur.

Ita Mabillonius motæ adverſus Blampinum, ejusque in Auguſtiniana editione ſocios controverſiæ hiſtoriam pertexit; qui tamen poſt relata verba communi nomine ait, ne fortè adverſariorum iniquæ criminationes, piorum quorumdam, & benevolorum etiam vi-

rorum animis quoſdam ſcrupulos ingeneraverint; hos paucis verbis curare in animum ſeſe induxiſſe, ratos, id neque regiæ juſſioni, neque Eccleſiæ paci contrarium, immo utrique omnino conſentaneum fore. Etſi enim nihil non catholicè, certè nihil non catholico animo à ſeſe dictum eſſet; malle tamen dare aliquid teneræ ac piæ illorum circa fidem affectioni, quàm ſuperbo faſtidio eorum ſcrupulos diſſimulare. Aliorum verò, ſi qui futuri ſint, qui contentioſo animo rixas denuo redintegrare pergant, dicas & cavillationes deinceps ſe prætermiſſuros, & pro nihilo habituros.

In primis exiſtimant toties repetitam à ſe omnibus & ſingulis profeſſionem, qua Conſtitutionibus ſummorum Pontificum Innocentij X. & Alexandri VII. ſe ſincerè & ex animo adhærere publicè conteſtati ſint, ſuam circa famoſas quinque Propoſitiones fidem ab omni prorſus ſuſpicione debere eximere. Si enim tot argumentis fulta fides in tuto non ſit, nullam fore à ſuſpicione immunem; & ſi cui non ſufficiat tam ſincera profeſſio, nullam aliam,

aliam, quantumvis juratam, quantumvis explicatiorem ſuffecturam eſſe. Has quippe Conſtitutiones & ex primis cum debita reverentia & ſummiſſione excepiſſe in comitiis ſuis generalibus Præpoſitos ſuos, easque ab omnibus & ſingulis, qui in cœtum ſuum admittendi eſſent, ſubſcribi præcepiſſe.

De cetero ultro profitentur, ſe ſincerè adhærere *eccleſiaſticis de Gratia Inſtitutionibus*, quas nuper (ſcribebat hæc Mabillonius anno MDCC. quo nulla inter Clementem XI. ſummum Pontificem, & Noalium Archiepiſcopum Pariſienſem lis aut diſſenſio vigebat) ediderint illuſtriſſimi Archipræſules Carolus-Mauritius le Tellier Remenſis, & Ludovicus-Antonius de Noailles Pariſienſis; quorum ùt dignitatem & auctoritatem venerentur, ita etiam doctrinam ſe ſequi palàm agnoſcant & glorientur.

Dum ſic Romanis Pontificibus, aliisque Eccleſiæ Præſulibus, quas Chriſtus Dominus doctrinæ arbitros & judices conſtituit, demiſſis animis obſequantur; nemi-

nemini obſcurum eſſe debere, ſeſe penitus abhorrere à quibusvis partium ſtudiis, & in edendo Auguſtino ſic in ejus doctrinam intendiſſe animum, ut ejus verba & ſententias ſincerè, ac genuine repreſentarent.

Reddita hoc modo fidei ſuæ ratione, tum Mabillonius ad ea, quæ adverſarij in nova editione improbaverant, & impugnârant, progreditur, obſcuriùs fortè dicta, planius explicat, objecta diluit, ſana propugnat, & vindicat, ne minutioribus quidem prætermiſſis, * „ ut verborum controverſias auferret. Quamquam, inquit, eorum, qui veterum Patrum opera recenſere ſtudent, miſera eſſet conditio, ſi in ipſas etiam Notas eorum marginales, ut contra nos in hac editione actum eſt, impune animadvertere, & in ſingulas earum ſyllabas ad ſeveram immitis cenſuræ trutinam diſcutere quibusvis iniquis cenſoribus liceret. Quotus enim quisque eſt, qui in re tam lubrica & difficili, non aliquando vel leviter cæſpitet; qui ſententiam auctoris ſemper ad apicem „ aſſe-

* S. Aug. de dono perſev. c. 6.

„ aſſequatur, aut perfectè reddat; qui „ denique tam brevi verborum compendio pagellam quandoque integram „ ad amuſſim explicare poſſit?

„ Verùm quantumvis injuſta futura „ ſit quorumdam in nos hominum cenſura, inſtitutum nihilo minùs noſtrum „ Deo favente conſtanter perſequemur: „ & ſi quidem nobis eſſe moleſti pergent illud nobis ſolatio erit, quòd eadem ſors olim contigerit veris Auguſtini diſcipulis, in primis Cæſario Arelatenſi epiſcopo, cujus fides ob prædicatam ſanctiſſimi viri doctrinam à quibusdam obtrectatoribus infamata eſt.

„ Hinc collecta Valentiæ Synodus „ Epiſcoporum, quibus Cæſarius fidem „ ſuam approbavit. Quin etiam Bonifacius Pontifex Romanus, calcata jurgantium *malevola* intentione, proſecutionem ſancti Cæſarij apoſtolica auctoritate firmavit, *ut Cyprianus Tolonenſis Antiſtes in ejus vita tradit.*

„ Quamquam meliùs fortâſſe nobis de hominum æquitate ſperandum „ ſit. Fortè enim, ut verbis Auguſtini

„ uta-

„ utamur, ſi qui aliter ſenſerint, * quando ſecum ipſi paululum ſine certandi ſtudio cogitaverint, quàm ſit abſurdum, nec dignum diſputatione, quod dicunt, continuò ſententiam commutabunt. Quod ſi noluerint, non uſque adeo de humanis ſenſibus deſperandum eſt, ut metuamus, ne hoc cuiquam perſuadeant.

Poſtremò doctiſſimi, & integerrimi Editores, fiducia, certæque victoriæ jam jam conſcientia pleni, ad illuſtriſſimum Gallicanæ Eccleſiæ Clerum ſe convertunt, præfationemque eruditiſſimam perorante Mabillonio hoc epilogo concludunt.

„ Quid jam nobis aliud reſtat poſt „ diuturni ac laborioſi operis optatum „ finem, quàm ut tutelam ac præſidium „ Illuſtriſſimorum Galliæ Antiſtitum demiſſo, ſed alacri tamen animo depo„ ſcamus?

„ Scilicet cùm admirabili divinæ „ Providentiæ conſilio factum ſit, ut ſan„ ctiſſimi Eccleſiæ Doctoris Auguſtini no„ væ operum editioni ſuprema tum à „ nobis imponeretur manus, cùm ad ge„ nera-

* De pecc. merit. n. 22.

„ neralia Comitia ex omnibus Regni partibus unà convenirent ad ſanum ſancti „ Germani: nihil nobis opportunius, „ fortunatiusve contingere potuit, quàm „ ut eos appellaremus qualiscumque laboris noſtri judices & arbitros, qui & „ dignitate ſua conſtitui ſunt à Deo paſtores ad regendam Eccleſiam, & ad Catholicæ doctrinæ Sacro-Sanctum depoſitum vigili cura apoſtolicaque auctoritae tutandum.

„ Atque hoc præcipuè nomine, illuſtriſſimi eccleſiæ Principes, Auguſtinum adducimus ad vos, qui totus quantus eſt, ſub unius veluti tabellæ „ conſpectu oculis veſtris contemplandus objicitur. Neque verò conſpectum veſtrum reformidare poteſt veteris, & avitæ fidei propugnator acerrimus, qui cauſſam Eccleſiæ toties a ſe „ defenſam, majorum quoque veſtrorum præſidiis toties ſuffultam haud ignorat, quam & à vobis, qui ipſorum „ veſtigiis lubenter inſiſtitis, non diſſimili animo atque ſtudio ſperat hodie propugnandum.

„ Hinc

„ Hinc in nobis oritur non dubia
„ ſpes, vos nuper elaboratæ Auguſtinia-
„ norum operum editioni propitios fore;
„ neque veſtrum illius viri lucubrationi-
„ bus defuturum patrocinium, quem
* Specialem fidei patronum *vos univer-
ſi cum beato Proſpero incunctanter ag-
noſcitis.*

„ Nihil hic neceſſe eſt à nobis com-
„ memorari, quanta fuerit olim Gallica-
„ norum cum Romanis Præſulibus con-
„ ſenſio in ſancti viri commendandis
„ operibus. Exſtant tum ſedis Apoſto-
„ licæ Pontificum Innocentij, Cœleſtini
„ & aliorum; tum Gallicanarum Syno-
„ dorum Arauſicanæ, Valentinæ, & alio-
„ rum conſignata litteris monumenta,
„ quibus Hipponenſis Antiſtes & inter
„ optimos Ecleſiæ magiſtros annumera-
„ tur, & tamquam antiquæ fidei cuſtos
„ integerrimus ex omnium communi
„ voce & ſenſu declaratur.

„ Iſthæc æquiſſima veteris Eccle-
„ ſiæ judicia de ſancti Præſulis doctrina
„ & Fide, ut animos addidêre nobis ad
„ immenſi laboris onus ſubeundum, ita
ef-

* S. Proſp. epiſt. ad Auguſt.

„ effecêre, ut ea, qua par erat, religio-
„ ne doctiſſimi Antiſtitis ſcripta adtinge-
„ remus; pia nimirum ſedulitate religio-
„ ſaque cautione opus eſſe rati, ut qua
„ mente, quo conſilio, qua fide pri-
„ mùm profecta eſſent ex ſanctiſſimi
„ Doctoris ore & manu utiliſſima ope-
„ ra, rurſum ederentur à nobis pari fi-
„ de, animo, atque propoſito, in univer-
„ ſalis eccleſiæ decus, commoda atque
„ præſidium.

„ Quis conatuum noſtrorum in
„ tam arduo incepto fuerit ſucceſſus,
„ palam edicere cùm vetat pudor, tum
„ penè univerſorum in Eccleſia ordi-
„ num, in primis veſtrûm omnium be-
„ nigniſſima de illo judicia. His ampliſ-
„ ſimum labori noſtro præmium, certè
„ exſpectatione noſtra & merito noſtro
„ longè majus, non ſine grati ac demiſſi
„ animi tacita ſignificatione experti ſu-
„ mus.

„ Iſtis autem bonarum veſtrarum
„ voluntatum teſtificationibus freti atque
„ confiſi, querimonias obtrectantiũ non-
„ nullorum facilè inſuper habuimus. Id
„ enim nobis certò perſuaſum fuit, na-

„ vacam à noſtris in Auguſtino illuſtran-
„ do operam calculis univerſorum com-
„ probandam, cùm iis placuerit, penes
„ quos iſtarum rerum & judicium, & ar-
„ bitrium eſſe univerſi confitentur.

„ Neque verò exſpectatio iſta nos
„ fefellit. Novum ecce & ingens operi
„ noſtro præſidium accedit ex nupera
„ per Apoſtolicam ſedem damnatione,
„ libellorum, quibus invidia gravare nos
„ moliebantur haud æqui laborum ac fi-
„ dei noſtræ æſtimatores. Palmarium
„ adverſùs iſtos defenſionis noſtræ incre-
„ mentum afferet Auguſtiſſimi Cœtus
„ veſtri auctoritas & ſuffragium: atque
„ hanc communis veſtræ ſententiæ atque
„ judicij ſignificationem eò impenſiùs
„ liberiusque depoſcimus, quo totum
„ hoc vigiliarum noſtrarum opus ſub
„ Ludovici Magni auſpiciis, Regioque in-
„ ſignitum nomine publicam in lucem
„ emiſimus.

„ Quòd ſi religioſiſſimi Principis in
„ recognoſcendo iſto munere benignita-
„ ti & humanitati addideritis commen-
„ dationis veſtræ pondus, erit omni præ-
„ ſidij genere vallatum opus, quod nec
ulla

„ ulla delebit ætas, nulla laceſſere in po-
„ ſterum audebit manus atque proter-
„ via: pro quo inſigni favore atque be-
„ nefacto, Clariſſimi ſanctæ Religionis
„ Antiſtites, & vobis ſingulis, & uni-
„ verſo ſacro-ſancto Ordini veſtro actu-
„ ri, atque habituri ſumus immortales
„ gratias. Hucusque pro doctiſſimo Thoma Blampino, editionis Auguſtinianæ Moderatore, reliquisque laborum ſociis Mabillonius, quibus ad univerſi operis, natarumque exinde controverſiarum notitiam nihil modeſtiùs, verius, aut elegantius ſcribi poterat. De vita exivit Blampinus in inclyto Floriacenſi Monaſterio Idibus Februarij anno milleſimo, ſeptingenteſimo, decimo, cum paulo ante in Remenſi ſancti Remigij Archimonaſterio Prioris munus cum laude obiiſſet.

Opera.

Sancti Aurelij Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi opera omnia poſt Lovanienſium Theologorum recenſionem, caſtigata denuo ad manuſcriptos codices Gallica-

 nos,

nos, Vaticanos, Anglicanos, Belgicos &c. nec non ad editiones antiquiores, & caſtigatiores. fol. Pariſiis typis Franciſci Muguet, Tomi XI. quorum annos & ordinem ſic ſignat exemplar, quo hic uſi fuimus.

Tomus I. anno 1689. *re vera* 1679.
Tomus II. 1688.
Tom. III. Pars prima 1689.
Pars ſecunda 1690.
Tomus IV. 1691.
Tom. V. Pars I. 1683.
Pars II. 1683.
Tomus VI. 1685.
Tomns VII. 1685.
Tomus VIII. 1694.
Tomus IX. 1694.
Tomus X. 1696.

Tomus XI. in quo ſancti Auguſtini Vita ex ejus potiſſimum ſcriptis concinnata, nec non Indices generales tum in Opera ſancti Doctoris, tum in alia, quæ in appendices rejecta ſunt; Index quoque Alphabeticus operum S. Auguſtini; diſtributio nova eorumdem operum comparata cum editione Lovanienſi; Nonnulla de-

denique addenda & corrigenda. *Ibidem* 1700.

Præfationem Generalem Mabillonij eſſe, ſupra ex Cl. Pinio monuimus. Eidem Epiſtolam totius operis nuncupatoriam ad Ludovicum XIV, eſt, qui tribuat, addatque, Regi maximo fuiſſe oblatam idiomate Francico, in quod illam Ludovicus Bultellus antea converterit; quam narratiunculam in medio relinquimus.

Editio hæc in Belgio typis repetita fuit *Tomis Duodecim*, quorum ultimus inſcribitur *Appendix Auguſtiniana, in qua ſunt ſancti Proſperi carmen de ingratis cum notis Lovanienſis Theologi, Joannis Garnerij S. J. Diſſertationes pertinentes ad hiſtoriam Pelagianam, Pelagij Britanni Commentarij in Epiſtolas S. Pauli, ac denique Deſiderij Eraſmi, Jo. Ludov. Vivis, Jacobi Sirmondi, Henrici Noriſij, Joannis Phereponi & aliorum præfationes, cenſuræ, notæ, & animadverſiones in omnia Auguſtini opera. Antverpiæ apud Petrum Mortier* 1703.

CAPUT XL.

D. Gabriel Gerberon.

Ob. 1711.

GAbrielis Gerberonij maxima vitæ pars tragœdia, & inimicæ Fortunæ ludibrium fuit. Is exortus apud ſancti Carilephi oppidum in Diœceſi Cenomannenſi, monaſticorum votorum profeſſionem fecit in Redonenſi ſancti Melanij monaſterio Tertio Idus Novembris anno milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo nono, annum ætatis agitans primum & vigeſimum. Poſtea ob virtutis, & doctrinæ, quam ingenij acumine, perpeti labore, ac perveſtigatione ſibi pepererat, opinionem in Corbejenſi Divi Petri Cœnobio etiam Supprioris mumeri præfectus eſt. Jamque non ſuis modò ſed & univerſis Franciæ eruditis viris complura profundæ eruditionis, præſertim Theologicæ, ac Hiſtoricæ ſpecimina publicè ediderat; cùm à turbulentis quibusdam hominibus, clariſſimum Viri nomen, apud Chriſtianiſſimum Regem in doctrinæ minùs ſinceræ ſu-

ſuſpicione ponitur. Itaque anno milleſimo, ſexcenteſimo, octogeſimo tertio, ut regiorum ſatellitum ad ſe comprehendendum emiſſorum manibus ſubduceret ſe, ſolum annuente loci Priore vertit, ac in Bataviam conceſſit. Hinc cùm pluſculis annis moratus eſſet, nec â litterarum ſtudio quidquam remiſiſſet, tandem Bruxellis juſſu Mechlinienſis Archiepiſcopi, Humberti Guilielmi à Precipiano, ſibi dudum infenſi, captus, in tetrum carcerem conjectus eſt anno milleſimo, ſeptingenteſimo tertio. Inde Gerberonius, cùm ab Archiepiſcopi tribunali, ad quod non ſervata juris via & ordine damnatus fuerat, Romanum Pontificem appellâſſet, ne appellationem perſequi liceret, primùm anno milleſimo, ſeptingenteſimo quarto ad arcem Ambianenſem, deinde poſt triennium ad caſtrum Vicennarum propè Pariſios transvectus, arctiſſiméque concluſus fuit uſque ad annum milleſimum, ſeptingenteſimum decimum, quo tandem ſuis ſodalibus redditus, Senio & morbo confectus, ac paralyticus, miſſus eſt in Dionyſianum propè Pariſios monaſterium, unde niſi mortuus emerſit nunquam. Ani-

mam edidit Vir ingenio, & calamitate magnus Quarto Calendas Aprilis anno milleſimo, ſeptingenteſimo, undecimo.

Opera.

A*Pologia pro Ruperto Tuitienſi.* 8. *Pariſijs apud Carolum Saureux* 1669.

Marij Mercatoris Acta cum notis, ſub nomine Germani Rigberij 24. *Bruxellis* 1673.

S. Anſelmi Cantuarienſis Epiſcopi opera omnia; nec non Eadmeri monachi hiſtoria novorum, & alia opuſcula. fol. Pariſijs 1675. - - -

Examen general de tous les etats, & conditions, & des pechez, que l' on y peut commettre. i. e. *Examen generale omnium ſtatuum, & conditionis cujuscunque hominum, ac peccatorum, quæ in ijs committi poſſunt.* 12. *Vol.* duo. *Pariſijs* 1676.

Hiſtoire de la Robe ſans couture de notre Seigneur, qui eſt gardée dans le monaſtere d' Argenteüil, avec un abregé de l' hiſtoire de ce monaſtere. i. e. *Hiſtoria de Veſte Domini N. J. C. inconſutili, quæ ſer-*

va-

vatur in monaſterio Argentevilano, cum brevi chronico ejusdem loci. 12. *Pariſijs* 1677.

Le Miroir de la pieté Chretienne, ou l'on conſidere avec des reflexions morales l'enchainement des verités Catholiques de la prædeſtination, & de la grace de Dieu, & leur alliance avec la liberté de la creature. i. e. *Speculum Chriſtianæ pietatis, in quo moralibus conſiderationibus ſeries, & connexio Catholicarum veritatum de Prædeſtinatione, & Gratia Divina, ac harum utrarumque cum libertate creaturæ expenditur.* 12. *Leodij* 1677. - - -

Atque hæc ſunt, quæ Gerberonius, dum in Congregatione S. Mauri ageret, certè, ac indubitaté ſcripſit, aut edidit. Cæterùm in Froceſſu Officij Fiſcalis Curiæ Eccleſiaſticæ Mechlinienſis contra Domnum Gabrielem Gerberon, Bruxellis an. 1705. 4. typis viduæ Petri de Velde excuſo, ei etiam alia plurima tribuuntur, quâ fide? expendet Lector.

CAPUT XLI.

D. Franciſcus Lamy.

Ob. 1711.

FRanciſcus Lamyus Montyrello (vulgò *Montyreau*) ex Carnotenſis Diœceſis vico profectus, Ordini ſancti Benedicti fidem ſuam ſolemni ritu obligavit in Remenſi ſancti Remigij Monaſterio Pridie Calendas Julij anno milleſimo, ſexcenteſimo, quinquageſimo nono, ætatis trigeſimo tertio. Nobili genere natus, antequam ſuavi Chriſti jugo colla ſubderet, in Ludovici XIV. caſtris ſtipendia fecit. Factus Cenobita ſe totum in Dei, naturæque contemplationem abdidit, luculentam difficillimarum, ac maximè reconditarum rerum cognitionem conſecuturus. Perpetuo meditandi ſtudio acceſſit ingenium perquam elegans, oratio terſa, ac perpolita, mores candidi ac probi, quibus effecit; ut ab omnibus piis ac doctis ſubtiliſſimi, Philoſophi & integerrimi Cœnobitæ loco haberetur. Plura litteris commendavit & edidit ſermone pa-

patrio, Latino nihil, ſuntque Franciſci pleraque vel Philoſophica, vel Philoſophicis intertexta. E cuſtodia corporis evolavit in ſancti Dionyſij monaſterio Tertio Idus Aprilis anno milleſimo, ſeptingenteſimo undecimo.

Opera.

P*Araphraſe ſur les paroles de la Profeſſion religieuſe, ſelon la Regle de S. Benoiſt :* Suſcipe me Domine ſecundum eloquium tuum, & vivam &c. i. e. *Paraphraſis in hæc verba, quæ in religioſa profeſſione ſecundum Regulam S. Benedicti adhibentur :* Suſcipe me Domine ſecundum eloquium &c. 24. *Pariſijs* 1687. - - -

Conjectures phyſiques ſur deux colomnes de nüée, qui ont paru depuis quelques années, & ſur les plus extraordinaires effets du tonnerre, avec une explication de ce qui s'eſt dit jusques ici des Trombes de mer. i. e. *Conjecturæ phyſicæ de duabus columnis nubium, quæ ab aliquibus annis apparuerunt, & de rariſſimis effectibus tonitrui. Acceſſit explicatio eorum*

rum, quæ hactenus de Tubis marinis diſputata ſunt. 12. *Pariſijs* 1689.

Verité evidente de la Religion Chretienne, ou, Elite de ſes preuves, & de celles de ſa liaiſon avec la divinite de Jeſus-Chriſt. i. e. *Religionis Chriſtianæ veritas evidenter demonſtrata &c.* 12. *Pariſijs* 1694.

Le nouvel Atheiſme renversè, ou refutation du ſyſteme de Spinoſa. i. e. *Novus Atheiſmus ſubverſus, ſeu refutatio ſyſtematis Spinoziani.* 12. *Pariſijs* 1696. *Du Pin : 1695.

Des Sentimens de pieté ſur la profeſſion Religieuſe. i. e. *conſiderationes Aſceticæ, ac piæ cogitationes de profeſſione religioſa.* . . *Pariſijs* 1697. *ex fide Pinij.*

De la Connoiſſance de ſoi même. i. e. *De Cognitione ſui ipſius.* 12. *Pariſiis* 1699. *ſex volum.*

Lettres du R.P. Lamy Religieux Benedictin, pour repondre a la critique du R. P. Mallebranche, Preſtre de l' Oratoire, ſur les trois derniers eclairciſſemens de la connoiſſance de ſoi même,

* Nov. Biblioth, T. 19. p. 322.

me, touchant l'amour deſintereſſé. i. e. *R.* P. *Franciſci Lamy Epiſtolæ, quibus ad R.* P. *Mallebranchij, Oratorij* Presbyteri *cenſuram reſpondetur, ac defenditur id, quod in Opere de Cognitione ſui, de amore Dei puro & indifferenti, ex Mallebranchio allatum eſt.* 12. Pariſiis 1699.

Lettre d'un Theologien a un de ſes amis, ſur un libelle, qui a pour titre: Lettre de l'Abbè * * * aux RR. PP. Benedictins de la Congregation de S. Maur, ſur le dernier tome de leur edition de S. Auguſtin. i. e. *Epiſtola cujusdam Theologi ad amicum de quodam libello, cujus titulus:* epiſtola Abbatis * * * ad RR. PP. Benedictinos Congregationis ſancti Mauri de ultimo tomo Operum S. Auguſtini ab eisdem editorum. 12. 1699.

P*lainte de l'Apologiſte des Benedictins à Meſſeigneurs les* Prelats *de* France. i. e. *Vindicis Benedictinorum querela ad* Prælatos *Franciæ* 8. 1699....

Les Leçons de la Sageſſe ſur engagement au ſervice de Dieu. i. e. *Documen-*

menta Sapientiæ de mancipatu in ſervitium Dei 12. *Pariſiis* 1703.

Lettres Philoſophiques *ſur divers ſujets importans.* i. e. *Epiſtolæ philoſophicæ de diverſis magni momenti rebus.* 12. *ibid.* 1703.

La Rhetorique de College trahie par ſon Apologiſte dans ſon traité de la veritable eloquence, contre celui de la connoiſſance de ſoi même. i. e. *Rhetorica Gymnaſiis Mazariniani prodita â ſuo Vindice in tractatu de vera eloquentia, edito adverſus opus de cognitione ſui ipſius.* 12. *Pariſiis* 1704.

Les premiers elemens des ſciences. i. e. *prima Scientiarum elementa.* 12. *Pariſiis* 1706.

Lettres Theologiques & morales ſur quelques ſujets importans. i. e. *Epiſtolæ Theologicæ ac morales de quibusdam gravioris momenti rebus.* 12. *ibid.* 1708.

L'Incredule amené a la religion par la raiſon. i. e. *Incredulus ratione ad religionem adductus.* 12. *ibid.* 1710.

BIBLIO-

[illegible] 237

Digitized by Google

283

BIBLIOTHECÆ BENEDICTINO-MAURIANÆ

Liber II.

Complectitur Scriptores, qui hodiéque in Congregatione S. MAURI florent.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAPUT I.

D. Simon Bougis.

SImon Bugiſius, ortu Sagienſis ad vovenda ſolemnia Ordinis Benedictini vota in monaſterio Vindocinenſi admiſſus eſt Pridie Nonas Julij anno Chriſti milleſimo, ſexcenteſimo, quinquageſimo primo, ætatis ſuæ altero & vigeſimo. Cùmque prudentia, & agendi dexteritate polleret, primùm Admodum Reverendo Patri D. Vincentio Marſolles, Congregationis ſancti Mauri Superiori Generali à ſecretis, & epiſtolis, deinde poſt AA. RR. DD. Benedictum Brachet, & Claudium Boiſtard in eodem ſacro magiſtratu etiam ſuffectus fuit. Studia litterarum ſemper egregiè fovit, & dum per ætatem licuit, ipſe perdiligenter excoluit, veteres etiam codices inter ſe conferre, * variantesque

T 2 illo-

* Oper. Caſſiod. præf. p. VIII.

illorum lectiones cum ſuis eruditis ſodalibus communicare ſolitus. Nunc omnibus honoribus & muneribus, quibus ſumma cum laude perfunctus eſt, depoſitis, vitam privatam agitat in Monaſterio ſancti Germani à pratis.

Opera.

MEdidations *ſur la vie purgative, & ſur les myſteres de l' avent, de la Paſſion, & de la Reſurrection de noſtre Signeur.* i. e. *Meditationes de vita purgativa, & de myſterijs Adventûs, Paſſionis & Reſurrectionis Domini noſtri JEſu Chriſti - - Pariſijs* 1674. Haud ſcio, an âb hoc opere diverſum ſit id quod ſequitur:

Meditations pour les Novices, & les Jeunes Profés, & pour toutes ſortes de Perſonnes, qui ſont encore dans la vie purgative Par Dom Simon Bougis. i. e. *Meditat ones ſacræ pro Novitijs, & Junioribus profeſſis, ac omnibus, qui adhuc in via & vita purgativa verſantur.* 4. *mai.* Pariſijs *apud* Petrum *de Bats.* 1684.

CAPUT II.

D. *Robertus Guerard.*

RObertus Guerardus inter homines eſſe cœpit Rotomagi anno receptæ ſalutis milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo, primo. In Benedictinorum è Congregatione ſancti Mauri Sodalium numerum ſolemni voto adſcriptus eſt Gemmetici Nono Calendas Octobris anno milleſimo, ſexcenteſimo, quinquageſimo nono. Is ab anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſeptuageſimo primo uſque ad milleſimum, ſexcenteſimum ſeptuageſimum quintum ad recenſenda, & perpurganda ſancti Auguſtini opera ſummo cum ſtudio Franciſco Delfavio præſto fuit, ſocius deinceps non minùs calamitatis, quàm laboris. Nam fulmine, quod Delfavius *Abbate Commendatario* foras dato in caput acciverat, Robertus quoque afflatus, aliquot annorum exilio in monaſterio ſanctæ Mariæ de Amburnago multatus eſt. Neque tamen cœpta ſemel illuſtrandi Auguſtini conſilia

tum penitùs abiecit, ſed perluſtratis Lugdunenſibus, Genevenſibusque, quæ propinquiores erant, Bibliothecis, maximam antiquorum Codicum, variarumque lectionum vim collegit, quibus poſtea mirum quantum lucis, ſummi illius Doctoris libris, præſertim operi Imperfecto adverſus Julianum affuſum fuit. A morte Delfavij Robertus de exilio revocatus: & tranquillè vivere in quodam Rotomagenſis Diœceſis monaſterio permiſſus eſt, ubi ſeptuagenario nunc major felicem vitæ terminum opperitur.

Opera.

A*Bregé de la ſainte Bible en forme de queſtions & reponſes familieres* i. e. *Compendium Sacrorum Bibliorum, interrogationibus, & reſponſionibus familiaribus conſtans.* 12. *Rotomagi* 1708,

CAPUT III.

D. Michael Gourdin.

MIchäelem Gurdinum, Monſtrolium, Diœceſis Ambianenſis oppidum in

lucem

lucem edidit anno milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo primo. Mundi curas cum veſte à ſe abiecit anno milleſimo, ſexcenteſimo quinquageſimo nono, proximoque Benedictinum inſtitutum ſolemniter vovit Quinto Nonas Maias in ſancti Faronis Monaſterio Meldenſi. Adhuc ſupereſt ſeptuagenario major.

Opera.

Illuſtriſſimi Principis D. D. Guillelmi Egonis Landgravij Furſtembergij, ſereniſſimi Archiepiſcopi Electoris Colonienſis Legati, violenta, abductio, & injuſta detentio. 12. *Antverpiæ* 1674.

CAPUT IV.

D. Leonardus de Maſſiot.

Leonardus de Maſſiot in Ordinem ſancti Benedicti, factis ſolemnibus promiſſis, in Claromontenſi ſancti Illidij cœnobio, cooptatus fuit Tertio Idus Octobris anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſexageſimo ſecundo, ætatis actæ decimo nono. Is

luce, quæ Viro doctiſſimo in Nobiliacenſi S. Leonardi vico, Diœceſis Lemovicenſis primùm obtigit, hodieque fruitur.

Opera.

T*Raité du Sacerdoce, & du Sacrifice de JEſus-Chriſt.* i. e. *Tractatus de Sacerdotio, & Sacrificio Domini Noſtri JEſu Chriſt.* 8. *Pictavij* 1708. - -

CAPUT V.

D. Claudius David.

CLaudius David, genere Burgundus, Divione natus anno milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo quarto, Benedictinorum albo inſertus eſt anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſexageſimo tertio, quo Vindocini Decimo Septimo Calendas Septembris ſecundum reformatam Congregationis ſancti Mauri diſciplinam & morem victurum ſe ſolemniter ſpopondit. Studijs criticis non vulgariter eruditus eſt, nuncque reliquum, quod datum eſt vitæ, tranquillè, placidéque traducit.

Ope-

Digitized by Google

Opera.

Diſſertation ſur les ecrits de S. Denis l'Areopagite, ou l'on fait voir, que ce ſaint eſt l'autheur des ouvrages, qui portent ſon nom. i. e. *Diſſertatio de ſcriptis ſancti Dionyſij Areopagitæ, in qua demonſtratur, eum eſſe autorem operum, quibus nomen S. Dioniſij Areop. præfigitur.* 8. *Pariſiis* 1702. . . .

CAPUT VI.

D. Nicolaus Le Nourry.

Nicolaus Nurrius, Deppa, ſeu Dieppa, è celebri Nortmanniæ portu, Diœceſis Rotomagenſis ortum ducit, atque eruditiſſimis Congregationis ſancti Mauri Patribus ſolemni votorum ſponſione acceſſionem attulit Gemmetici Octavo Idus Julij anno milleſimo, ſexcenteſimo ſexageſimo quinto, jam indeptus annum ætatis octavum decimum. Eum nunc eruditiores quique homines tanquam Virum eccleſiaſticæ eruditionis laude

longè maximè conſpicuum venerantur. Neque id ſanè citra Nicolai meritum. Præter ſtudium enim in Garetij Caſſiodoro collocatum octo annorum laborem, quo Domno Jacobo du Friſche in adornanda Operum ſancti Ambroſij nova editione plurimum commodavit, doctiſſimo ſuo in Bibliothecam Maximam ſanctorum Patrum Apparatu univerſam Rempublicam Litterariam ſic ſibi devinxit, út qui maximé. Porrò non injucundum fore arbitror hujus eruditiſſimi Operis occaſionem, argumentum, tractandi modum, & id genus alia, ipſius Nicolai verbis enarrare; ex ijs enim quisque facilè cognoſcet, quid ab Nurrio adhuc præſtitum, quid denique ſperandum ſit. In hunc igitur modum ad lectorem præfatur:

„ Rationes tibi pie, & erudite Le-
„ ctor, olim reddidimus, quibus viri
„ doctrina & eruditione præſtantes, no-
„ bis, aliorum quoque eruditorum im-
„ pulſu de adornanda nova Patrum Bi-
„ bliotheca ſeriò cogitantibus hunc ad
„ eam Apparatum præmittendum eſſe
„ perſuaſerunt. Ad illum autem citiùs
„ pu-

„ publicandum nos eo potiſſimum urgebant argumento, quòd in omnibus „ Patrum Bibliothecis nullum planè, „ aut certè vix ullum cujusvis Scriptoris „ verum, genuinumque Opus à falſo, & „ adulterino diſtinguatur, nullum prorſus ad certas criterij leges ſit examinatum, ac nulla tandem, aut pauciſſima, „ quantumvis obſcura & difficilia cujuslibet Auctoris loca ab ullo umquam „ explicata enodataque fuerint. Quapropter quia plurimi, qui Patrum Bibliothecas pervolvere ſolent, ſæpiùs in errorem inde induci poterant; idcirco „ docti illi homines communi eorum „ utilitati conſultum eſſe volentes, jure „ prorſus haud immerito contendebant „ ea omnia, quæ jam à longo tempore „ in omnibus Patrum Bibliothecis deſiderabantur, hoc Apparatu noſtro eſſe „ ſupplenda.

„ Atque ut acriores ſtimulos nobis „ admoverent, addebant eos, qui Lugdunenſi Patrum Bibliothecæ præpoſiti „ fuerant, ſummam hujusce Apparatus „ neceſſitatem probè quidem agnoviſſe,

„ atque

„ atque ſuam ideò obligaviſſe fidem, fo„ re aliquando, ut eum publicam emit„ terent in lucem. Verùm quando„ quidem hi nimio haud dubiè labore, „ maximisque difficultatibus ab eo ope„ re deterriti, tam ſolemnibus promiſſis „ non ſteterant; inde illi, ex quorum „ pendebamus arbitrio, hunc Appara„ tum à nobis, priusquam accuratiori „ Patrum Bibliothecæ operam dare„ mus, abſolvendum eſſe cenſuerunt.

„ His itaque rationibus victi peni„ tus & expugnati, ac nequidquam viri„ um noſtrarum imbecillitatem excu„ ſantes, ad graviſſimum illud onus ſub„ eundum ab iis compulſi & coacti ſu„ mus, quorum imperio & voluntati „ non parere fas nobis numquam „ fuit.

„ In hoc igitur Apparatu noſtro „ omnia veterum Eccleſiæ Patrum, & „ antiquorum Eccleſiaſticorum Scripto„ rum Opera, quæ in maxima Lugdu„ nenſi Bibliotheca typis impreſſa ſunt, „ ad ſeveriores criticorum regulas ſin„ gulatim examinare ſuſcipimus. Pri-

„ mùm

„ mùm verò ea, quæ ad omnes cujus-
„ que ſæculi ſcriptores generatim perti-
„ nent, expendimus, palamque facimus,
„ quod fuerit eorum ingenium, quæ
„ ſtudia, quæ occupationes, quæ ſcriben-
„ di occaſiones, quos Eccleſiæ inimicos:
„ ac potiſſimùm hæreticos impugnave-
„ rint, & debellârint, ac quæ fuerint eo-
„ rum, cæterorumque Chriſtianorum
„ Scholæ, & gymnaſia, quidve in eis do-
„ ceretur.

„ Deinde verò claram, pro virili
„ parte noſtra, exhibemus cujuscumque
„ lucubrationis analyſim. Tum inveſti-
„ gamus, an genuinum, aut adulterinum
„ ſit illius, cui adſcribitur, auctoris opus,
„ qui adhuc ſuperſint manuſcripti ejus
„ codices, ac quando, ubi & quoties ty-
„ pis ſive græcis, ſive latinis editum
„ fuerit.

„ Poſt hæc autem novis animad-
„ verſionibus & notis omnia difficilia,
„ ſalebroſa, ac notatu magis digna ejus-
„ dem commendationis loca, ordine,
„ quo poſſumus, dilucidiori enucleare,
„ explanare, & confirmare conamur. Ab
„ his verò, quæ ad ſacram ſpectant Scrip-
tu-

„ turam, ordimur, atque ibi inquiri-
„ mus, quid hujuſce lucubrationis au-
„ ctor de veteris, novique teſtamenti
„ ſcriptoribus, divinoque illorum adflatu
„ ſtatuat; quos libros in ſacro ponat cano-
„ ne, vel ab eo excludat; quo ſacræ ſcriptu-
„ ræ in loco teſtimonia ab eodẽ auctore ci-
„ tata nec ab alijs indicata occurrãt; quan-
„ tumve à ſacro textu diſſideant; atque
„ ea demum, tametſi pauca ſint, ſedulò
„ notamus, quæ nec ab alijs, nec à
„ nobis in eodem ſacro Scripturæ textu
„ potuerunt hactenus reperiri.

„ De Laudatis quoque ab auctore
„ noſtro virorum Apoſtolicorum: & alio-
„ rum deinceps Scriptorum Operibus, de
„ divinis & humanis, ſive ſcriptis, ſive non
„ ſcriptis traditionibus, ac de veræ Eccle-
„ ſiæ, ſacrum traditionis depoſitum cu-
„ ſtodientis, characteribus, & notis di-
„ ſputamus.

„ Gradum inde facimus ad theo-
„ logica dogmata, atque in ijs ſingillatim
„ enucleandis & vindicandis ordinem,
„ prout fieri poteſt, ſequimur à S. Tho-
„ ma, & alijs Theologis ſcholaſticis con-
„ ſtitutum. Tum ſubinde memorata

pan-

„ pandimus Chriſtianorum inſtituta, vir„ tutes, mores, conſuetudines, uſus, abu„ ſus, ac varios ſpiritualis & myſticæ, ut „ aiunt, eorum vitæ ad ſummum uſque „ perfectionis apicem progreſſus. De il„ lorum quoque conſtanti & publica co„ ram tyrannis Chriſtianæ fidei confeſſio„ ne, ſeu martyrio, & martyribus, quæ „ obſcuriùs dicta ſunt, excutere non omit„ timus. Denique de erroribus, & hære„ ticis, quorum mentio facta eſt, ſic diſſe„ rimus; ut quidquid in eorum, ſicut „ aliorum omnium commemoratione „ occulti, & abſtruſi occurrat, illum pro „ ingenij noſtri viribus retegere, & pla„ num cuilibet facere adnitamur.

„ Quibus quidem ita explicatis, ad „ eorum tranſimus expoſitionem, quæ à „ Scriptore noſtro de Ethnicorum reli„ gione, ac impio idolorum cultu litteris, „ ac memoriæ mandata legimus. Cona„ mur itaque ſingula quæque patefacere, „ quæ ab illo de idololatriæ origine, de „ falſis, fictiſque tam dijs, quam deabus, „ de illorum templis, aris, ſimulacris, ſta„ tuis, imaginibus, myſterijs, ſacrificijs, ora-

„ oraculis, alijsque nefarijs ſuperſtitioni- „ bus implicatiùs ſcripta ſunt.

„ Ad res philoſophicas dehinc acce- „ dentes, manifeſtum utique facimus, „ quid ab auctore noſtro de philoſophiæ „ utilitate, & neceſſitate, quid de philo- „ ſophorum ex ſacra Scriptura furtis, at- „ que expilationibus, quid de illorum „ patria, ætate, varijsque ſectis & opinio- „ nibus, quid de mulieribus etiam philo- „ ſophis, quid de barbaris, qui ante Græ- „ cos philoſophati ſunt, quid de ſeptem „ Græciæ ſapientibus, ipſorumque & alio- „ rum ſententijs, effatis, philoſophandi „ ratione, ac de ethnicis legislatoribus, & „ vatibus ſtatutum, traditumque fuerit.

„ Poſtea verò cùm de eodem Scrip- „ tore ad artium, ſcientiarum, & aliarum „ rerum inventores, venimus, inveſtiga- „ musque, quid ab unoquoque inventum „ dicatur, ac qui de rerum inventoribus „ ſcripſerint. Nec minùs enucleatè de- „ monſtramus, quinam magiſtri diſcipu- „ los ſibi fecerint ſimiles. Pari quoque „ modo mutua græcorum furta retegi- „ mus, atque ibi diligenter perſcrutamur,

„ qui-

„ quinam integra ſib falsò adtribuerint
„ aliorum Opera, libros, & commenta-
„ tiones.

„ Ad ipſasmet poſtmòdum Artes,
„ diſciplinas, & ſcientias progredimur, ac
„ eodem modo ponderamus, qüid ab
„ auctore noſtro de varijs gentium diale-
„ ctis, de humana, belluinaque cognitio-
„ ne, de vera, falſave opinione, de de-
„ monſtratione, ſcientia, Sapientia, pru-
„ dentia, grammatica, Dialectica, Arith-
„ metica & numeris; de Muſica, Geome-
„ tria, Architectura, Nautica, atque Aſtro-
„ nomia, alijsque diſciplinis poſteritati ſit
„ proditum.

„ Inde procedimus ad indagandos
„ paganorum mores, & exploranda ſin-
„ gularia quædam, & præclara nonnul-
„ lorum populorum, hominum, mulie-
„ rumque facinora. Neque ea ſine ali-
„ qua obſervatione prætermittimus, quæ
„ de quibusdam Poëtrijs & Poëtricibus,
„ ac de quibuslibet Scriptoribus, ſive Ora-
„ toribus, ſive Hiſtoricis, ſive Poëtis, at-
„ que alijs Auctor noſter obſervanda eſſe
„ judicavit.

„ Denique de amiſſis diſſerimus ejus
„ Operibus, & de ijs, quæ ille ſcripturum
„ ſe eſſe promiſerat, vel falſo illius nomi-
„ ne circumferuntur. Aliquam verò ſi
„ exhibeat, chronographiam, eâ cum alijs
„ accuratioribus compoſita, finem disqui-
„ ſitionibus noſtris imponimus.

Hic univerſi Operis Nurriani conſpectus, hæc ſtructura eſt, cui cum dignitate ac laude ſuſtinendæ nemo par fuerit, niſi qui univerſam propemodum Antiquitatem, omniumque gentium ſtudia, linguas, mores, aliaque infinita animo comprehenderit. Suſtinuit tamen Nicolaus, ſuſtinebitque, dum Deus vitam, quam longiſſimam exoptant eruditi omnes, produxerit.

Opera.

SAncti Ambroſij Mediolanenſis Epiſcopi Opera omnia, ad manuſcriptos codices Vaticanos, Gallicanos, Belgicos &c. nec non ad editiones veteres emendata. fol. volum. duo. Tomus prior prodijt Pariſijs typis & ſumtibus Johannis Baptiſtæ Coignard 1686. *Poſterior verò ibidem apud*

apud eundem anno 1690. Opus hoc partitis cum Domno Jacobo du Friſche operîs Nicolaus vulgavit.

Apparatus ad Bibliothecam Maximam veterum Patrum & antiquorum Scriptorum Lugduni editam. In quo quidquid ad eorum ſcripta & doctrinam, variosque ſcribendi, & docendi modos pertinet, Diſſertationibus Criticis examinatur, & illuſtratur. Tomus I. de Scriptoribus primi & ſecundi Eccleſiæ ſæculi, ac de omnibus Clementis Alexandrini Operibus. fol. Pariſiis apud Joannem Aniſſon 1703. Columna 1339. exſtat Admonitio in Chronographiam Clementis Alexandrini, quam his verbis finit: *cæterum ſi quid in hoc noſtro haud parùm moleſtò, laborioſoque Opere tibi arriſerit, ſcias velim illud non tam nobis, quàm ſodali noſtro Johanni Liron, ad alia ſtudia, de quibus rationē aliquando reddemus: jamjam properanti eſſe tribuendum.* Apparatus hic primùm editus fuit *in* 8. *Pariſiis apud memoratum Joannem Aniſſonium, duobus Tomis diſtinctus, & quidem prior anno* 1694. *poſterior anno* 1697. Deinceps omnes ſequentes Tomi in for-

ma majori, ſeu in folio excudentur. Se-cundus ſub prœlo nunc ſudat.

Lucij Cecilij Liber ad donatum Confeſſorem de mortibus perſecutorum, hactenus Lactantio adſcriptus, ad Colbertinum codicem denuo emendatus. Acceſſit Diſſertatio, in qua de hujus libri Autore diſputatur, & omnia illius loca dubia illuſtrantur. 8. *maj.* Pariſiis, *apud Johan. Baptiſtam Deleſpine.* 1710.

CAPUT VII.

D. Johannes Paulus du Sault.

JOhannes Paulus du Sault, Vir operibus pietate, ac ſacra eruditione plenis inter ſuos celebris, apud Fanum ſancti Severi in Capite, ut ajunt, Vaſconiæ, diœceſis Adurenſis exortus eſt anno milleſimo, ſexcenteſimo, quinquageſimo. Solemnia Ordinis Benedictini vota edidit in monaſterio beatæ Mariæ Deauratæ apud Toloſates Duodecimo Calendas Junij anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſexageſi-

geſimo ſeptimo. Ei hactenus divina Benignitas hoc vitæ munus ſalvum eſſe voluit.

Opera.

Entretiens avec J. C. dans le tres S. Sacrement de l' autel.* i. e. *Sacra Colloquia cum Domino noſtro JEſu Chriſto in ſanctiſſimo Sacramento Altaris* 12. *Toloſæ* 1701. *volum. Quinque.*

Avis & Reflexions ſur les devoirs de l' etat religieux. i. e. *Conſilia, & Conſiderationes de Officiis ſtatûs religioſi... Ibid.* 1706. *volum. Duo.*

CAPUT VIII.

D. Johannes Martianay.

JOhannes Martianæus, Vir Græcè, ac Hebraicè longè doctiſſimus, è Vaſconibus eſt. Initium vivendi apud ſancti Severi oppidum in Diœceſi Adurenſi cœpit anno milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo ſeptimo. Ordinem ſancti Benedicti delegit, in eoque ſolemnibus vo-

tis defunctus eſt in Toloſano beatæ Mariæ Deauratæ monaſterio ipſis Nonis Auguſti anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſexageſimo octavo, â quo tempore ſacras litteras, ſanctorumque Patrum monumenta, & commentarios de manibus nunquam depoſuit. Cùm propè innumeras Aquitaniæ, Occitaniæ, Nortmanniæ, reliquæque Franciæ Bibliothecas perluſtrâſſet, eoque in labore * *triginta ipſos annos* collocâſſet, in hominem Antiquitatum Eccleſiaſticarum, Scriptorum, Codicumque veterum litteratiſſimè peritum evaſit. Divinas Litteras ** Arelate, Avenione, Burdegalæ, & in Monaſterio B. Mariæ de Craſſa in Diœceſi Carcaſſonenſi ſuos publicè docuit, idque ea methodo, quam ipſe in *** præfatione generali Tomi V. Operum ſancti Hieronymi, ad cujus calcem ſelectas ex Divinis ſcripturis Theſes vulgavit, his verbis exponit: „ ut aliquid dignum poſteris, gratum „ pariter ac utile ſtudioſis ederemus, cu„ rioſiſſimam appendicem, quaſi auctarium „ & mantiſſam ad calcem volumi„ nis

* Oper. S. Hieron. Tom, 3, prol. ** Ib. T. 5.
*** Pag. 2.

„ nis adieci. Juſtum enim fuerat, ut in-
„ ter tot opera falſa, vel imperita, vera
„ non pauca prodirent, ad eruditionem
„ lectorum comparata. In gratiam
„ itaque ſtudioſorum & diſcipulorum
„ Hieronymi, Theſes catervatim in Bi-
„ blia ſacra, diſputationes, & alia id ge-
„ nus benè multa curioſis dedicavi. Ne-
„ velitationes purè Scholaſticas quis ex-
„ ercitationes noſtras exiſtimet, quòd in
„ noſtris dudum aſceteriis publicè The-
„ ſes propugnabantur; ad ſtudia nam-
„ que divinarum ſcripturarum animos
„ addunt, & ſacræ intelligentiæ pandunt
„ receſſus. Deinde multa ſecum affert
„ ad communem fructum appendix no-
„ ſtra, quæ nec ſcholaſticis cognita, nec
„ diſputationibus eorum ventilata ſunt uſ-
„ que in præſens. Similis quidem appa-
„ ret methodus noſtra in Theſeon com-
„ poſitione, Scholaribus diſciplinis &
„ conſuetudini Gymnaſiorum; ſed augu-
„ ſtioris eſt conſiderationis argumentum
„ à nobis pertractatum, & inſtituta di-
„ ſputatio. Toti ſumus & exercemur in
„ Theologia divinarum Scripturarum:
„ quare præludia & Iſagogica multa pro-

„ ponimus exempla, quæ conducant ad „ earum inſtitutionem & intelligentiam. „ Neque hæc tetrica ratione, ſed ſuavi, ac „ ſapientibus congruente pertractamus. „ Sive enim in præludijs verſemur, ſive „ in diſputatione majori, aut in criticis „ obſervationibus, omnia ſic attemperamus, ut luſitando nos agere diceres; cùm „ tamen in omnibus attentè noſtro fungamur officio, ne degeneres in quopiam deprehenſi ſtudium, laboremque „ noſtrum erubeſcamus. Ita ille.

Inter hæc Hebraicæ, Græcæque linguæ cultum nunquam intermiſit, ſed in penitiorem earum cognitionem tantò ardentiùs incubuit, quantò majorem uſum, neceſſitatemque utrarumque in omni ſacrarum Doctrinarũ pertractatione eſſe quotidie animadvertebat. Deniq; ita inſtruct⁹ maximæ molis rem, novam ſcilicet ſancti Hieronymi Operum editionem, * *& quidem ſolus, & nullius aùxilio recreatus*, capeſſivit, quæ quantum ſudoris Martianæo expreſſerit, diverſis in locis ipſus explicat. ** *Nobis*, inquit, „ S. Hieronymi „ Divinam Bibliothecam, antehac inedi-

„ tam,

* Ib. T. 2. in Calce Prolog. ** Ib. T. 1. p. 1.

„ tam, utilitati publicæ procurandam ſu-
„ ſcipientibus, tot tantaque incumbunt
„ maximarum rerum momenta, ut ma-
„ gnitudo operis impoſiti non ſolùm cer-
„ vices premat, ſed ante ſub faſce ruendum
„ ſit, quàm levandum. Quis enim non
„ pertimeſcat maximi Scripturarum Di-
„ vinarum Interpretis opus præcipuum
„ expendere; in eam, quam conſecutus
„ eſt, linguæ Hebraicæ peritiam inquire-
„ re; tempus ſcriptionum ejus, transla-
„ tionúmque præfigere, dubias ac ſpurias
„ à veris & genuinis diſcernere lucubra-
„ tionibus; planum facere legenti, qua-
„ lis in Eccleſia Chriſti fuerit Hieronymi-
„ anarum Verſionum uſus; multaque
„ his ſimilia liquidò demonſtrare, quæ
„ nec facili negotio nominibus ſuis recen-
„ ſerentur? Exhorreſcimus, fateor, im-
„ menſum illum, ac profundum quaſi
„ diſputationis pelagus, in quod neceſſi-
„ tate compellimur, ſancti Hieronymi
„ Operibus edendis addicti & conſecrati.
Et alibi, dum de reſtituto ab ſe libro Nominum Hebraicorum agit, * *quantum porro*, ait, *tormentum ſuſtinuerim in ador-*

U 5 *nan-*

* Ib. T. 2. Prologom. 1.

nandis illis concordantijs marginalibus; (quas adhibuit è latere Nominum) *non*
„ auſim dicere; ne malevolis & vecordi-
„ bus nonnullis æmulis magnificè me ja-
„ ctare, atque oſtentare viderer. Mihi
„ tamen absque jactantia dicere fas ſit, le-
„ viorem fuiſſe laborem Editionis cujus-
„ cumque tomi Operum ſancti Auguſti-
„ ni, Gregorij, & cæterorum Eccleſiaſti-
„ corum Scriptorum, quàm reſtitutionis
„ ſolius libri Nominum Hebraicorum.
„ Nam quis crederet pro uno verbo, ac
„ nomine inveniendo quindecim ſæpiùs
„ dierum ſpatio me incaſſum laboràſſe?
„ Quis fidem adhibebit, ſi dixero, inte-
„ grum volumen Levitici, vel Numero-
„ rum ter à me pervolutatum apud Sep-
„ tuaginta, ut unicum ñomen invenirem?
„ Ita eſt, prudens lector, nec pondus la-
„ boris & curarum verbis exaggerare,
„ ſed omni jam difficultate ſuperata ad
„ lectionem libri Nominum omnes pro-
„ vocare contendo, ratus ejus utilitati-
„ bus neminem carere poſſe, qui Scrip-
„ turarum intelligentiam vel mediocrem,
„ ac ſtylum Philonis Judæi, Origenis, &
„ Hie-

„ Hieronymi manifeſtum, perſpectumque habere percupiat.

Labores hos Martianæi, utut de ſe graves, vehementer poſtmodum intenderunt & * *diri calculi cruciatus*, & acerrimi morſus Criticorum, quorum alteros ſuſtulit. Philippus Franciſcus Collotus, qui *explorata manu calculum extraxit è corpore*, alteros ferè perpetuò infeſtos ſibi, ac infixos expertus eſt. Præceperat ea bella dudum animo Vir eruditiſſimus, eaque propter doctiſſima ſua in Divinam D. Hieronymi ** Bibliothecam prologomena hoc memorabili epilogo finierat: „ Ergò legenda ſunt „ cum pace Prologomena noſtra, & conatus noſtri favore potiùs, & orationibus adjuvandi, quàm ſpernendi aure „ malivola: quia carpere & detrahere „ vel imperiti poſſunt, Doctorum autem eſt & qui laborantium novêre ſudorem, vel laſſis manum porrigere, vel „ errantibus iter oſtendere. Et quid „ prodeſt ſpumantibus labiis & latratu ad-

* ib. Tom. 3. proëm.
** ib. T. 1.

„ adverſum nos garrire canum: quum
„ ſimplex & moderata reſponſio, aut
„ poſſit te placare ſi vera eſt; aut ſi
„ falſa, leniter à te & placabiliter emen-
„ dari. Hæc interim propter æmulos,
„ quos cenſoriam virgulam & multa
„ convicia operi noſtro intentare ſcimus.
„ Cæterùm ſpem, quæ nos tenuit apud
„ æquos, ac eruditos lectores, nequa-
„ quam abjecimus: veniam enim illi no-
„ bis facile concedent, ſi quid peccavi-
„ mus in editione hujus divinæ Biblio-
„ thecæ. Idque potiſſimùm, ſi animo
„ ita me comparatum noverint, ut non
„ multopere Criticorum quorumdam
„ ſupercilium pertimeſcens benevolis
„ reprehenſoribus quibusque parere
„ multum gaudeam. Caveant alij, qui
„ fulmen intentant, ne in alium, quàm
„ in Fratrem Johannem Martianay tela
„ contorqueant ſua: quidquid enim in
„ hac editione ſancti Hieronymi pecca-
„ tum eſt, mihi imputandum admoneo.
„ Cæteris ſodalibus meis nulla convicio-
„ rum tela debent adhærere; quia im-
„ peritiæ meæ nullatenus participes fue-
„ runt. Bona igitur ſi quæ ſint, ùt verè
mul-

„ multa ſunt in hoc opere, Patri lumi-
„ num ut reddas, etiam atque etiam ro-
„ go. - - - - - In cæteris aut profer
„ meliores epulas, & me conviva ute-
„ re; aut qualicumque noſtra Cœna-
„ cula contentus eſto.

Criticorum horum, quorum *rabiem* animo præſenſerat Martianæus, agmen duxêre Richardus Simonius, & Johannes Clericus, * *qui non ſolum,* ùt ſcribit, *verba, ſed ſyllabas quòque noſtrorum verborum calumniantur, in eo ſe ſcire aliquid arbitrantes, ſi alienis operibus ac recte factis detrahant.* Aſt ambobus non modò ſe parem oſtendit noſter, ſed etiam diverſis operum ſuorum locis palàm omnibus eruditis fecit, pluſcula eſſe, quæ Richardus Simonius, & Johannes Clericus diſcerent à Martianæo. Extant ſatis cruentæ (is fuerat adverſariorum impetus) Apologiæ, in quibus impavidus Hieronymi Editor Simonij Hiſtoriam Criticam Veteris Teſtamenti ** *ſtultam temerariam, ac imperitam* vocat, ip-

* ib. T. 3. prologom. 1.
** ib. T. 2, col. 806. 810.

ipſumque Simonium velut *Scriptorem magno loquendi impetu fluentem, more torrentis, turbidum ubique proferentem ſermonem, ac falſa pro veris ſæpius aut ſemper nobis obtrudentem* exagitat. Johannem autem Clericum, qui editis quibusdam *Quæſtionibus Hieronymianis*, Hieronymi juxta & Martianæi Nomen ac eruditionem fædé laceraverat, ſingulari Opere, quod *Eruditionis Hieronymianæ Defenſionem adverſus Johannem Clericum* inſcripſit, tanquam * „ falſum Chri-
„ ſtianum, falſum interpretem Bibliorum
„ ſacrorum, falſum artis criticæ ſcripto-
„ rem, falſum libertatis animorum vin-
„ dicem, falſum quàm plurium volumi-
„ num editorem, merum Criticum Sy-
„ cophantam, & Clericum imperitiſſimum accipit & repellit, eamque *libertatē in redarguendo imperito, & parùm modeſto Critico ſine ſumma aut imperitia, aut iniquitate non poſſe ſibi negari exiſtimat.*

Fuit & aliud quoddam genus hominum non Martianæo tantùm, ſed omnibus omnino, qui Autorum veterum opera dudum excuſa, ad antiquiſſimorum Co-

* ibid. T. 3. col. 1159.

Codicum fidem exigunt, ac reſtituunt, longè moleſtiſſimum, eorum nempe qui turbidos rivulos limpidis fontibus præferentes, veteres manu exaratos libros elevare, ſuſpectos de corruptorum fraude habere, denique Scholaſticis machinis artes Pyrrhoniſmo proximas introducere allaborant, quos cum Philippo Labbeo hac oratione Martianæus inſequitur * *tertio*, inquit, „ loco copiam exemplarium „ manuſcriptorum ſuſcepi laudandam, ac „ defendendam adverſus nuperos quosdam Scholaſticos Theologos, peſſimoſque Scriptores Criticos, qui futilibus „ diſtinctionibus, & improbis conjecturis „ fidem veterum librorum elevare geſtiunt. Nam quòd ſæpius in turba imperitorum perſpicuitas veritatis argumentatione elevatur, totos intentos videas ſciolos noſtros in aucupium verborum & in novæ alicujus opinionis dogma perverſum, quo ſana Patrum præcepta & experimenta contemnant, Et ſi fuerint in diſputationibus „ publicis puerorum applauſu, & cachino delectati, ita temerè effutiunt de „ monu-

* ibid, T. 2. prologm. 1.

„ monumentis venerandæ antiquitatis, ut
„ eos putes non docere, ſed debacchari
„ voluiſſe. Neque his meliores Critici
„ ſimul & Chronologi: qui vix ſui com-
„ potes rem omnem litterariam cùm
„ ſacram, tum profanam evertere moli-
„ untur, dum novis ſyntagmatibus bel-
„ lum parant inferendum comprobatiſ-
„ ſimis Paternis omnium ſæculorum
„ traditionibus. Quæ peſtis librorum
„ veterum inimica, niſi extruderetur é
„ republica Chriſtiana, brevi nullum ge-
„ nuinum haberemus Auctorem anti-
„ quum ſuſpectitem; non Joſephum,
„ non Fucididem, non Hieronymum,
„ non Auguſtinum; quin nec Maro-
„ nem, nec Flaccum, nec cæteros Poë-
„ tas aut Hiſtoricos, quos omnes confi-
„ ctos in regno Francorum aſſerere vo-
„ lebat ſatis peritus Scriptor nuperus.
„ Sed quàm longè à veracium rerum
„ ſcientia poſiti ſint Novatores illi effu-
„ ſè imperiti pulchrè docuit Philippus
„ Labbeus hac peculiari obſervatione,
„ quam ſubtexuit ad expoſitionem fidei
„ Patrum Mediolanenſis ſynodi, Tomo
„ ſexto Conciliorum, columna 606.

Obſer-

Obſervatio Philippi Labbe S. J.

Atque hinc Lector animadvertat velim, quantum rem litterariam omnem ſive ſacram, ſive profanam adjuvent veteres Membranæ in obſcuris plerumque bibliothecarum angulis deliteſcentes, quidve conferant ad eruditionem, aut qui eas magno ſtudio conquiſitas, & magno nonnunquam ære ſibi comparatas viris diligentibus communicant, ut iis utantur; aut qui eas ſua aliorumve opera nacti cum excuſis codicibus Herculeo labore conferre non abnuunt. Ecce quàm varia quamque eximia in collatione præcedentis epiſtolæ ſuggeſſerunt nobis duo, triave foliola in noſtram bibliothecam, unde unde comportata, atque illud imprimis, quod nemo hactenus divinare potuerat, aut explicare: *Nos autem omnes, qui ſub feliciſſimos, & Chriſtianiſſimos à Deo cuſtodiendos principes Dominos noſtros perexcellentiſſimos reges Chriſtianæ religionis amatores unà cum,* &c. Quod veteres illæ membranæ omnibus deinceps maniſeſtiſſimum efficient hiſce verbis, quæ ad marginem adſcripſimus ſu-

pra pag. 601. &c. *Nos autem omnes, qui ſub feliciſſimis & chriſtianiſſimis, & à Deo cuſtodiendis principibus noſtris Dominis Perетharit, & Cunibert, præexcellentiſſimis regibus Chriſtianæ religionis amatoribus ſumus, una cum &c.* Qui verò fuerint *Pertharitus & Cunibertus*, ejus filius à Patre in conſortionem regni longobardici adſcitus, ſi neſcias, conſule ſis Pauli diaconi Aquilegienſis Hiſtoriam Longobardorum.

„ Multum ergò ex doctiſſimo Lab-
„ be S. J. adjuvant rem omnem litterari-
„ am veteres membranæ, ſive manu-
„ ſcripti libri veteres; multum confe-
„ runt ad eruditionem, id eſt, ad reſti-
„ tutionem antiquorum Auctorum, qui
„ cum excuſis manu exarata conferunt
„ exemplaria; vel qui diligentibus com-
„ municant id genus codices vetuſtiſſi-
„ mos. Si ita res ſe habet optima, quid
„ cauſſæ eſt noſtri temporis homini-
„ bus imperitis, ut fidem detrahant & au-
„ ctoritatem codicibus manuſcriptis,
„ quos iniqua odij præſumtione corrup-
„ tos clamitant apud vulgus noſtrorum?
„ Editis ante nos, inquiunt, credimus li-
bris

„ bris, & his adhærendum docemus, „ quia manuſcripta exemplaria falſata „ ſuſpicamur. Ergò ſola hac imprudenti divinatione, aut periniquo potiùs „ animo fidem Tabularum antiquatam „ volunt; & quotquot habentur in bibliothecis eccleſiarum veteres membranæ, vel in ſterquilinium projiciendæ, „ aut flammis devorandæ traderentur, „ ſi nonnullorum Theologorum & „ Scholaſticorum ingenio acquieſceret „ mater eccleſia.

„ At vos, ut interim alloquar, dicite „ pædagogi, dicite malè ſani Critici: „ unde habetis editiones omnium librorum ante nos typis evulgatas? nunquid „ è cœlo lapſas creditis? aut ex veteribus „ codicibus manuſcriptis propagatas? ſi „ divinas ad nos delatas defenditis editiones Patrum, & aliorum Scriptorum; „ recedite à nobis ad Mahummedum, qui „ talia ſtultis ſuadere potuit de peſtifero „ ſuo Alcorano. Sin autem de exemplaribus manuſcriptis edita Auctorum „ volumina conceditis, fruſtra jactatis minas in hodiernas editiones, & quæ in-

„ veteres recidunt convicia. Neque verò autographa exemplaria habebant ante nos Editores Hilarij, Ambroſij, Auguſtini, & Hieronymi, vel cæterorum, ſed eisdem uſi ſunt codicibus manuſcriptis, qui hodieque aſſervantur in bibliothecis Francorum, Italorum, & Germanorum. Totus igitur (ſi ſapienter advertitis) noſtrarum, ac veterum editionum cardo vertitur in uſu & copia manuſcriptorum exemplarium. Habuit equidem Eraſmus exemplar unum infimæ notæ ad editionem. v. g. libri Hebraicorum Nominum, ſicut antea monui lectorem; ſed tanta negligentia volumen illud edendum procuravit, ut typographis corruptiſſimum tradiderit nec lectum exemplar, quod in manus ejus venerat. Nihilo diligentior Marianus, quàm Eraſmus, novis tantùm typis expreſſit plerumque, quod apud eum invenerat editum ac depravatum, idque præſertim in libro Nominum, & in Epiſtola ad Sun. & Fretel. quam minimè caſtigavit ad manuſcriptos codices Vaticanos; etſi eorum uſum ſibi conceſſum fateatur alicubi.

„ Nam

„ Nam quum variantes lectiones Epiſto-
„ larum Hieronymi ex Vaticana biblio-
„ theca ad me perveniſſent, conſentien-
„ tes reperi codices Romanos cum Galli-
„ canis, id eſt, cum noſtro Hieronymo,
„ prorſus autem diſcrepantes ab editione
„ Marianæa æquè atque ab Eraſmiana.

„ Hanc ergo negligentiam vitare per-
„ cupiens, quàm potui, maximam com-
„ paravi copiam exemplarium manu-
„ ſcriptorum, & ſingula propriis oculis
„ luſtrare, Herculeoque labore cum ex-
„ cuſis conferre non abnui. Sciebam
„ enim, nullam eſſe corruptam lectionem
„ nullum locum tenebroſum, aut impli-
„ catum, nullum contextum hiulcum,
„ interpolatumve, qui emendari, explica-
„ ri, refici, ac reſtitui non queat, ſi præ-
„ ſto ſit editori diligenti vetuſtiſſimorum
„ copia librorum diverſis in locis, & tem-
„ poribus exſcriptorum. Tali ſupellecti-
„ li locuples factus editionem perficere
„ potui integerrimam & copioſiſſimam,
„ quæ ſincerum Hieronymum repræſen-
„ tet, ſtipatum eruditione ſua Hebraica,
„ Græca, atque Latina; orthodoxorum

„ dogmatum agminibus circumdatum,
„ Eccleſiæ ſanctæ Dei ſtrenuiſſimum pu-
„ gilem, Hæreticis infenſiſſimum, & Ca-
„ tholicis amantiſſimum. Hæc Martianæus pro veterum Codicum fide adverſus ſcholaſticos defendenda; quæ rametſi longiuſcula, benignis tamen oculis & animo feret, quiſquis impugnatam peſtem longiùs ſerpere quotidie, ac tantùm non graſſari animadvertet.

Cæterum quamvis Martianæus poſt edita Divi Hieronymi opera tot adverſantium hominum telis fuerit impetitus, longè tamen amplior, & major eorum vis extitit, qui præclaris eruditiſſimi Monachi conatibus delectati, maximis eum laudibus & favoribus proſecuti ſunt. Ex his eminuêre Illuſtriſſimus Memmius, Curiæ Pariſienſis Præſes, Camillus Tellierius, Regiæ Bibliothecæ Præpoſitus, Chevilierius Bibliothecæ Sorbonicæ Præfectus, Nicolaus Faber, Franciſcus Deſmareſius, Ildephonſus Sarraſinus Cluniacenſis, Joannes Harduinus S. J. Jacobus Hommeyus Auguſtinianus. Eminentiſſimus Cardinalis de Bonzi, eruditiſſimus Dominus Jacobus Beni-

Benignus Boſſuetus, Epiſcopus Meldenſis qui *non mediocrem, inquit Martianæus, „ operam in edenda Divina Bibliotheca „ nobis dedit, quum laborem noſtrum „ honore tanto ſæpiùs afficere dignatus „ eſt, ut dixerit, ſummam ex eo Eccleſiæ „ Chriſti utilitatem eſſe venturam. Præ„ terea quoties animos addidit nobis ad „ abſolvendum opus difficillimum? quo„ ties vetuſtiſſima monumenta noſtra „ oculis curioſis ac benignis perluſtrare „ voluit, ut teſtis eſſet fidei & diligentiæ „ noſtræ oculatus? Manuſcriptos quidem „ libros, quibus carebat, communicare „ non potuit: ſed haud impar præſti„ tit beneficium, dum codicum noſtro„ rum vetuſtatis merito, & dignitate præ„ ſtantiſſimorum approbator acceſſit „ apud omnes pios, ac ſtudioſos. Talem „ utique poſt ſumum Mecœnatem, Pon„ tificem dico Romanum, ambiebat Hie„ ronymus noſter Patronum, in quo di„ gnitas Epiſcopalis cum ſcientia, pietate„ que conjuncta potens eſſet exhortari in „ doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, „ arguere: arguere autem, nunc erudi-

* Ib. T. 1. poſt prologom.

„ tiſſimis lucubrationibus hoſtes Eccleſiæ
„ profligando, nunc luxuriantes imperi-
„ ta temeritate quoſdam Catholicos ſcrip-
„ tores à libris edendis cohibendo. Ea
„ breviter commemorare oportuit, ut
„ indicaremus poſteris, ſapientiſſimum
„ ſupradictum virum nobis ubique bene-
„ volentiam, Hieronymo item noſtro
„ perpetuam obſervantiam exhibuiſſe.
Denique Sorbonæ, * Divinam S. Hiero-
nymi Bibliothecam approbantis ea vox
fuit: „prodiit edita recens divina ſancti
„ Hi ··onymi Bibliotheca, quæ ignota ha-
„ ctenus velut è tenebris eruta fuit à Re-
„ verendiſſimo P. Martianay, viro eximiæ
„ eruditionis, qui eodem erga Scripturas
„ ſacras, & Hebraicam veritatem ſtudio
„ affectus, quo olim flagravit Hierony-
„ mus, hoc pretioſiſſimo, & excellentiſſi-
„ mo munere Eccleſiam ditavit ſingulari
„ diligentia, ac labore propemodum im-
„ menſo, & talium ſtudiorum inexpertis
„ prorſus incredibili &c. Quo honorifi-
co illuſtris Sorbonæ judicio non una Di-
vina Bibliotheca, ſed omnia ferme Opera,
quæ Martianæus adhuc in lucem aſſeruit,
me-

* Ib. T. 4. calce prologom.

merentur condecorari. Spirat is etiam nunc, nec de Divinis Scripturis, univerſaque Republica Litteraria benè mereri deſinit.

Opera.

D*Efenſe du Texte Hebreu, & de la Chronologie de la Vulgate contre le livre del Antiquité des temps rètablie.* i. e. *Vindiciæ Textus Hebraici, ac ſacræ Chronologiæ ſecundum Vulgatam adverſus librum, cui titulus:* Antiquitas temporum reſtituta, autore D. Paulo Pezronio Ord. Ciſterc. 12. *Pariſiis* 1689.

Continuation de la defenſe du Texte Hebreu, & de la vulgate contre Iſaac voſſius Proteſtant, & contre les livres du Pere Pezròn Religieux de l' Ordre de Citeaux. i. e. *Continuatio Vindiciarum Textûs Hebraici & Vulgatæ adverſus Iſaacum Voſſium, Proteſtantem, & Patris Pezronij Ciſtercienſis libros.* 12. *Pariſiis* 1693.

Relation de la diſpute de l'autheur du livre de l' Antiquité des tems retablie, contre le deſenſeur du Texte Hebreu, & de la vulgate. i. e. *Hiſtoria Controverſiæ, quæ Autori Antiquitatis temporum reſtitutæ cum Vindice textûs Hebraici, ac vulgatæ interceſſit.* 12. *Pariſiis* 1707. . . .

Divi Hieronymi Prodromus, ſive Epiſtola Domni Joannis Martianay ad omnes viros doctos, ac ſtudioſos, cum Epiſtola ſancti Hieronymi ad Sunniam & Fretelam caſtigata ad manuſcriptos codices optimæ notæ, ac multiplici obſervationum genere illuſtrata. 4. *Pariſiis* 1690. Hæc recuſa extat etiam Tomo II. Operum S. Hieronymi.

Sancti Euſebij Hieronymi Stridonenſis Presbyteri Divina Bibliotheca, antehac inedita, complectens translationes Latinas veteris ac novi Teſtamenti, tum ex Hebræis, tum è Græcis fontibus derivatas; innumera quoque ſcholia marginalia antiquiſſimi Hebræi cujusdam Scriptoris Anonymi, Hebræas voces preſſiùs exprimentis. Prodit è vetuſtiſſimis

Ma-

Manuſcriptis codicibus Gallicanis, Vaticanis &c. fol. Pariſiis apud Johannem Aniſſon typis Antonij Lambin 1693. Hic eſt primus operum Sancti Hieronymi Tomus, quem reliqui hoc ordine ſecuti ſunt.

S. Hieronymi Operum Tomus II complectens libros editos ac ineditos Etymologicos, Geographicos, Quæſtiones Hebraicas, Epiſtolas Criticas, & Commentarios in Sacra Volumina a Geneſi usque ad Prophetas. fol. ibid. apud eund. iisdem typis. 1699.

Tomus III. complectens Commentarios in ſexdecim Prophetas majores, atque minores reſtitutos ad fidem Manuſcriptorum Codicum vetuſtiſſimorum. fol. ib. apud Claudium Rigaud. 1704. In hujus tomi editione Domnus Nicoſtratus Bara è Gongr. S. Mauri Martianæo adjumento fuit.

Tomus IV. in binas partes diviſus, complectens Commentarios omnes in novum Teſtamentum, atque Epiſtolas criticas

ticas ejuſdem argumenti, ordine librorum Scripturæ ſacræ poſitas; deinde cunctas alias epiſtolas ordine chronologico nunc primum editas, & in varias claſſes diſtributas, cum Opuſculis Apologeticis, & Polemicis, ad fidem vetuſtiſſimorum codicum recenſitis, ac reſtitutis. fol. ib. apud eund. typis viduæ Antonij Lambin 1706. Huic tomo inſerta eſt *Apologie de S. Jerome, & Reponſe à pluſieurs Lettres choiſies de M. Simon.* Id eſt: *Apologia S. Hieronymi, & Reſponſio ad plures epiſtolas ſelectas Richardi Simonij.*

Tomus V. complectens vitam ſancti Hieronymi à duobus anonymis ſcriptam, Catalogum Gennadij de Viris illuſtribus; Opuſcula omnia ſuppoſititia tam edita, quàm inedita: cum appendice curioſiſſima Theſium & Diſputationum in Biblia ſacra, quas ante nullus poſteris tradiderat. fol. ibid. ap. eund. iisd. typis 1706.

Traités de la verite, & de l'inſpiration des livres de la ſainte Ecriture. i. e. *Tractatus plures de veritate & divina*

na inſpiratione librorum ſacræ Scripturæ. Porro hi tractatus ſunt ſequentes.

Traité de la verité des livres de l'Ecriture. i. e. *Tractatus de veritate librorum Scripturæ ſacræ.* 12. *Pariſiis* 1694. . . .

Continuation du premier Traité des Ecritures. i. e. *Ejusdem de Scriptura Tractatûs Continuatio.* 12. *ibidem.* 1699. . . .

Defenſe de la Bible de S. Jerôme contre la critique de M. Simon ci-devant Prêtre de l'Oratoire. i. e. *Vindiciæ Bibliorum S. Hieronymi adverſus cenſuram Richardi Simonij, olim Presbyteri Oratorij* 12. *ibid.* 1699. . . Eſt pars altera præcedentis Operis.

Traite Hiſtorique du Canon des livres de la ſainte Ecriture, depuis leur premiere publication jusqu' au Concile de Trente. i. e. *Tractatus Hiſtoricus de Canone librorum ſacræ ſcripturæ, à prima eorundem editione usque ad Concilium Tridentinum* 12. *ibid.* 1703.

Trai-

Traité Methodique, ou Maniere d' expliquer l' Ecriture par les ſecours de trois ſyntaxes, la propre, la figurée, & la Harmonique. i. e. *Tractatus de methodo, ſeu modo explicandi ſacram ſcripturam adminiculo triplicis ſyntaxeos, propriæ ſcilicet, figuratæ, & harmonicæ.* 12. *ibid.* 1703. . . .

Vulgata antiqua Latina, & Itala verſio Evangelij ſecundùm Matthæum, è vetuſtis eruta monumentis, illuſtrata prologomenis ac notis, nuncque primùm edita. Acceſſit Epiſtola Canonica S. Jacobi Apoſtoli, juxta vulgatam veterem, ſeu Italam verſionem &c. 12. *Pariſiis* 1695. . . .

Remarques ſur la verſion Italique de l' Evangile de Saint Matthieu, qu' on a decouvert dans le fort anciens Manuſcritts. i. e. *Animadverſiones in verſionem Italam Evangelij ſecundum Matthæum, ex perantiquis codicibus manuſcriptis erutam.* 12. *ibid. eod. anno.* . . .

Eruditionis Hieronymianæ Defenſio adverſus Johannem Clericum. 8. *Pariſiis*

ſiis 1700. . . . Iterum edita, & inſerta fuit Tomo III. Operum S. Hieronymi.

La Vie de S. Jerôme, Prêtre ſolitaire, & Docteur de l' Egliſe, tirée particulierement de ſes propres écrits. i. e. *Vita S. Hieronymi, Presbyteri & monachi, eccleſiæ Doctoris, ex propriis ejusdem ſcriptis potiſſimum concinnata.* 4. *Pariſiis* 1706.

Eſſais de Traduction, ou remarques ſur les traductions Françoiſes du N. Teſtament. i. e. *Tentamen verſionis, ſive Obſervationes ad verſiones Francicas Novi Teſtamenti.* 12. *maj. volum. II. prius Pariſiis prodiit apud Petrum Witte* 1709 *poſterius ibid. apud viduam Antonij Lambini* 1710.

Le Nouveau Teſtament de N. S. Jeſus-Chriſt traduit en François ſur la vulgate. i. e. *Novum Teſtamentum D. N. J. Chriſti, in linguam Francicam traductum ad fidem editionis vulgatæ.* 12. *volum.* 2. *Pariſiis.* 1712. . . .

Traduction de S. Jerôme, ou de ſon Commentaire ſur le livre de l' Eccleſiaſte avec des nouvelles reflexions. i. e. *Sancti Hieronymi Commentarius in li-*

brum Eccleſiaſtæ Francicè verſus cum novis obſervationibus. 12. *Pariſiis* 1715.

Du Pin * Martianæo etiam tribuit *les trois Pſeautiers de S. Jerôme traduits en François avec des Explications Litterales Harmoniques, & morales tirées des Ouvrages de ce Pere.* i. e. *tria Pſalteria ſancti Hieronymi in Francicum translata cum expoſitionibus Litteralibus, Harmonicis, & Moralibus, ſumptis ex aliis ejusdem ſancti Doctoris operibus.* . . . . Hujus operis ſpecimen, ſeu, ùt ipſe loquitur, *Ideam* habes in Tomo V. Oper. S. Hieron. col. 1198.

In eodem tomo col. 1195. ubi Martianæus editorum ab ſe operum Catalogum texit, meminit etiam hujus: *Remarques ſur le premier volume de la nouvelle Edition des Ouvrages de S. Jerôme,* id eſt: *Animadverſiones in primum tomum novæ editionis operum ſancti Hieronymi* 12. nulla addita nota anni, quo excuſum ſit.

Denique in ſupplemento Divinæ Bibliothecæ, quod Tomo II. Oper. S. Hie-

* T. 19. nouvel. biblioth. pag. 291.

Hieron. præmittitur, & fortè idem eſt, ac opus proximè recenſitum, promittit Martianæus *Hiſtoriam Novæ editionis operum ſancti Hieronymi, ſi,* inquit, *vitam Deus prorogaverit usque ad Tempus deſtinatum,* quod cum eruditis omnibus Viro doctiſſimo de cœlo precamur.

CAPUT IX.

D. Dionyſius de Sainte-Marthe.

DIonyſius San-Marthanus illuſtribus parentibus Lutetiæ Pariſiorum procreatus eſt anno milleſimo, ſexcenteſimo quinquageſimo. Spretis mundi delitiis, ac neglecto familiæ longè ampliſſimæ ſplendore in Ordinis Benedictini ſodales per ſolemnia vota transſcriptus eſt apud Redonenſe ſancti Melanij monaſterium Pridie Idus Auguſti anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum ſexageſimo octavo. Hìc tantum abfuit, ut majorum ſuorum gloriam, cùm eruditione, tum aliis in toga & ſago pulcherrimè factis partam imminuerit, ut etiam mirum quantum do-

ctiſſimis ſuis laboribus amplificârit. Ad hæc magno ſacrilegam & deliram Calvini religionem exſcindendi, eaque imbutos gentiles ſuos ad Catholicorum caſtra traducendi deſiderio ſemper flagravit, eaque gratia vulgavit plura, quæ Virum non minùs in ſcriptorum â Catholicorum ſenſu alienòrum, quàm veterum Patrum, ac Conciliorum monumentis apprimè verſatum eſſe demonſtrant. Sanctum Gregorium ob vitæ ſanctimoniam & doctrinæ copiam cognomento Magnum etiam Majorem reddidit, dum „ hortante, & benedicente Innocentio XII. „ P. M. * ac adhibitis plurimis è ſua potiſſimùm Congregatione ſociis Doctoris eximij ſcripta omnia contulit ad innumeros penè optimæ fidei codices „ manu exaratos, & ſcitiſſimis notis, præfationibusque illuſtrata typis commendavit. Porrò ex amicis, qui Dionyſio noſtro hoc in labore improbo ſuppetias tulerunt, ** præcipuè adpellandus eſt Vir „ religioſiſſimus, Domnus Johannes „ Baptiſta de Noyville, in Pago Laudunenſi,

* Oper. S. Greg. M. T. 1. præf. p. IV.
** Ib. p. V.

„ nenſi, Ordinis Ciſtercienſis, arctioris, „ & ſanctioris obſervantiæ Præpoſitus, „ qui non ſolùm varias plurimorum Co- „ dicum lectiones à ſe excerptas ad cum „ miſit, ſed penè integros propria de- „ ſcriptos manu communicavit. Inſuper „ Indices tum locorum ſacræ Scripturæ, „ tum rerum memorabilium & ſenten- „ tiarum copioſiſſimos in I. Tomum & „ in librum Sacramentorum contexuit, „ alios autem incœptos abſolvere non „ permiſit infirma valetudo. Anno milleſimo, ſeptingenteſimo, decimo, cum illuſtriſſimus Franciæ Clerus Pariſiis congregatus ex Archiepiſcopo Narbonnenſi cognoviſſet, inſignem, totíque Eccleſiæ Gallicanæ glorioſam eſſe operam, quam Domnus Dionyſius, in emendanda, augenda, illuſtrandaque *Gallia Chriſtiana*, famoſo illo Majorum ſuorum Opere, hactenus poſuiſſet, doctiſſimum Virum non modò publicè collaudavit, verùm etiam, ut ſtrenuè pergeret adhortatus eſt, omneque patrocinium ac favorem addixit, datis ad omnium Francicarum Eccleſiarum Antiſtites litteris, quibus ad communicanda cum Dionyſio ſua monu-

menta vetera invitabantur. Atque hoc ipſum eſt Opus, in quo elaborando nunc totus eſt vir eruditus, quodque avidiſſimè exſpectat, quidquid in omni Europa doctorum hominum eſt.

Opera.

TRaité de la Confeſſion contre les erreurs des Calviniſtes. i, e. *Tractatus de Confeſſione contra errores Calviniſtarum.* 8. *Pariſiis apud Lambertum Rulandum* 1685.

Reponſe aux plaintes des Proteſtans *touchant la pretendüe perſecution de* France. i. e. *Reſponſio ad querelas Proteſtantium ob Francicam perſecutionem, ut ipſi vocant. ibid.* 1688. . .

Entretiens touchant l'entrepriſe du prince d' Orange ſur l' Angleterre. i. e. *Colloquia de Principis Arauſionenſis Expeditione in Augliam. ibid.* 1689. . .

Lettres a M. L' abbé de la Trappe, ou l' on examine ſa reponſe au Traité des Etudes monaſtiques &c. i. e. *Epiſtolæ ad Dominum Abbatem Trappenſem in quibus ejus reſponſio ad Tractatum Ma-*

Mabillonij de ſtudiis monaſticis examinatur. 12. *Amſtelodami* 1692. . .
Recueil de quelques pieces, qui concernent les quatre lettres ecrites a M. L' abbé de la Trappe. i. e, *Syllabus quarundam ſcriptionum, quatuor epiſtolas, ad Abbatem Trappenſem ſcriptas ſpectantium.* 12. *Coloniæ* 1693.

La Vie de Caſſiodore. i. e. *Vita Aurelij Caſſiodori Senatoris.* 4. *Pariſiis* 1694. . . . . .
Hiſtoire de S. Gregoire le Grand, Pape, & Docteur de l' Egliſe. i e. *Vita Sancti Gregorij cognomento Magni, Papæ & Eccleſiæ Doctoris.* 4. *Rotomagi* 1697. ..
Hanc libris quatuor comprehenſam, & Latinè redditam iterum ſtitit Tomo IV. novæ editionis operum S. Gregori Magni.
Reflexions ſur la lettre d' un Ablé d Allemagne aux RR. PP. Benedictins de la Congregation de S. Maur, ſur leur dernier tome de l' edition de S. Auguſtin. i. e. *Animadverſiones in epiſtolam cujusdam in Germania Abbatis, datam ad RR. PP. Benedictinos Congregationis*

Sancti Mauri, de ultimo tomo novæ editionis operum S. Auguſtini 12. 1699. . . . .

Lettre a un Docteur de Sorbone, touchant le memoire d' unDocteur enTheologie addreſſé a MM. lesPrelats de France, contre les Benedictins. i. e. *Epiſtola ad quendam Sorbonæ Doctorem de libello cujusdam Theologiæ Doctoris Dominis Franciæ Prælatis inſcripto adverſus Benedictinos* 12, 1699. . . . .

Sancti Gregorii Papæ I. cognomento Magni, Opera omnia, ad manuſcriptos codices Romanos, Gdllicanos, Anglicanos emendata, aucta, & illuſtrata notis. Tomus 1. *fol. Pariſiis ſumtibus Claudij Rigaud* 1705.

Tomus II.
Tomus III. } *ibidem ejusd. ſumtibus eôd. anno.*
Tomus IV.

Gallia Chriſtiana, quod opus deinceps edatur, pluribus in folio voluminibus conſtabit.

CA-

CAPUT X.

D. Johannes Stephanus Badier.

JOhanni Stephano Badierio prima lux obtigit Doli in Britannia minori. Ordinem Benedictinum Mundo prælia-buit, eumque nuncupatis ſolemniter votis, perpetuò colendum ſumpſit in Sancti Melanij apud Redonas monaſterio, Undecimo Calendas Septembris anno Domini milleſimo, ſexcenteſimo, ſexageſimo octavo, annum ætatis octavum decimum non ſupergreſſus. Viro ſanctè docto etiam nunc vita ſuppetit.

Opera.

L*A Sainteté de l' Etat monaſtique &c. pour ſervir de reponſe à la vie de S. Martin, compoſée par M. l' Abbé Gervaiſe,* Prevoſt *de l' Egliſe de S. Martin de Tours.*i. e. *Sanctitas ſtatus Monaſtici &c. quod opus reſponſi loco eſſe poſſit ad*

tam S. Martini, editam à D. Abbate Gervaſio, Eccleſiæ S. Martini Turonenſis Præpoſito. 12. *Turonibus* 1700. . .

CAPUT XI.

D. Claudius Guenié.

CLaudium Guenié, Virum ſingulari judicio, & laborum tolerantiâ præditum Divio, ſeu Divionum, princepsBurgundiæ oppidum protulit anno milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo ſeptimo. Eum annos duos & viginti natum Ordo ſancti Benedicti ſibi adoptavit, præmiſſa ſolemni votorum ſponſione, Decimo tertio Calendas Martij in ſancti Faronis Monaſterio apud Meldas. Hic Thomam Blampinum, Auguſtinianæ editionis Anteſignanum ſedulò adjuvit, effecitque incredibili patientia, & induſtria, ut magni hujus Eccleſiæ Doctoris opera non ſolùm emendata, ſed etiam omnium uſibus expoſita, prompta, & expedita deinceps eſſent. Valet adhuc, & felicem exitum â Deo quotidie precatur.

Ope-

Opera.

HUjus opus *ſunt Indices tum particulares, uniuscujusque Tomi, tum omnium generalis*, *Operum ſancti Auguſtini novæ editionis ;* quos quidem indices Claudius ſumma arte, methodo , ac judicio, omnium ſententiâ contexuit.

CAPUT XII.

D. Petrus Couſtant.

PEtrus Cutantius in hanc lucem progreſſus eſt Compendij apud Valeſios, ſancti Benedicti Ordinem ingreſſus mundo ſolemniter renuntiavit in Remenſi ſancti Remigij monaſterio Decimo quinto Calendas Julij, anno Chriſti milleſimo, ſexcenteſimo , ſeptuageſimo ſecundo , ætatis octavo decimo. Scholaſticis, quæ vocant, ſtudijs cum laude defunctus, ſe totum veterum Scriptorum ac Patrum libris involvit, in ijsque, quæ à ſapientiſſimis illis viris pulcherrimè tradita ſunt, memoriâ & ſcientiâ comprehendendis die

noctuque elaboravit. Id dum ageret, antiquiſſimis temporibus exaratos Codices frequentiſſimè conſulebat, tantam inde harum rerum peritiam & uſum conſecutus, ut, quæ Bartholomæus Germonius S. J. contra Codicum fidem deinde molitus eſt, Cutantius paullo negotio difflaverit. Ferens etiam indignè, maximum illud Galliæ lumen, ſanctum Hilarium, Pictavorum Epiſcopum, adeò ſpiſſis mendorum, depravationumque veluti tenebris obvolutum, ac penè exſtinctum jacere, neminemque non veteris Theologiæ ſtudioſum ſua obſcuritate terrere, vetuſtiſſimorum Codicum ope, Obſervationibus eruditione haudquaquam vulgari refertis, nulloque non illuſtrationum genere, lucem, perſpicuitatémque eidem reddere allaboravit; idque hoc ferè modo effectum reddidit.

„ Quanto, inquit, difficiliora hactenus judicata ſunt Hilarij ſcripta, * tanto operoſiùs enitendum duximus, ut ea difficultas ſublevaretur. Hujus rei gratia ſingulas ſingulis operibus præmiſimus Admonitiones aut præfationes, in qui-

* Opp. S. Hilar. præf. p. XIII.

„ quibus quidquid ad Operis occaſio- „ nem, tempus, ſcopum, veritatem, & „ alia id genus ſpectat, pro noſtra virili „ parte explicuimus. His interdum ſub- „ nexa eſt totius Operis ſynopſis : quod „ præſertim ad libros de Trinitate viſum „ eſt quodam modo neceſſarium. Tum „ ut lector in aſſequendis Hilarij ſenſis mi- „ nùs laboraret, præcipua ipſius argumen- „ ta, quantum per oram libri licuit, brevi- „ bus ſummarijs comprehendere cura- „ vimus. Ut autem haberet, ubi perio- „ dorum longitudine fatigatus requieſce- „ ret, Tractatus ſinguli varios in numeros „ ſunt diſtincti. Ea quoque ratione cita- „ tionum commoditati conſultum eſt, ne „ paucos verſus recognoſcere volentibus „ toti libri eſſent pervolvendi.

„ Sed in redintegrando textu, ex „ cujus depravatione obſcuritas ut pluri- „ mùm creabatur, noſtra potiſſimùm cu- „ ra ac ſtudium fuit. Et ſi autem quàm „ plurima, nihil tamen niſi prævia dili- „ genti ac moroſa conſideratione immu- „ tatum. Qua in re maximè ſpectavimus „ ſcriptorum codicum in unam lectionem „ conſpirantium antiquitatem, ſincerita- „ tem,

„ tem, multitudinem, ſi præſertim aliàs „ in mendoſis locis diſſiderent. Nam „ conciliare ſolet veritas, quos falſitas diſ- „ ſidentes facit. Sicut autem mſs. anti- „ quitatem ex ſcriptura & charactere per- „ ſpeximus, ita ex conſtantia quadam in „ retinendis ijs loquendi modis, qui in „ alijs exemplaribus ob ſingularitatem ſæ- „ pè mutati ſunt, eorum probavimus ſin- „ ceritatem. Ad horum veritatem ita „ ſcrupuloſè expreſſimus omnia, ut ex „ ijs etiam verborum ordinem revocave- „ rimus. Si quid verò caſtigatum quod „ non oportebat, nihil tamen ereptum „ lectori: qui ad oram libri, quidquid in „ prioribus editionibus, quidquid in mſs. „ occurrit, quod alicujus momenti ſit, „ pro libito ſeligendum inveniet.

„ Importunæ quidem ſunt, & ab au- „ ctore intentionem Lectoris nonnihil ab- „ ducunt notulæ frequentes. Sed pleri- „ que reſcire cupiunt, quo jure, quave „ auctoritate mutatum ſit, quod priùs ob- „ tinebat: & nullus eſt, cui ſi placeant ſo- „ la auctoris verba, notas ſeorſum ab ijs „ poſitas non ſit liberum præterire. Ita „ etiam ubi quædam notata ſunt, quæ „ mi-

„ minoris momenti videbuntur; hoc „ paucis præſtitum eſt, & in eorum gratiam, qui in Doctore Eccleſiæ antiquo „ ac difficili, & de re, in qua ex verbis „ inordinatè prolatis ſæpe incurritur hæreſis tractanti, nihil negligendum ducunt. In alijs majoris momenti locis „ mutationes factas non ſola mſs. auctoritate, ſed & quàm paucioribus verbis licuit, ratione eſt demonſtratum. Quod „ faciendum præſertim cenſuimus, quoties, qui Hilarium antea recognoverunt, „ à vero illius ſenſu aberrantes, falſas ſubſtituerunt lectiones, quæ quandam veritatis ſpeciem præ ſe ferrent. Iisdem „ notis illuſtrantur, & explicantur locutiones inuſitatæ, implexæ phraſes, ſententiæ ſingulares. Hilarij enim ſcripta non tantùm à mendis pura & integra, ſed & lectu faciliora exhibere fuit „ animus: & locorum nonnullorum „ ſenſum non ſine labore aſſecuti, noſtri „ officij exiſtimavimus eſſe, ut alijs hic „ labor levaretur. Eandem ob cauſam „ ex eruditorum operibus eligere non „ gravati ſumus, ſi quid ad geſtorum, „ quæ Hilarius attingit, notitiam facilio-

„ rem conduceret. Denique quæ in eo „ pugnantia, quæ ſuſpecta videbantur, „ componere & ab omni errore vindicare ſtuduimus, non vanis, aut aliunde „ accerſitis rationibus, ſed ex ipſiusmet „ verbis. Illos enim locos, aut ex „ adjunctis expendentes, aut comparantes cum clarioribus, deprehendimus, „ quàm jure Hilarius, de locutione non „ ita, ut de fide ſua ſecurus, monuerit „ atque enixè rogaverit, ne de ipſo ante „ abſolutum ſermonem judicaretur. „ Quosdam ex illis celebriores atque difficiliores ab ipſo exordio tractare juverit: quò cùm commodiùs quàm „ in oram conferre liceat, quidquid in „ unam eamdemque rem diverſis locis „ dixerit; ex mutua plurium locorum „ collatione vera illius ſententia manifeſtius apparebit. Et certè viſum eſt „ expedire, ut tanti viri ſcripta non prius offerrentur, quàm præcipuæ ſuſpicionum nebulæ fuiſſent diſſipatæ. In „ his diſputationibus aliorum etiam Patrum dicta interdum adteximus: quò „ Hilarius non modò ſecum, ſed „ & cum veteribus conſentire demonſtretur &c. Re-

Reſtitutus hac ratione Hilarius non ſine communi eruditorum hominum applauſu exceptus eſt, ne Richardo quidem Simonio, res Patrum e Congregatione Sancti Mauri in cœlum efferre laudibus nequaquam ſolito, Cutantij Notas & obſervationes commeritis præconiis defraudante. Interim in egregio hoc de Eccleſia benè merendi ſtudio Cutantius hodieque perſtat, ac quædam alia ſub manibus habet, quæ typis edita magnam eidem apud æquos gratiam conciliabunt.

Opera.

Sancti Hilarij Pictavorum Epiſcopi Opera ad manuſcriptos codices Gallicanos, Romanos, Belgicos, nec non ad veteres editiones caſtigata; aliquot aucta opuſculis, præviis in locos difficiles diſputationibus, Præ*ſationibus, Admonitionibus, Notis, nova S. Confeſſoris vita & copioſiſſimis Scripturarum, Rerum, Gloſſarum indicibus locupletata & illuſtrata. ſol Pariſiis typis Franciſci Muguet.* 1693.

Vin-

Vindiciæ Manuſcriptorum Codicum à R. P. Bartholomæo Germon S. J. impugnatorum. 8. *ibidem* 1706.

Vindiciæ veterum Codicum Confirmatæ, in quibus plures Patrum, atque Conciliorum illuſtrantur loci, Eccleſiæ de trina Deitate dicenda traditio aſſeritur; Ratramnus & Gotheſcalcus purgantur ab injectis ſuſpicionibus; & quædam Pyrrhoniſmi ſemina noviſſimè ſparſa reteguntur, & convelluntur. 8. *ibid. apud Joan. Baptiſt. Coignard* 1715.

Fertur etiam recenſuiſſe cum Domno Thoma Blampino Sermones S. Auguſtini, & Tractatus quosdam eidem Doctori ſuppoſitos, quos nunc habes in nova Benedictina Operum ſancti Auguſtini editione.

Denique nunc Romanorum Pontificum Epiſtolas, quæ usque ad Innocentium III. pertingunt, typis repetendas curat. Contulit illas cum antiquiſſimis codicibus manuſcriptis, notisque ſuis criticis, quæ hiſtoriæ, dogmatibus, & diſciplinæ lucem affundunt, illuſtravit.

Cap.

CAPUT XIII.
D. Edmundus Martene.

EDmundo Marteneo, patriâ Laudunenſi, vitæ initium præbuit annus Domini milleſimus, ſexcenteſimus, quinquageſimus quartus. Is Ordinem Monaſticum ſecundum Regulam ſancti Benedicti ſolemniter vovit in monaſterio ſancti Remigij apud Remos ſexto Idus Septembris anno ejusdem ſæculi ſeptuageſimo ſecundo. * Antiquitatis ſtudio deinde captus in Conciliorum, ſanctorum Patrum, ſcriptorumque Eccleſiaſticorum lectione aſſiduus fuit, inde colligere ſolitus ea, quibus olim dicenda maximè ſtabilirentur. Cumque magnos ea in re progreſſus haberet, eum eruditiſſimus Lucas Acherius „ ad ſociandas „ in perornando Spicilegio operas hortatus eſt. Immò cùm is, paucis, antequam è vivis excederet, ** ſimile opus „ alio ſub titulo, prœlo committere cogitaret, adjutricem à Marteneo manum „ po-

Z

* Martene T. 4. de Antiq. Eccl. Rit. in præf.
** Collect. nov. vet. ſcript. in præf.

„ poſtulavit. Sed brevi poſt morte „ correptus nec conceptum opus explere „ re potuit; nec noſter aliis tunc ſtudiis applicatus optimi ſenis conſiliis parere valuit. Inde reverſus, ac ſibi redditus, Bibliothecas luſtrare, Ineditos autores evolvere, ſacrasque omnium temporum Eccleſiæ conſuetudines perveſtigare inſtitit. Certè illo vix quisquam diligentiùs, ſcrupuloſiùsque veteres Monachorum ritus perſecutus eſt quos cùm in unum corpus collectos edidiſſet, nihil deinceps antiquius habuit, quàm ut conſimili de Ritibus Eccleſiaſticis operi adornando animum adijceret, huicque labori ſubſecivas poſt regularem obſervationem, qua nihil carius monachis eſſe debet, horas totas inſumeret, ratus, & ſibi & alijs, rerum præſertim ſacrarum ſtudioſis ex hocce opere utilitatis nonnihil accedere poſſe, cùm obſoletos & penè oblitos, quibus majorum noſtrorum pietas coaluit, & crevit, reſuſcitatos ritus, ac palam expoſitos viderent. Animos modeſtiſſimo viro addiderunt amici, ac ij præcipuè, à quibus vitæ ſuæ rationes & momenta dependebant, qui ut huic ſtudio operam navaret,

non

non ſemel auctores fuerunt, totieſque ſuaſerunt, ut & perſuaſerint. Quæ omnia ipſe Marteneus totidem ferè verbis de ſe commemorat non prætermiſſis Fautorum & amicorum laudibus, quorum aut patrocinio,, aut ope ſuis in commentationibus uſus eſt. In his exſtitêre Stephanus Baluzius, vir, cui erudita Congregationis ſancti Mauri ſtudia multum debent, Johannes Deslions Silvanectenſis Eccleſiæ Decanus *non minus virtute, quam editis libris notus*, Dominus Du Tronchet *pietate & eruditione inſignis*, Dominus Regnaud Bibliothecæ Rotomagenſis Eccleſiæ Præpoſitus, Godefridus Hermas Bellovacenſis Eccleſiæ Canonicus, *libris editis longè clariſſimus*, P. Cœlleſtinus à ſancto Joſeph Carmelita Cabilonenſis, Noaillus Epiſcopus Catalaunenſis, *Præſul maxima erga eruditos omnes benignitate præditus*, Gentilhommius Canonicus Lingonenſis; Renatus Ouvrard, & Dominus Loppin, Turonenſis Eccleſiæ Canonici, Gatianus Galiczon S. Martini Eccleſiæ Turonenſis Præcentor, Dominus Thomaſius Archivij ejuſdem Eccleſiæ Præfectus & cuſtos, Dominus Bulteau Doctor Sorbonicus, & Paroch-

rochialis Eccleſiæ S. LaurentijRotomagenſis Rector, *cujus omnia in ſe benevolentiæ officia nulla unquam oratio explicare poterit.* Ex Congregatione Sancti Mauri Claudius Stephanotius, Placidus Porcheron, Nicolaus Quittebeuf, Richardus Houſſaye, Carolus Conrade, Abbatiæ Sancti Auguſtini propè Lemovicas Prior Clauſtralis, Arnaldus Boiſſerie Prior B. Mariæ apud Toloſanos, J. R. Lagoree, Tellierius Rotomagenſis S. Audoëni monaſterij O. B. Magnus Prior, *cujus ſtudium in recuperandis veteribus ſui monaſterij libris nullus ſat laudare poterit,* Julianus Belaiſe, *vir eruditus: qui ipſe multa antiquitatis, monumenta collegit,* alijque propè inumeri doctiſſimi in Francia homines, qui Marteneum ſuo ſinu receperunt, nulloque non officij, beneficijve genere juvarunt. Itaque hoc modo facilè conſecutus eſt Vir eruditus, ut, quod ipſe de Tractatu ſuo de antiqua Eccleſiæ diſciplina in Divinis celebrandis officijs affirmavit, de reliquis omnibus ab eodem editis affirmare liceat; *a ſe,* nempe, *nihil in hoc tractatu dictum, quod firmiſſimis non ſit fundamentis innixum, cùm nihil*

hic

hic ſcribere præſumpſerit, quod probatiſſimorum Auctorum aſſertionibus, uſu, & praxi non ſit undique firmatum.

Neque tamen doctior, quàm modeſtior, & ad errata, ſi quæ prudenter, ac rectè moneatur, corrigenda promptior eſt Marteneus, eos ſolùm homines averſatus, & negligere ſolitus, qui non meliori rerum cognitione, ac judicio inſtructi, ſed præcoci quodam impetu, ac proritu incitati ad cenſendos aliorum labores deferuntur. Hinc cùm ab ejusmodi quopiam quædam in Nova veterum Scriptorum collectione quàm *laudando* * *fratrum ſuorum exemplo ſuſceperat*, notata intelligeret: his verbis publicè reſpondit: „ Neque „ enim nos pudere debet aliquando „ emendare, ſi quod fortè incautum, aut „ à veritate diſſonum dictaverimus: per- „ gratumque nobis ſemper facient amici „ noſtri, aut quivis alij, ampliſſimáſque „ ei reddemus gratias, cùm nos errantes „ ex caritate corrigent, atque eorum cen- „ ſuræ ex animo ſubſcribemus, cùm nos „ erráſſe certiſſimis demonſtrabunt argu-

* Præf. Col. Nov. p. 2.

„ mentis. Verùm qui nos injuria, & „ absque ratione reprehendent, non „ eamdem animi ſubmiſſionem à nobis „ exſpectare debebunt. Quapropter ne- „ glexi hactenus emendationes in Carmi- „ ne Orientij tomo primo novæ Colle- „ ctionis Veterum Scriptorum à me vul- „ gato, factas præterito menſe Auguſto à „ neſcio quo correctore, utpote vel om- „ nino inutiles, & non neceſſarias, vel „ absque judició, aut mala omnino fide „ vulgatas. Ita vir *ab omni contentione alienus*, quem ineptæ ejusmodi cenſuræ minimè movent, quo minùs alacriter in eruendis veteribus Eccleſiæ monumentis unacum Domno Duranto, laborum ſocio verſetur, eave merita, quæ adhuc in Rempublicam Litterariam contulit, novis cumulare contendat.

Opera.

LA *vie du Venerable Pere Dom Claude Martin, Religieux Benedictin de la Congregation de S. Maur*. i. e. *Vita Venerabilis* Patris *Domni Claudij Martini*

tini, Religioſi Benedictini è Congregatione ſancti Mauri. 8. *Turonibus* 1697.

Maximes Spirituelles du Venerable P. D. Claude Martin Religieux Benedictin de la Congregation de S. Maur, tirées de ſes ouvrages, & confirmées par les ſentimens de SS. Peres. i. e. *Axiomata Spiritualia Venerabilis P. D. Claudij Martini, Religioſi Bened. è Congreg. S. Mauri, ex ejusdem operibus excerpta, & SS. Patrum ſententijs confirmata.* 12. *Rotomagi* 1698.

De Antiquis Monachorum Ritibus Libri quinque collecti ex varijs ordinarijs, Conſuetudinarijs, Ritualibusque MSS. ex antiquis Monachorum Regulis, ex diverſis ſanctorum Actis, Monaſteriorum Chronicis, & Hiſtorijs, aliisque probatis Auctoribus permultis. 4. *Tomi duo. Lugduni ſumptibus Aniſſon, Poſuel, & Rigaud* 1690.

Commentarius in Regulam S. P. Benedicti Litteralis, Moralis, Hiſtoricus, ex variis antiquorum Scriptorum commentationibus, Actis ſanctorum, Monaſteriorum ritibus, aliisque monumentis cum editis, tum manuſcriptis concinna-

 tus.

tus. 4. *Pariſiis. Excudit Franciſcus Muguet* 1690.

Veterum Scriptorum, & Monumentorum Moralium, Hiſtoricorum, Dogmaticorum, ad res Eccleſiaſticas, monaſticas, & politicas illuſtrandas, Collectio Nova. Tomus Primus. 4. *Rotomagi ſumtibus Guillelmi Behourt* 1700.

De antiquis Eccleſiæ Ritibus Libri Quatuor. Collecti ex varijs inſigniorum Eccleſiarum Libris Pontificalibus, Sacramentariis, Miſſalibus, Breviariis, Ritualibus, ſeu Manualibus, Ordinarijs ſeu Conſuetudinariis, cùm Manuſcriptis tum editis; ex diverſis Conciliorum Decretis, Epiſcoporum Statutis, aliiſque probatis auctoribus permultis. Liber Primus complectens hiſtoricum de Diſciplina in in Sacramentorum adminiſtratione Tractatum. Pars Prima. in qua de Baptiſmo, Confirmatione, & Euchariſtia agitur. 4. *Rotomagi ſumptibus Guillelmi Behourt* 1700.

De antiquis Eccleſiæ Ritibus &c. Libri Primi Pars ſecunda, in qua de Pœnitentia, Extrema-unctione, Sacris Ordina-

dinatoinibus, & Matrimonio agitur. 4. *ibid. apud eund.* 1700.

De antiquis Eccleſiæ Ritibus &c, Tomus tertius, complectens librum ſecundum & tertium, in quibus Ritus ad ſacras benedictiones atque ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantes, commentarijs illuſtrati repræſentantur. 4. *ibid. apud eund.* 1702.

Tractatus de Antiqua Eccleſiæ Diſciplina in Divinis celebrandis Officiis, varios diverſarum Eccleſiarum ritus, & uſus exhibens, Italiæ, Germaniæ, Hiſpaniæ, Angliæ, & maximè Galliæ. 4. *Lugduni ſumtibus Aniſſon & Joannis Poſuel* 1706. *Hic Tractatus eſt liber quartus* univerſi operis de Antiquis Eccleſiæ Ritibus, &c.

Eôdem curante ſub prœlo ſudare dicitur *Theſaurus Anecdotorum*, Quinque Voluminibus in fol. conſtans; quorum duo priora exhibeant diverſas Romanorum Pontificum & Regum Epiſtolas, ac Proceſſum Joannis vigeſimi ſecundi; Tertium Chronica, & alia monumenta Hiſtoriam Eccleſiaſticam ac profanam ſpectantia; Quartum Concilia; Quintum

varia opera Auctorum, qui à ſæculo Chriſti quarto uſque ad quartum decimum vixerunt.

Idem denique Marteneus de *Spicilegio Acheriano, Antiquis Caniſij Lectionibus, Miſcellaneis Baluzij*, alijsque hujusmodi collectionibus ſub prœlum revocandis, ſeriò cogitare fertur.

CAPUT XIV.

D. Guillelmus Beſſin.

VItæ Guillelmi Beſſin primordia Chriſti annum milleſimum, ſexcenteſimum quinquageſimum quintum ſpectant. Is ex oppido *de Glos* diœceſis Ebroicenſis exſtitit, ac poſtquam ſacratioris vitæ propoſitum interpoſitis ſolemnibus votis Septimo Idus Januarij anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſeptuageſimo quarto in monaſterio Gemmeticenſi firmavit, ſuo merito inter eos honorificum locum obtinuit, qui Congregationem ſanctiMauri eruditis laboribus illuſtriorem reddiderunt, & quotidie reddunt. Eum Domnus Dionyſius Sanct- Marthanus, cùm novam

vam operum ſancti Gregorij M. editionem decreviſſet, in laborum conſortium adſcivit, expertus virum & animi modeſtia, & veteri eruditione ſingularem. Ad hunc diem, quô iſthæc litteris commendamus, ſpiritum ducit.

Opera.

R*Eflexions ſur le nouveau ſyſteme du R.P. Lami, de l' Oratoire, touchant la derniere Paſque de N. S. JEſus Chriſt.* i. e. *Animadverſiones in novum Syſtema ultimi Paſchatis D. N. JEſu Chriſti, à R.P. Lamio, Presbytero Oratorij excogitatum.*

Præterea in nova Operum Gregorianorum editione, à Dionyſio Sanct - Marthano procurata, *Epiſtolas* Magni hujus Pontificis in ordinem digeſſit, ac eruditis notis illuſtravit.

Idem Beſſinus omnia Concilia in Nortmannia habita typographis fertur dediſſe conſcribenda.

Cap.

CAPUT XV.

D. Bernardus de Montfaucon.

BErnardus de Montfaucon, ſeu Montfalconius in Caſtro Rupis ſciſſæ, Francis *Roquetaillade*, Diœceſis Electenſis, vitam inchoavit. Nomen ſuum monaſtico ſacramento ſolemnitèr obtulit in monaſterio B. Mariæ Deauratæ apud Toloſates Idibus Maij anno mileſimo, ſexcenteſimo, ſeptuageſimo ſexto, ætatis annum primum & vigeſimum jam adeptus. Is ex primis fuit, quos ſapientiſſimi Congregationis S. Mauri Moderatores ad Græcas Litteras auſpicatò transtulêre. Ad has, cùm Bernardus etiam Hebraicæ linguæ cognitionem, Antiquitatum Romanarum, Græcarúmque tamEccleſiaſticarum quàm profanarum ſtudium, perpetuam denique optimorum quorumque Autorum tractationem, ac ex Græcis in Latinum transferendi uſum adjunxiſſet, poſtea in omni eruditionis genere eminere, & quodam modo regnare viſus eſt. Pro teſtimonio

dicet

dicet ejus Palæographia Græca, opus, quo eruditorum omnium conſenſione *immortalem laudem meruit.* * Id dividitur libris ſex, quorum primo, qui *de Inſtrumentis Græcorum ad ſcriptionem, de chartis, de libris, de amanuenſibus, & eorum notis* inſcribitur, de atramento, & alijs liquoribus ad uſum Græcorum, de picturis codicum ad rerum repræſentationem, de chryſographia (ubi de inſtrumentis arandi & ſcholiaſte Heſiodi manuſcripto) de philyra, tilia, papyro Ægyptiaca, charta plumbea, tabellis ceratis, charta elephantina, coriacea, membranea, & de bombycinæ uſu, ac vetuſtate, de pugillaribus, & de libris linteis, porro & de ſtylo, calamo & penna (qua occaſione ſchemata S. Lucæ, & Halicarnaſſæi ſcribentium, ex antiquis exemplaribus deprompta exhibentur) de nominibus & forma librorum, ſive interius, ſive exterius ſpectata, de operimentis, ſcilicet quaternionibus, de columnis, de diſtinctionibus, de interpunctione, ac ejus ortu, & carptim de proſodia, de contacijs, & diptychis, de Scribis etiam & Amanuenſibus, de

* Act. Erud. Lipſ. an. 1709. p. 94.

de Calligraphis nimirum & Notarijs, de Chryſographis varijsque Calligraphorum ritibus & notis agitur. Unde porrò in eodem libro notæ, ac nomina Calligraphorum à tertio ſæculo ad decimum ſextum adduntur, & de regionibus quoque ac locis, ubi Græca ſcriptio frequentata fuit, quædam adnotantur.

Liber ſecundus, *de Origine litterarum Græcarum & de progreſſu earundem usque ad quintum à Chriſto nato ſæculum* inſcriptus, literarum Græcarum originem ex Phœnicibus derivat, & præter literarum priſcam formam ac ſchemata marmorum Baudelotiani & Farneſiani, charactere Jonico veteri Scriptorum, alphabetum ex marmore Grimano, alphabeta item ex nummis Antiochorum & Ptolemæorum, ſiglasque, & monogrammata exhibet, ubi & de mutationibus, quæ primis Imperij Romani temporibus in Græcis litteris factæ ſunt, nec non de Abraxeis figuris & litteris, de ſchematibus animalium Deitatúmque Ægyptiarum, earumque commixtione cum Chriſtianis myſterijs, quibus adduntur alphabeta Baſilidianorum Cræca, ut & inſcriptiones

An-

Ancyranæ, quarum pars inedita, aliaque Græca ad Auguſtorum priora ſæcula pertinentia.

Libro tertio, *Exempla librorum antiquiſſimorum, unciali charactere quinto, ſextove ſæculo ſcriptorum*, complexo, ubi de vetuſtiſſimis libris membraneis agit Bernardus, in quibus characteres unciales alij quadri, alij rotundi ſunt ſine accentibus, ſpecimina codicum, Colbertini, Regij, Cæſarei, & Baſiliani, producit, pariterque duorum codicum, Dioſcoridis Cæſarei, qui ſexto ineunte ſæculo, curante Juliana Auguſta, ſcriptus eſt cum figuris, & Neapolitani paris ætatis, nec non codicis Cræci corticei Turonenſis, ſine accentibus, & ſpiritibus ſcripti. Inde ad codices ſeptimi ſæculi pergens purpureum Neapolitanum cum accentibus, exemplum item codicis Colbertini, ſpecimina exemplarium, Regij, & Sangermanenſis, & alphabetum Pſalterij Murbacenſis exhibet, ac denique noni quoque ſæculi ſpecimina Græca apud Latinos ex Pſalterio Monaſterij ſancti Michaëlis in Lotharingia, quod Sedulij Scoti manu exaratum fuit, aliiſque codicibus affert.

De

De characteribus porro *ligatis ſive ductu calami conjunctis* libro Quarto agens, formam ſcriptionis Græcæ noni, ac decimi ſæculi è codicibus, Florentino & Patavino, explicat, plurimaque decimi inprimis ſæculi ſpecimina inter ſe diverſiſſima propinat, & de Cryptographia quoque Græcorum eruditè diſſerit. Denique in eodem libro ſæculorum, undecimi, duodecimi, decimi tertij, & decimi quarti ſpecimina notatu digniſſima profert, quibus Libro Quinto *Tabulas* omnium formarum Græcæ ſcriptionis, abbreviationum item nominum propriorum, aliarumque (ubi etiam de ſphalmatibus per abbreviationes ſeu compendia in exemplaria edita invectis quædam commemorat) & monogrammata, demumque libro ſexto *Diplomata* quædam *Græca*, quæ ad Regnum Neapolitanum attinent, ſubjungit. Accedit ultimo loco Deſcriptio montis Atho à Joanne Comneno, Græco vulgari idiomate edita, & nunc Latinè verſa cum gemino montis proſpectu in ſchemate delineato. Hæc erudititiſſimi operis facies, ad quod ſplendidiùs adornandùm plurimum contulit Iter Italicum, quod

quod Bernardus anno milleſimo, ſexcenteſimo, nonageſimo octavo cum Domno Paulo Brioyſio ſuſcepit. Nam licèt principem profectionis ſuæ cauſam fuiſſe perhibeat, anecdota Sanctorum Patrum ope manuſcriptorum Codicum eruenda; quippe qui poſt curatam Sancti Athanaſij editionem, probè intellexerit, nonniſi luſtratis Italiæ bibliothecis, poſtremam Græcis Patribus manum commodè admoveri poſſe; religioni tamen ſibi duxit, ab alijs notatu dignioribus prorſus abſtinere. Plurima proinde Antiquitatis monumenta quà Græca, quà Latina, cùm ex bibliothecis, ac Muſæis, tum ex marmoribus eruit, Chronica etiam, hiſtorias, diplomata, manuſcripta, inſcriptiones, Abraxeas figuras, & alia id genus in ſuis commentarijs conſignavit, quorum haud pauca tum in hoc, tum in alijs Operibus in uſus publicos exprompſit.

Romæ, cùm eſſet, non ſolùm àb omnibus eruditis viris in amplexum admiſſus, ſed etiam à Clemente XI. P. M. * *Benignè habitus fuit.* Nec nunc quiſquam doctorum hominum in Italia, Germania,

* Collect. nov. Tom. 1. in Didie.

Belgio, & Anglia eſt, qui Bernardi Montfalconij ſine honore meminerit, id quod non in unam ſummam Viri eruditionem, ſed præcipuè in ſingularem ejusdem modeſtiam, humanitatémque referendum eſt. Quæ etiam virtutes in cauſa ſunt, quòd amplioribus, quibus clariſſimum ejus nomen ornare poſſemus, laudibus temperemus. Deumque obnixè rogemus, ut Doctiſſimo Viro ad pulcherrima, Reique Litterariæ utiliſſima conſilia, in opus redigenda, vires largiter, conſtantérque impertiatur.

Opera.

ANalecta Græca, ſive varia opuſcula Græca hactenus non edita; ex manuſcriptis codicibus eruerunt, latinè verterunt, & notis illuſtrarunt Monachi Benedictini Congregationis S. Mauri. 4. *Pariſiis apud viduam Edmundi Martini* 1688. Hi Monachi fuêre Jacobus Lopinus, Antonius Pugetus, & Bernardus de Montfaucon, qui in hac collectione *Typicum, ſeu Regulam Monaſterij Gratiaplenæ ab Imperatrice Irene Ducæna, Alexij Com-*

Comneni uxore pro monialibus ſcriptam, & Excerpta ex Heronis Geometria, Antiquum rationarium Auguſti Cæſaris, novúmque Alexij Comneni, ac denique Tractatum de menſuris, & ponderibus Latinè interpretatus eſt.

La Verité de l' Hiſtoire de Judith. i. e. *Veritas Hiſtoriæ Judithæ adſtructa.* 12. *Pariſiis* 1690. *apud Simon Langronne.*

Sancti Patris *noſtri Athanaſij, Archiepiſcopi Alexandrini Opera omnia, quæ extant, vel quæ ejus nomine circumferuntur, ad ms. codices Gallicanos, Vaticanos, &c. necnon ad Commelinianas lectiones caſtigata, multis aucta: nova interpretatione, Præfationibus, Notis, varijs lectionibus illuſtrata: nova ſancti Doctoris vita, Onomaſtico, & copioſiſſimis indicibus locupletata. fol. Tom. III. Pariſiis ſumptibus Joannis Aniſſon* 1698.

Vindiciæ Editionis Auguſtini à Benedictinis adornatæ, adverſus epiſtolam Abbatis Germani. 12. *Romæ* 1699. . .

Diarium Italicum, ſive monumentorum veterum, Bibliothecarum, Muſæorum &c. Notitiæ ſingulares in Itinere Italico collectæ. 4. *Pariſiis apud Joannem Aniſſon* 1702. *cum fig.*

Collectio nova Patrum & Scriptorum Græcorum, Euſebij Cæſarienſis, Athanaſij, & Coſmæ Ægyptij. Hæc nunc primùm ex manuſcriptis Codicibus Græcis, Italicis, Gallicanisque eruit, Latinè vertit, Notis, & Præfationibus illuſtravit D. Bernardus de Montfaucon. fol. Tomi II. Pariſiis ſumptibus Claudij Rigaud 1707.

Palæographia Græca, ſive de ortu & progreſſu Litterarum Græcarum & de variis omnium ſæculorum ſcriptionis Græcæ generibus, itemque de Abbreviationibus, & de Notis variarum Artium ac Diſciplinarum additis figuris, & ſchematibus ad fidem manuſcriptorum Codicum. fol. Pariſiis 1708. *apud Ludovicum Guerin & Carolum Robuſtel.*

Le Livre de Philon, de la vie contemplative, traduit ſur l'Original Grec, avec des obſervations, ou l' on fait voir, que les Therapevtes, dont il parle, etoient

de

de veritables chretiens. i. e. *Liber Philonis de vita contemplativa, ex Græcis fontibus in Francicum traductus cum obſervationibus ac notis, in quibus oſtenditur,* Therapevtas, *de quibus Philo loquitur, veros ac genuinos Chriſtianos fuiſſe.* 12. *Pariſiis* 1709. . . .

Bernardi de Monte-falconis M. B. è Congregatione S. Mauri, Epiſtola ad * * * *: an vera narratio Rufini de baptizatis pueris ab Athanaſio puero? Item de tempore mortis Alexandri Epiſcopi Alexandrini, ac de anno obitûs Athanaſij Magni, fol. & in* 8. *Pariſiis* 1710. . .

Lettres au R. P. Dom-Bernard de Montfaucon, ſur la religion des Therapevtes, avec ſa reponſe. i. e. *Epiſtolæ ad R. P. D. Bernardum de Monte-falconis de Therapevtarum religione, cum ſuo reſponſo.* 12. *Pariis* 1712. . . .

Hexaplorum Origenis, quæ ſuperſunt, multis partibus auctiora, quàm à Flaminio Nobilio & Joanne Druſio edita fuerint: ex MSS. & libris editis eruit, & notis illuſtravit D. Bernardus de

Montſaucon. fol. Tomi II. Pariſiis apud Ludovicum Guerin &c. 1713.

Bibliotheca Coisliniana olim Segueriana, ſive Manuſcriptorum omnium Græcorum, quæ in ea continentur, accurata deſcriptio, ubi operum ſingulorum notitia datur, ætas cujusque Manuſcripti indicatur, vetuſtiorum ſpecimina exhibentur, aliaque multa annotantur, quæ ad Palæographiam Græcam pertinent. Accedunt anecdota bene multa ex eadem Bibliotheca deſumpta cum interpretatione Latina. fol. Pariſiis apud Ludovicum Guerin & Carolum Robuſtel. 1715.

Nunc Bernardus totus in edendo *Chryſoſtomo* eſt, idque præprimis dat operam, ut in nova hac editione nec ad Lectoris commodum, nec ad ſincerarum lectionum, notarumque, ſelectum, nec ad translationis integritatem, perſpicuitatemque quidquam deſiderari à quoquam poſſit. Dicitur præterea vaſto cuidam de Antiquitatibus Operi inſudare, quod æneas tabulas mille ducentas, & figurarum amplius triginta millia complexurum ſit.

Cap.

CAPUT XVI.

D. Guillelmus Rouſſel.

GUillelmum Ruſſelium Concha, in Diœceſi Ebroicenſi genuit, & educavit. Is, ubi optimarum Litterarum rudimenta percepiſſet, in ipſo ætatis flore, anno nimirum ætatis vigeſimo mundi ludibria declinavit, Ordinemque ſancti Benedicti, quem elegantiſſimo ſuo ingenio hodieque ornat, amplexus, apud Monaſterium Beatæ Mariæ de Lyra, omne animi arbitrium Deo ſolemniter dono fixit Nono Calendas Octobris, anno milleſimo, ſexcenteſimo, octogeſimo.

Opera.

L*Ettres choiſies de S. Jerome, traduites en François.* i. e. *Selectæ ſancti Hieronymi Epiſtolæ in Francicum ſermonem translatæ.* 8. *Pariſiis* 1704.

Edidit etiam *Epitaphium Domni Johannis Mabillonij* quod Libri primi capiti trigeſimo quinto inſertum habes.

CAPUT XVII.

D. Renatus Maſſuet.

RENatus Maſſuetus ex vico ſancti Audoëni de Mancellis, Diœceſis Ebroicenſis, ad Ordinem ſancti Benedicti acceſſit admodum adoleſcens, ut qui ſolemnia vota in Monaſterio Beatæ Mariæ de Lyra Tertio decimo Calendas Novembris anno milleſimo, ſexcenteſimo, octogeſimo ſecundo nuncupaverit, annos natus ſeptendecim. A primordio ætatis honeſtiſſimis doctrinarum ſtudijs deditus, celeres in omni propè genere proceſſus adeptus eſt. In Theologicis cæteros antecelluit, libroſque ſententiarum ſuis ſodalibus è ſuggeſtu magna cum laude interpretatus fuit. Hoc munere expleto, ad illuſtrandum, & vindicandum ſanctum Irenæum hac occaſione ſe tranſtulit. Prodierat nempe anno milleſimo, ſeptingenteſimo, ſecundo, Oxonij in Anglia nova, omnibus prioribus accuratior & elegantior Operum Irenæi editio, ſtudio & opera viri clariſſimi Joannis Erneſti Grabe, variorum, ipſiúſque

que notis illuſtrata, & novis fragmentis locupletata, Hanc editionem commendabat typorum elegantia, in exquirendis, ac colligendis novis Fragmentis Græcis non indiligens cura, & in emendandis locis aliquot felix conjectura. Verùm quod in Fevardentio & Gallaſio eruditis diſplicuit, idem viro clariſſimo accidit. Nam illius exemplo meliora ſæpè cùm vidiſſet, probaviſſetque, deteriora tamen ſequutus, vitioſas, aut minùs ſanas lectiones amplexus eſt, obvijs & nativis in marginem rejectis: ac longè plura, quàm emendaverit, loca manifeſtè corrupta ne tentavit quidem, aut planè infeliciter. Gallaſium verò imitatus, Eccleſiæ Anglicanæ, cui ſe adjunxit, dum ſtudet impenſius, potior illi cura fuiſſe videtur, ut Irenæum etiam invitum & reluctantem Anglicanæ Sectæ adjungeret, quàm ut opus caſtigatius daret, & emendatius, Hinc tot notarum faſtidioſa prolixitas, ut leviſſima quæque verba, ſæpiſſimè nihil ad rem facientia diſtorqueat: in alijs verò locis parcior, Fevardentij, & aliorum notis, ijsque nullo delectu adſcitis, nihilque ad textus intelligentiam conferentibus, margines inferiores

 refer-

refercit: proprias ſuas, ſi quæ ſunt, eruditas licèt, cùm tamen eruditionis illa ſupellex ad auctoris ſententiam illuſtrandam parùm pertineat, Lectorum exiguo fructu auxit majorem in modum. Accedit, quòd in Oxonienſi hac editione ſervata veteri quidem, Irenæo tamen longè recentiori, at inepta prorſus capitum ſectione, lemmata interdum pro arbitrio ſuſtulerit, tranſtulerit, diſſecuerit, pluribusque non raró ſimul, non ſine diſpendio plurium capitum jam lemmatibus truncatorum, congeſtis, vel jisdem bis aut ter repetitis, confuſionem magis auxerit, quàm minuerit clariſſimus Grabius. Quid, quod Fragmenta Græca ſuis quidem locis opportunè inſerta, ſed ita incommodè diſpoſita ſint, ut perpetuo velut circuitu per paginas oberrare teneantur lectorum oculi, incerti ſæpe, quò ferri debeant? Sed hæc fortè Typographorum culpa fuit, quibus etiam id imputare debemus, quod tanta ſit illius editionis in transmarinis regionibus penuria, ut cùm non ſine maxima difficultate, majorique pretio comparari poſſet, eam prælis ſuis ſubijcere medita-

ditarentur Bibliopolæ Pariſienſes, & Amſtelædamenſes.

Itaque viris doctrina, & pietate conſpicuis viſum eſt non utilem modò ſed neceſſariam eſſe novam Irenæi editionem, quæ & accuratior eſſet, & à Catholicis inoffenſo pede decurri poſſet. Id laboris à quopiam è Congregatione S. Mauri ſuſcipi cupierunt; rati videlicet, nec immeritò, Irenæum, Apoſtolicum illum virum, * *Occidentalium Gallorum lumen*, ut vocat Theodoretus, tantæque auctoritatis ſcriptorem, non mereri minùs, quàm reliquos, ut in ejus operum accurata editione Benedictinorum verſaretur induſtria; & quod in alijs non pœnitendo ſucceſſu, quæ ex hac Congregatione prodierant, in iſta quoque, non minùs operoſa, quàm neceſſaria præſtare conarentur. Id igitur oneris impoſitum Renato Maſſueto, qui quidem detrectatum diutiùs, ſubijt tandem, ac tria ſibi potiſſimùm præſtanda eſſe duxit; textum emendare ac priſtino decori, ùt fieri potuit, reſtituere; eumdem illuſtrare; ac demum ea omnia lectoribus parare ſubſidia, quibus labor eorum minueretur. Ad

* Theodoret. Dial. 1. p. 33.

Ad primum quod attinet, cùm Græcus Irenæi textus, maxima ex parte, temporum injuria, dudum perierit, unusque ferè ſuperſit Latinus, jam inſtar Archetypi; in hunc vires omnes contulit, ut emendatiſſimus, quàm fieri poterat, & ab inſperſis Librariorum culpâ nævis abſterſus prodiret. Hunc ad novos tres MSS. codices, à nullo hactenus recenſitos, attentiſſimè exegit. Primum è Bibliotheca Claromontani Collegij Soc. JEſu acceptum, utendum Maſſueto præbuit vir doctiſſimus, cujus humanitatem nunquàm non experti ſunt Congregationis Maurianæ Sodales, R. P. Joannes Harduinus, eidem Bibliothecæ Præfectus. Is optimæ notæ codex, cùm ante annos ut minimum octingentos ſcriptus ſit teſte eruditiſſimo piæ memoriæ D. Joanne Mabillonio, perito, ſi quis umquam, talium rerum æſtimatore, omnium, ad quas priores editiones factæ ſunt, videtur antiquiſſimus. Mutilus tamen eſt; avulſis enim poſtremis folijs pluribus, extremis ferè decem capitibus decurtatus manet liber quintus. An caſu, an improvido ſcioli cujuspiam (cui fortè diſplicuerit Millenariorum error ab

Irenæo

Irenæo propugnatus) zelo id acciderit, obſcurum eſt. Certùm Maſſueto eſt, integrum olim fuiſſe codicem; cùm pars vigeſimi ſexti capitis adhuc ſuperſit. Cætera deinceps ad libri finem interierunt. Hinc Claromontanum codicem diverſum eſſe à Fevardentiano manifeſtum videtur: hic enim integer fuit, ille verò multò emendatior. Alterius codicis varias lectiones toto libro primo & prioribus octo libri ſecundi capitibus Paſſeratij manu deſcriptas ad oram unius exemplaris editionis Eraſmi, ab uno è Reverend. Patribus Dominicanis vici S. Honorati, Pariſienſis Urbis, amico ſuo accepit. Quin è MS. codice, eoque perantiquo, ac bonæ notæ, & à Fevardentiano, Claromontano, & Voſſiano diverſo excerptæ ſint, nullus ambigendi eidem locus eſt, nec alijs putat futurum, qui eas cum laudatorum codicum lectionibus contulerint. Quis ſit ille codex, & ubi nunc deliteſcat, hactenus deprehendere non potuit Noſter, nec adeò ægrè amiſſum tuliſſet, ſi cæteras varias lectiones ad libri ſui marginem notare perrexiſſet Paſſeratius. Tertius Codex quo uſus eſt, recens ac chartaceus, annos quadrin-

dringentos non excedit, nec poſteriora quinque libri quinti capita continet. Is Romæ aſſervatur in Bibliotheca Eminentiſſimi Cardinalis Otthoboni: quem quidem vir optimus, ac de Litteris tam benè meritus D. Bianchinus, pro ſingulari ſua in noſtros humanitate, communicavit cum RR. PP. Domno Guillelmo La Parre, Congregationis ſancti Mauri in Curia Romana Procuratore Generali, ejusque ſocio D. Claudio de Vic, qui varias ejus lectiones, pro ſua benignitate deſcribere, & ad Maſſuetum transmittere dignati ſunt. In ſubſidium acceſſerunt ij codices, quibus in adornandis editionibus ſuis uſi ſunt tum Franciſcus Fevardentius, tum clariſſimus Joannes Erneſtus Grabius, quorum varias lectiones ad oram editionis ſuæ non indiligenter (Grabius præſertim) adſcripſerunt. Præter MSS. codices, edita exemplaria, antiquiora præſertim, conſulere non piguit, eáque interdum, ubi MSS. codices vel depravati, vel minùs ſani eſſe videbantur, præponere. Sic factum, ut Irenæi textum plurimis adhuc in locis vel ſcribarum ſeu imperitia vitiatum, ſeu oſcitantia mutilatum, vel ſciolorum audacia redun-

dundantem, aut interpolatum, caſtigarit; additis, quæ deerant, reſectis, quæ abundabant, rectè diſtinctis, quæ malè cohærebant: adeò ut pauca jam supereſſe videantur, in quibus lectionis difficultas lectorem poſſit remorari. Non minor in recognoſcenda ea parte Græci textus, quæ extat, cura fuit adhibita; quamvis deficientibus MSS. minori ſucceſſu. Cùm autem textus Græcus integer, temporum injuria, jam dudum perierit, ſupererat, ut diſperſa undique Fragmenta conquirerentur; quod & ſollicitè factum eſt. Quæcunque enim ſeu veteres conſervarunt, ſeu recentiores ediderunt, ſeu aliæ editiones exhibent Irenæi Fragmenta, ſive eorum, quæ ſuperſunt, ſive quæ interierunt, operum, ac nova protulit, clariſſimus Grabius, ex variis auctoribus cum editis, cum manuſcriptis eruta; & Maſſueti exhibet editio, ſed interdum auctiora & emendatiora, iis addiditis, quæ ipſe collegit, vel amici ſuppeditarunt, omnia eo ordine collocata atque diſpoſita, qui Fevardentiano & Grabriano longè commodior ſit. Irenæi textum à mendis purgare parum fuiſſet, niſi

rectè

rectè diſtinctus, atque diviſus prodiret. Diſtinctioni conſulunt conſuetæ diſtinctionum notæ aptè, quantum licuit, quæque ſuis locis repoſitæ; diviſioni verò nova capitum ſectio, novaque ſingulis præfixa lemmata. Factum id, quod vulgata diviſio, & antiqua lemmata non Irenæo, ſed imperito cuipiam recentiori tribuenda certiſſimè Maſſueto viſa ſint: tum quod ſectiones capitum ſæpe abſurdiſſimæ ſint, non minùs quàm argumenta, quæ auctoris ſententiam obſcurant potius, quàm repræſentant. Nihil tamen actum eſt, niſi ex doctiſſimorum hominum conſilio, idque in prioribus quatuor libris dumtaxat: nam in quinto Fevardentiana diviſio & lemmata ferè ſervata ſunt.

Alterum, quod pro officij ratione agendum ſibi hac in editione duxit doctiſſimus Renatus, textûs illuſtrationem ſpectat. Cùm enim vel ex tractati argumenti difficultate, vel ex Latini interpretis imperitia, obſcuriſſimus interdum ſit Irenæus; textum emendare, emendationumque rationem reddere ſatis eſſe non videbatur, niſi etiam caligo verbis offuſa di-

diſpelleretur. Monet Irenæus ipſe, * *portentuoſiſſima & altiſſima eſſe* Gnoſticorum *myſteria, quæ non omnes capiunt.* Hæc quidem, quàm dilucidè fieri poterat, aperit, & confutat, ſicque toto opere inſectatur, ut ab ijs nunquam oculos avertat: ita tamen, ut qui his in rebus mediocriter verſati ſunt, totumque tum auctoris ſcopum, tum adverſariorum ejus hypotheſim non ſatis attentè conſiderant, interdum animi pendeant, incerti vel quid ſignificent ſalebroſæ, & obſcuræ, ſed ut plurimum interpretis culpâ, ſermonis ambages, vel quorſum ſpectet oratio. His cùm præ cæteris conſulendum fuerit, eorumque tædio ac labori parcendum, difficilia quæque loca ſubjectis textui notis, quàm breviſſimè potuit, explicare conatus eſt Maſſuetus, adſcitis etiam doctorum virorum obſervationibus, quæcumque ad auctoris intelligentiam conducere viſæ ſunt, ſed laudato ſemper auctorum nomine. Non commiſit tamen, ut margines gravaret ijs notis, quæ ad eruditionis oſtentationem dumtaxat, vel ad dogmata & fidei controverſias pertinent, niſi quan-

* Præf. Lib. 1. p. 3.

do paucis verbis abſolvi potuerunt: ratus videlicet, proprioque doctus experimento, lectoribus nihil moleſtius eſſe, quàm ut ſingulis ferè veſtigijs, interpoſitis moris, inſiſtere cogantur. Satius eſſe duxit, ea, quæ fuſiori & accuratiori examine indigebant, non quidem in ipſa Præfatione, ne in immenſum cum rectæ methodi diſpendio creſceret; ſed ſingularibus Diſſertationibus pertractare, in quibus res quæque ſuo ordine, & continua ſerie expenderentur. Tres igitur operi præmiſit: in prima de ijs omnibus, quàm accuratiſſimè potuit, diſſeruit, quæ ad hæreticorum, contra quos ſcribit Irenæus, perſonam, ætatem, mores, ſcripta, & dogmata pertinent; fontes, è quibus impura doctrina profluxerit, aperuit; *altiſſimáq;* eorum *myſteria* ſcrutatus, quid ſub ænigmatico verborum cortice deliteſceret, retegere conatus eſt. In ſecunda quidquid de Irenæi vita & geſtis, martyrio, ſcriptis, ac potiſſimùm de quinque libris *Detectionis & everſionis falsò cognominatæ agnitionis*, (hunc enim genuinum eſſe eorum titulum ibidem oſtendit) de operis hujus conſilio, atque methodo, quidquid denique

que de alijs ſancti Doctoris ſcriptis deperditis in veterum monumentis occurrit, ſtudiosè collegit, ac pro virili ſua parte explicuit. In tertia demum totam ſancti Epiſcopi doctrinæ ſeriem evolvit: leviora, ſi quæ ſint, offendicula, ne in ea temerè quispiam impingeret, patefecit; quod obſcurius fuit, illuſtravit; quod alienum & malè affictum, reiecit; quod ab hæterodoxis pravè contortum, vanisque cavillationibus obſcuratum, explanavit, vindicavit, & aſſeruit. Itaque hæc initio Operis præmiſit Maſſuetus, ut lector inoffenſo pede poſſet Irenæi libros decurrere.

Tertium denique, quod in animo Editoris eruditiſſimi fuit, Lectori videlicet ea parare & offerre ſubſidia, quibus labor ejus minuatur, ſic exſecutus eſt. Præter tres ſuperiùs memoratas Diſſertationes, easque omnes notas & obſervationes, quibus difficilia Irenæi loca elucidare conatus eſt; ac novam capitum ſectionem, novaque lemmata, & ſummulas, quibus auctoris ſcopus & argumentum oculis exhibetur, in quibus omnibus nulli non plurimum opis fuerit, præter hæc, inquam, acceſsêre quatuor ampliores locupletiores-

que, quàm hactenus prodierint, Indices. Primus eſt Græcarum vocum Gloſſarium, ſeu Lexicon; ſecundus Latinarum difficiliorum, & ab uſu communi remotiorum, quarum ſignificata vel Irenæo, ſeu ejus interpreti propria, vel non adeò obvia ſunt. Tertius eſt, eorum, quæcumque profert Irenæus, Scripturæ ſacræ teſtimoniorum; adnotata etiam, ſi quæ interdum occurrat, in citando uno & eodem teſtimonio diverſitate; ut ea ratione Scripturæ ſacræ ſtudioſi Irenæi codices ſacros cum noſtris comparare facilè poſſint, quidque diſcriminis (leviſſimi certè) inter utroſque intercedat, obſervare. Quartus denique, rerum omnium præcipuarum, quæ tum apud ipſum Irenæum, tum in Diſſertationibus & notis occurrunt; addito etiam in fine altero pro aliorum notis Indice.

Hoc in edendo Opere, quod eruditorum omnium voces in plauſum poſtea excivit, dum totus fervebat Renatus, inopinata, acerbaque toti Ordini noſtro, imò & Reipublicæ Litterariæ tum inclytæ memoriæ Domni Johannis Mabillonij, tum diſcipuli ejus Domni Theoderici Ruinarti mors accidit, quæ Annalibus Benedicti-

dictinis grave damnum intulit, & irreparabile. Igitur ne ſplendidiſſimum id opus inchoatum relinquerent Congregationis Præſides, virum, qui eruditione, ac ſcribendi peritia à Mabillonio & Ruinarto minimùm diſtaret, circumſpexerunt. Nec delectus alius, quàm Renatus Maſſuetus, qui nequiquam obluctatus, tandem provinciam Annales Benedictinos continuandi ſuſcepit, eamque in hanc diem magna contentione, judicio, ac laude adminiſtrat. Eſt Maſſuetus Latinè, Græcè, ac Anglicè egregiè doctus, ſuáque omnia oratione eleganti, munda, & acuta exponit. In rebus ordinandis magna dexteritate; in refellendis adverſarijs temperata acrimonia, in tractandis amicis ſuavitate, humanitate, ac multa modeſtia utitur. Deus virum doctiſſimum, & humaniſſimum longiſſimo tempore vivum, ac ſoſpitem præſtet!

Opera.

SAncti Irenæi Epiſcopi Lugdunenſis & Martyris Detectionis & Everſionis falsò cognominatæ Agnitionis, ſeu contra

 Hæ-

Hæreſes Libri quinque. Poſt Franciſci Fevardentij, & Joannis Erneſti Grabe recenſionem caſtigati denuo ad MSS. codices, Romanos, Gallicanos, & Anglicanos, nec non ad antiquiores editiones, & à multis, quibus adhuc ſcatebant, mendis expurgati: aucti novis Fragmentis Græcis; obſervationibus, ac notis, copioſiſſimisque Gloſſariis, & Indicibus illuſtrati, & locupletati; quibus omnibus præmittuntur tres Diſſertationes, in quibus hæreſes ab Irenæo memoratæ, & loci difficiles explicantur, ejusque vitæ ac geſtorum hiſtoria diſcutitur. fol. Pariſiis typis & ſumptibus Joannis Baptiſtæ Coignard 1710.

Annales Ordinis S. Benedicti, Occidentalium Monachorum Patriarchæ, in quibus non modò res monaſticæ, ſed etiam Eccleſiaſticæ hiſtoriæ non minima pars continetur, Auctore Domno Johanne Mabillon, presbytero & Monacho ejusdem Ordinis è Congregatione S. Mauri. Tomus Quintus, complectens res geſtas âb anno Chriſti MLXVII. ad annum MCXVI. incluſivè, cum Appendice, & Indicibus neceſſariis. ſol. Pariſiis ſumtibus

bus Caroli Robuſtel, typis Jacobi Vincent 1713. Hunc Tomum Maſſuetus edendum curavit, varijs in locis auxit, ac emendavit, Præfationemque cum Mabillonianæ & Ruinartianæ vitæ ſynopſi præfixit.

Idem nunc in conciñando hujus operis *Tomo ſexto*, & fortè ultimo verſatur.

CAPUT XVIII.

D. Michael Felibien.

MIchaëli Felibienio Carnutum, Belſiæ caput incunabula præbuit anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſexageſimo quinto. Litteris ad humanitatem dein excultus, Ordinem Benedictinum petijt, & in Monaſterio Beatæ Mariæ de Lyra ſolemnem votorum nuncupationem ſuſcepit Tertio Nonas Auguſti anno milleſimo, ſexcenteſimo, octogeſimo tertio. Is cùm judicio, animi candore, ac terſo, apertoque ſermone plurimùm valeret, poſtea Francicas Antiquitates ſedulò perveſtigavit, atque ad ſcribendam hiſtoriam ſe contulit. Hoc in ſtudio ita verſatus eſt,

ut nemo non Scriptoris accurati, ac veri amantis laudem Michaëli tribuerit. Adhuc in vivis eſt.

Opera.

H*Iſtoire de l' Abbaije Royale de S. Denys en France.* i. e. *Hiſtoria Regalis Monaſterij S. Dionyſij in Francia, complectens vitas Abbatum, qui ab annis MC. eidem præfuerunt, viros illuſtres, quos Eccleſiæ & Regno commodavit, privilegia item à ſummis Pontificibus atque Epiſcopis illi conceſſa, tum Regum, Principum, aliorumque benefactorum dona; cum deſcriptione Eccleſiæ omniúmque notabiliorum, quæ ibi continentur. fol. Pariſiis apud Fridericum Leonardum* 1706. *cum fig.*

La vie de Madame d' Humieres, Abbeſſe & Reformatrice de l' Abbaije de Mouchij, de l' Ordre de Citeaux, decedée le 20. *Janvier* 1700. i. e. *Vita Dominæ de Humieres, Abbatiſſæ, ac Reformatricis Monaſterij Muchienſis Ord. Ciſterc. quæ Decimo tertio Calendas Februarij an-*

no

no milleſſimo, ſeptingenteſimo obijt. Pariſiis 1711. . . .

CAPUT XIX.

D. Guido, Alexius Lobineau.

GUido Alexius Lobinovius, Redonenſis, vitam Benedictinam, quam annum ætatis ſeptimum decimum prætergreſſus mundi ſtudijs antepoſuit, ſolemni ritu profeſſus eſt in patrio ſancti Melanij monaſterio Decimo octavo Calendas Januarij anni milleſimi, ſexcenteſimi octogeſimi quarti. Eo tempore cùm alij Britanniæ minoris Proceres, tum imprimis Franciſcus de Cœtlogon, Epiſcopus Coriſopitanus ægerrimè ferebant, neminem hactenus extitiſſe, qui totius Britanniæ minoris Hiſtoriam univerſalem ab ultima gentis origine ad ſua uſque tempora juſta methodo pertexeret. Itaque Franciſcus, cùm exploratum haberet, in monaſterijs Ordinis ſancti Benedicti è Congregatione ſancti Mauri multa latere documenta manuſcripta, ad hiſtoriam Britanniæ facientia, autor fuit illius Ordinis Pa-

tribus, ut ad novas Britanniæ Annales condendos animum adijcerent. Placuit hoc conſilium imprimis Mauro Audreno, Priori Landevenecenſi, qui, adſcitis in ſocietatem viris ſuæ Congregationis doctiſſimis, novam patriæ ſuæ hiſtoriam moliri cœpit. Primum igitur ex clauſtris Benedictinis, deinde, cùm non ſufficere videretur apparatus, etiam ex Tabularijs provinciæ publicis, quidquid tabularum atque membranarum ad hunc finem ſpectantium reperiri potuit, conquiſitum, & incredibili labore in ordinem redactum eſt. Stylum, qui adhiberet, delectus eſt Domnus Antonius Paulus le Gallois, quem mors in ipſo operis exordio, anno nempe milleſimo, ſexcenteſimo, nonageſimo quinto, eripuit. In ejus igitur locum ſubſtitutus eſt Domnus Guido Alexius Lobinovius, qui poſtquam aliquot annos in digerendis rerum geſtarum monumentis conſumpſerat, tandem ſe ad ſcribendum applicuit, vaſtumque opus intra ſeptem annos ad umbilicum perduxit. Quanquam autem omnes boni hiſtorici partes ex amuſſim expleverat Lobinovius, auctoritate tamen ſtatuum Provincialium, quorum

rum cenſuræ ſubjectum fuerat Opus, deſignatus eſt R. P. de Caumartin, Abbas Buſcienſis, qui antequam prælo committeretur nova hæc hiſtoria, omnium rerum atque verborum momenta denuo expenderet. Atque ſic tandem ſumtibus publicis expreſſum typis eſt opus incomparabile, datis ad hunc finem ex ærario provinciæ viginti librarum Francicarum millibus: qua ſingulari Statuum Provincialium munificentia effectum eſt, ut opus & typo & figuris ornatiſſimum prodierit, ita nimirum, ut eruditi omnium gentium viri & Britanniam Lobinovio, & Lobinovium Britanniæ optimo utriúsque merito gratulati ſint, hodieque gratulentur; quorum etiam communi nomine Deum precor, ut virum doctiſſimum ſalvum & incolumem clementiſſimè conſervet.

Opera.

HIſtoire de Bretagne, compoſée ſur les titres & les Autheurs originaux. i. e. *Hiſtoria Britanniæ Minoris, ex Tabulis & Autoribus autographis com-*

compoſita. fol. Tomi II. Pariſiis apud viduam Franciſci Muguet. 1707.

Hiſtoire des deux conqueſtes d'Eſpagne par les Maures traduite de l'Arabe en 1589. *par Miguel de Luna, & miſe de nouveau en François.* i. e. *Hiſtoria Hiſpaniæ bis à Mauris occupatæ, ex Arabico in Francicum à Michaele de Luna anno* 1589. *tranſlata, & nunc de integro in eundem ſermonem converſa.* 12. *Pariſiis* 1708. . . .

CAPUT XX.

D. Julianus Garnier.

JUlianus Garnierius uti hac luce & aura cœpit in oppido de Conneray, Diœceſis Cenomanenſis anno præterlapſi ſæculi ſeptuageſimo. Deſpectis rebus humanis atque caducis cùm cucullum induiſſet, ſolemni voto ſe Deo, ſanctique Benedicti Regulæ ſubjecit in monaſterio ſancti Melanij Redonenſi anno milleſimo, ſexcenteſimo, nonageſimo Pridie Calendas Octobris. Exin minimè paſſus per ſocordiam vires, tempus, quod Cœnobi-

nobitica munia reliquum fecerant, & ingenium diffluere, litterarum tum latinarum, tum maximè Græcarum ſtudia diligenter coluit, nec unquam egregiarum rerum ſpem facere viris eruditis deſtitit. Eam utique non vanam fuiſſe, brevi nos docebunt *Opera omnia ſancti Baſilij Magni Græco-Latina*, quæ curante Garnierio hoc ipſo tempore ſub prælo gemunt, ac in quatuor tomos diſtributa jam edi cœperunt.

CAPUT XXI.

D. Antonius Auguſtinus Touttée.

ANtonius Auguſtinus Touttée, Riomi in Diœceſi Claromontenſi hanc vitam ingreſſus, ab ineunte ætate bonis moribus & litteris vacavit usque ad annum vigeſimum, quo Benedictinæ religioni ſe addixit. Anno ſequenti, qui erat à nato Domino milleſimus, ſexcenteſimus, nonageſimus octavus, in Monaſterio Vindocinenſi Quarto Calendas Novembris, dictis votis in ſancti Mauri

reli-

religioſiſſimum Cætum ſolemniter adſcitus eſt, cumque domeſticis virtutum, Doctrinarumque exemplis abundaret, ad ea ſe componere ſtudio maximo ſibi ſemper habuit. Ad Litterarum cultum, quod attinet, Græcis impenſiùs ſe applicavit, idque cum ſucceſſu minimè pœnitendo. Is nuper *Opera omnia Græco-Latina Sancti Cyrilli Hieroſolymitani, ad manuſcriptorum fidem exacta*, nulloque non eruditionis genere illuſtrata typis excudenda commiſit.

CAPUT XXII.

D. Franciſcus le Texier.

FRanciſcus le Texier vitam inchoavit in parœcia de Melece, diœceſis Redonenſis anno milleſimo ſexcenteſimo, octogeſimo quarto. Commendationem ineuntis ætatis à pietate, & optimarum litterarum amore duxit, cui magnas acceſſiones, attulit annus milleſimus, ſeptingenteſimus primus, quo in monaſterio ſancti Melanij Redonenſi, Decimo ſeptimo Calendas Aprilis monaſticen Bene-

nedictinam toto animo complexus eſt, atque ex hujus Ordinis more ſolemnia vota fecit: quippe qui deinceps diligentiam omnem ad comparandam ſibi cùm virtutem, tum doctrinam adhibuit. Cùm ſcholas Theologicas, ſeverioresque diſciplinas frequentaret, tam felices in his progreſſiones fecit, ut poſtea dignus ſuis Superioribus habitus ſit, qui ſuis ipſe ſodalibus Theologiam traderet; id quod etiam ſcitè, ac egregiè præſtitit. Inde digreſſus, ad eruditiſſimum Domnum Renatum Maſſuetum ſe adjunxit, monaſticamque Ordinis noſtri hiſtoriam ſibi pro viribus illuſtrandam deſumpſit. Itaque nunc ad *Tomum Decimum Actorum Sanctorum Ordinis ſancti Benedicti*, qui jam diu in plurimorum votis fuit, ordinandum, typiſque commendandum omnem curam, induſtriam, ac ſollicitudinem confert: nec dubitamus, quin æneis formis exſcriptus intra brevis temporis ſpatium in publicam lucem exiturus ſit.

Cap.

CAPUT XXIII.

D. Prudentius Maran.

PRudentius Maranus vivere incœpit Sezannæ in Diœceſi Trecenſi anno milleſimo, ſexcenteſimo, octogeſimo nono. Hic cùm prima artium & linguarum principia in ſæculo feliciter didiciſſet, conſiderata humanarum rerum vanitate in Benedictinum commilitium adſcribi petiit, eo quidem animo, ut ibi mundanis curis ſolutus Deo, ſuæque ſaluti liberiùs operaretur. Iis precibus, perſpecta inſuper egregia Juvenis indole, flexi Ordinis Patres Maranum non modò in tyronum numerum, ſed etiam anno milleſimo, ſeptingenteſimo, ſecundo, Tertio Calendas Februarij, in monaſterio ſancti Faronis Meldenſi ad ſolemnem monaſticorum votorum nuncupationem àdmiſêre. Ibi cùm ſacrarum litterarum meditationibus animum probè ſubegiſſet, ac etiam Philoſophiæ, & Theologiæ ſtadia cum laude confeciſſet, ſumpto à ſodalibus ſuis exemplo de Catholica Eccleſia benè mereri decrevit. Igitur *Sancti Juſtini*

ſtini Martyris ſcripta, quæ in hunc diem multis mendis atque erratis contaminata ſqualebant, ſibi perpurganda, dilucidanda, & omnimodis ornanda ſelegit. Atque hoc eſt opus, in quo nunc Prudentius Maranus, Vir Græcè non vulgariter doctus elaborat.

Hi ſunt Scriptores, hæc opera, quibus inclyta Congregatio ſancti Mauri univerſam non modò Franciam, ſed & univerſam Eccleſiam illuſtravit, tantúmque Ordini Benedictino ſplendorem conciliavit. Quòd ſi quæ hujus generis alia præter hìc à me recenſita ſeu Scriptorum, ſeu Operum aut jam editorum, aut imposterum edendorum nomina ſint, ea nulla invidia, malivolentia, vel alia mala arte ſuppreſſi, ſed ea fortean cauſa prætermiſi, quòd poſt diligentiſſimam ſingulorum perquiſitionem in ampliorem cognitionem devenire nequierim. Interim Eruditus & benevolus lector in his acquieſcat, & una mecum tot omnigena eruditione illuſtres Viros univerſæ Reipublicæ Litterariæ, ipſique præprimis Florentiſſimæ ſancti Mauri Congregationi ex animo gratuletur.

INDEX

Prænominum Scriptorum Benedictinorum è Congregatione Sancti Mauri in Francia.

A.

Alexius Guido *Lobineau* *libro* 2. *c.* 19.
Ambroſius Renatus *Janvier.* *libro* 1. *cap.* 12.
Andreas *Roze.* *lib.* 1. *c.* 33.
Anſelmus Franciſcus *Thevart.* *l.* 1. *c.* 13.
Antonius Auguſtinus *Touttée.* *l.* 2. *c.* 21.
Antonius *Beaugendre.* *l.* 1. *c.* 36.
Antonius Joſephus *Mege.* *l.* 1. *c.* 20.
Antonius Paulus *le Gallois.* *l.* 1. *c.* 30.
Antonius *Pouget.* *l.* 1. *c.* 37.
Auguſtinus Antonius *Touttée* *l.* 2. *c.* 21.

B.

B.

Bernardus *de Montfaucon. l.* 2. *c.* 15.
Bernardus Johannes *Planchette. l.* 1. *c.* 11.

C.

Claudius *Bretaigne. l.* 1. *c.* 28.
Claudius *Chantelou. l.* 1. *c.* 4.
Claudius *David. l.* 2. *c.* 5.
Claudius *Guenié. l.* 2. *c.* 11.
Claudius Hugo *Mathoud l.* 1. *c.* 34.
Claudius *Martin. l.* 1. *c.* 31.
Chriſtophorus *Tachon. l.* 1. *c.* 23.

D.

David Placidus P*orcheron l.* 1. *c.* 27.
Dionyſius *de Sainte-Marthe. l.* 2. *c.* 9.

E.

Edmundus *Martene l.* 2. *c.* 13.

F.

Firminus Johannes *Rainſſant. l.* 1. *c.* 3.
Franciſcus Anſelmus *Thevart l.* 1. *c.* 13.
Franciſcus *Delfau l.* 1. *c.* 8.

Franciſcus Johannes *Pommeraye l.* 1, *c.* 16.
Franciſcus *Lamy. l.* 1. *c.* 41.
Franciſcus *le Texier l.* 2. *c.* 22.

G.

Gabriel *Gerberon. l.* 1. *c.* 40.
Gabriel Ludovicus *Broſſe. l.* 1. *c.* 15.
Gabriel Ludovicus *Bugnot. l.* 1. *c.* 6.
Gatianus Julianus *Morillon. l.* 1. *c.* 25.
Germanus Simon *Millet. l.* 1. *c.* 7.
Guido Alexius *Lobineau l.* 2. *c.* 19.
Guillelmus *Beſſin. l.* 2. *c.* 14.
Guillelmus Hugo *Vaillant. l.* 1. *c.* 9.
Guillelmus *Rouſſel l.* 2. *c.* 16.

H.

Hieronymus Joachim *le Contat. l.* 1. *c.* 19.
Hugo Claudius *Mathoud. l.* 1. *c.* 34.
Hugo Guillelmus *Vaillant. l.* 1. *c.* 9.
Hugo Nicolaus *Menard. l.* 1. *c.* 1.

I.

Jacobus *du Friſche. l.* 1. *c.* 22.
Jacobus *Langelé l.* 1. *c.* 17.
Jacobus *Lopin. l.* 1. *c.* 24.

Joachimus Hieronymus *le Contat. l.* 1. *c.* 19.
Johannes Bernardus *Planchette. l.* 1. *c.* 11.
Johannes Firminus *Rainſſant. l.* 1. *c.* 3.
Johannes Franciſcus *Pommeraye l.* 1. *c.* 16.
Johannes *Garet. l.* 1. *c.* 29.
Johannes Lucas *D' Achery. l.* 1. *c.* 14.
Johannes *Mabillon. l.* 1. *c.* 35.
Johannes *Martianay. l.* 2. *c.* 8.
Johannes Paulus *du Sault. l.* 2. *c.* 7.
Johannes Robertus *Quatremaires l.* 1. *c.* 5.
Johannes Stephanus *Badier. l.* 2. c. 10.
Joſephus Antonius *Mege. l.* 1. *c.* 20.
Julianus *Garnier. l.* 2. *c.* 20.
Julianus Gatianus *Morillon. l.* 1. *c.* 25.

L.

Leonardus *de Maſſiot. l.* 2. *c.* 4.
Lucas Johannes *D' Achery. l.* 1. *c.* 14.
Ludovicus *Bulteau. l.* 1. *c.* 21.
Ludovicus Gabriel *Broſſe. l.* 1. *c.* 15.
Ludovicus Gabriel *Bugnot. l.* 1. *c.* 6.
Ludovicus *Seroux. l.* 1. *c.* 32.
Ludovicus Thomas *du Four. l.* 1. *c.* 2.

M.

Michaël *Felibien l.* 2, *c.* 18.
Michaël *Germain. l.* 1. *c.* 26.
Michaël *Gourdin. l.* 2. *c.* 3.

N.

Natalis Philibertus *Jamet. l.* 1. *c.* 10.
Nicolaus Hugo *Menard. l.* 1. *c.* 1.
Nicolaus *le Nourry. l.* 2. *c.* 6.

P.

Paulus Antonius *le Gallois. l.* 1. *c.* 30.
Paulus Johannes *du Sault. l.* 2. *c.* 7.
Petrus *Couſtant. l.* 2. *c.* 12.
Philibertus Natalis *Jamet. l.* 1. *c.* 10.
Philippus *Baſtide. l.* 1. *c.* 18.
Placidus David *Porcheron. l.* 1. *c.* 27.
Prudentius *Maran. l.* 2. *c.* 23.

R.

Renatus Ambroſius *Janvier. l.* 1. *c.* 12.
Renatus *Maſſuet. l* 2. *c.* 17.
Robertus *Guerard. l.* 2. *c.* 2.

Robertus Johannes *Quatremaires. l.* 1. *c.* 5.

S.

Simon Germanus *Millet. l.* 1. *c.* 7.
Simon *Bougis. l.* 2. *c.* 1.
Stephanus, Johannes *Badier. l.* 2. *c.* 10.

T.

Theodericus *Ruinart. l.* 1. *c.* 38.
Thomas *Blampin. l.* 1. *c.* 39.
Thomas Ludovicus *du Four. l.* 1. *c.* 2.

INDEX

Cognominum Scriptorum Benedictinorum è Congregatione ſancti Mauri in Francia.

A.

d' Achery *Johannes Lucas. libro* 1. *capite* 14.

B.

Badier *Johannes Stephanus. lib.* 2. *c.* 10.
Baſtide *Philippus. l.* 1. *c.* 18.
Beaugendre *Antonius. l.* 1. *c.* 36.
Beſſin *Guillelmus. l.* 2. *c.* 14.
Blampin *Thomas l.* 1. *c.* 39.
Bougis *Simon. l.* 2. *c.* 1.
Bretaigne *Claudius l.* 1. *c.* 28.

Broſſe *Ludovicus Gabriel. l.* 1. *c.* 15.
Bugnot *Ludovicus Gabriel l.* 1. *c.* 6.
Bulteau *Ludovicus l.* 1. *c.* 21.

C.

Chantelou *Claudius. l.* 1. *c.* 4.
le Contat *Hieronymus Joachimus lib.* 1. *c.* 19.
Couſtant *Petrus l.* 2. *c.* 12.

D.

David *Claudius l.* 2. *c.* 5.
D' Achery *Johannes Lucas l.* 1. *c.* 14.
Delfau *Franciſcus. l.* 1. *c.* 8.
De Maſſiot *Leonardus. l.* 2. *c.* 4.
De Montfaucon *Bernardus. l.* 2. *c.* 15.
De Sainte-Marthe *Dionyſius. l.* 2. *c.* 9.
Du Four *Ludovicus Thomas. l.* 1. *c.* 2.
Du Friſche *Jacobus. l.* 1. *c.* 22.
Du Sault *Johannes Paulus. l.* 2. *c.* 7.

F.

Felibien *Michaël. l.* 2. *c.* 18.
du Four *Ludovicus Thomas. l.* 1. *c.* 2.
du Friſche *Jacobus. l.* 1. *c.* 22.

G.

le Gallois *Antonius* Paulus. *l.* 1. *c.* 30.
Garet *Johannes. l.* 1. *c.* 29.
Garnier *Julianus. l.* 2. *c.* 20.
Gerberon *Gabriel. l.* 1. *c.* 40.
Germain *Michaël. l.* 1. *c.* 26.
Gourdin *Michaël. l.* 2. *c.* 3.
Guenié *Claudius l.* 2. *c.* 11.
Guerard *Robertus. l.* 2. *c.* 2.

I.

Jamet *Natalis Philibertus l.* 1. *c.* 10.
Janvier *Renatus Ambroſius. l.* 1. *c.* 12.

L.

Lamy *Franciſcus. l.* 1. *c.* 41.
Langelé *Jacobus l.* 1. *c.* 17.
Le Contat, *Hieronymus Joachim libro* 1. *c.* 19.
Le Gallois *Antonius* Paulus. *l.* 1. *c.* 30.
Le Nourry *Nicolaus l.* 2. *c.* 6.
Le Texier *Franciſcus l.* 2. *c.* 22.
Lobineau *Guido Alexius. l.* 2. *c.* 19.
Lopin *Jacobus l.* 1. *c.* 24.

M.

M.

Mabillon *Johannes l.* 1. *c.* 35.
Maran *Prudentius. l.* 2. *c.* 23.
Martene *Edmundus. l.* 2. *c.* 13.
Martianay *Johannes. l.* 2. *c.* 8.
Martin *Claudius. l.* 1. *c.* 31.
de Maſſiot *Leonardus. l.* 2. *c.* 4.
Maſſuet *Renatus. l.* 2. *c.* 17.
Mathoud *Claudius Hugo. l.* 1. *c.* 34.
Mege *Antonius Joſephus. l.* 1. *c.* 20.
Menard *Nicolaus Hugo. l.* 1. *c.* 1.
Millet *Simon Germanus l.* 1. *c.* 7.
de Montfaucon *Bernardus. l.* 2. *c.* 15.
Morillon *Julianus Gatianus. l.* 1. *c.* 25.

N.

le Nourry *Nicolaus. l.* 2. *c.* 6.

P.

Planchette *Johannes Bernardus. l.* 1. *c.* 11.
Pommeraye *Johannes Franciſcus. l.* 1. *c.* 16.
Porcheron *David Placidus l.* 1. *c.* 27.
Pouget *Antonius l.* 1. *c.* 37.

Q.

Quattemaires *Johannes Robertus. l.* 1. *c.* 5.

R.

Raiſſant *Johannes Firminus. l.* 1. *c.* 3.
Rouſſel *Guillelmus. l.* 2. *c.* 16.
Roze *Andreas. l.* 1. *c.* 33.
Ruinart *Theodericus. l.* 1. *c.* 38.

S.

de Sainte-Marthe *Dionyſius. l.* 2: *c.* 9.
du Sault *Johannes Paulus. l.* 2. *c.* 7.
Seroux *Ludovicus l.* 1. *c.* 32.

T.

Tachon *Chriſtophorus. l.* 1. *c.* 23.
le Texier *Franciſcus. l.* 2. *c.* 22.
Thevart *Franciſcus Anſelmus. l.* 1. *c.* 13.
Touttée *Antonius Auguſtinus. l.* 2. *c.* 21.

V.

Vaillant *Guillelmus Hugo. l.* 1. *c.* 9.

In omnibus glorificetur
DEUS!

613
41. 5[illegible]
Digitized by Google

Digitized by Google

415

11.6.67.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANONYMUS MELLICENSIS

DE

SCRIPTORIBUS ECCLESIA-STICIS,

Nunc primùm in lucem editus;
& notulis Chronologico-Criticis
illuſtratus

a

R. D. P. BERNARDO PEZ,
Benedictino & Bibliothecario
Mellicenſi.

Digitized by Google

ADMONITIO.

ANonymum hunc de Scriptoribus Eccleſiaſticis, *ſeu de* Viris illuſtribus, *quem Reipublicæ Litterariæ bono nunc primùm in lucem damus*, Mellicenſem *dicimus, neutiquam propterea; quòd certa nobis argumenta ſuppetant, Autorem hunc Cœnobitis Mellicenſibus accenſendi, ſed ideò; quòd in Bibliotheca Manuſcriptorum* Mellicenſi, *ejusque codice chartaceo in 4to, nunc ſignato lit. R. num. 28. ſæculo circiter quarto decimo exarato, hactenus adſervatus, indeque à nobis depromptus fuit;*

 cujus-

cujuſmodi quidem cognominandorum Anonymorum exempla apud Freherum, Acherium, Cheſnios, aliosque eruditos Rerum *Collectores, editoresque paſſim occurrunt. Cæterùm, ut proprium Autoris noſtri nomen, fortunámque aſſequeremur, nulli quidem in perquirendo labori pepercimus, ſed fruſtra; nemine quoquam, nec illo ipſo horum quidquam innuente. Fuiſſe* monachum, *&* *quidem* Benedictinum, *ex ſingulari quodam ſtudio, quo Benedictinos Scriptores conſectatur, & laudat, fortè quis colligat. Aſt nec hoc ſat firmum. Certius quid ſtatui de hominis ætate poſſe videtur, eſtque vero perquam ſimile, eum ſæculi Chriſti Duodecimo animum ad ſcriben-*

bendum adpuliſſe. Nam capite XCI. Hermannum Contractum, qui anno MLIV. obijt, in Muſica penè modernis omnibus ſubtiliorem *extitiſſe narrat, & Capiie CV. Manegoldum, Gregorio VII. P. M. æqualem, tanquam* modernorum Magiſtrum magiſtrorum *celebrat; cùm tamen Rupertum capite ultimo recenſitum, capite LXXI.* beatæ memoriæ *Abbatem Tuitienſem vocet. Mortuus eſt Rupertus anne Domini M.CXXXV. Immò videtur hic ſcriptor eodem ferè tempore opus ſuum adornâſſe, quo Honorius Auguſtodunenſis, & Sigebertus Gemblacenſis noſtras de Scriptoribus Eccleſiaſticis commentati ſunt, quorum ille circa annum Dom. MCXXX.*

 flo-

ſloruit, hic an. MXCIII. è vita exceſſit. Certè neutrius opus noſter vel fama percepit, ut conſtat ex ejus præfatione, in qua præter Hieronymum, Gennadium, Caſſiodorum, & Iſidorum, *quibus poſterioribus & ipſis caruit; nullum alium Illuſtrium Virorum Scriptorem ſibi hactenus cognitum fuiſſe commemorat.*

Porrò in referendis Scriptoribus ſuis Anonymus noſter non ubique temporis rationem habuit, ijs perſæpe loco poſtpoſitis, quos ætate ſuperiores fuiſſe notulæ noſtræ Chronologicæ, *quas adlatus adſcripſimus, palam faciunt. Quoſdam memorat, eruditis viris ferè adhuc ignotos, quales ſunt:* Johannes Muſicus Anglus, Paulus Judæus Fuldenſis cœno-

cœnobita, Symphoroſius quidam, Albertus monachus *fortè* Sigebergenſis, Achelinus, ſeu Athelinus Epiſcopus, Stephanus Muſicus, Manegoldus, Aribo Junior Muſicus, Fucraldus, Dietgerus ex monacho Benedictino Epiſcopus Metenſis, Meginhardus Epiſcopus Herbipolenſis in Cantica Canticorum, Deusdedit Cardinalis adverſus Guibertinos, Gotſchalcus monachus Deckingenſis Ord. S. B. Geraldus San-Blaſianus in Sylva Hercynia, Placidus Nonantulanus, *&c. Iis etiam Scriptoribus, quorum nomina editis Bibliothecis inſerta ſunt, non pauca nova, & pleriſque omnibus hucuſque incomperta Opera attribuit. Cujusmodi ſunt* : S. Gregorij M. li-

berti Carnotenſis tractatus contra Judæos & malos Chriſtianos; Ivonis Carnotenſis Martyrologium de Sanctis; Anſelmi Cantuarienſis Martyrologium de Sanctis ordinatiſſimum; Bernoldi Presbyteri Conſtantienſis plura opera; Guitmundus Averſanus in Lucam; Anſelmi Lucenſis Opus immodicum in Pſalterium; *Scripta* à S. Udalrico Cluniacenſi vita ſancti Hermanni ex marchione monachi *&c. Denique conſideratione, & obſervatione digniſſima ſunt, quæ de Ratramni, monachi Corbeienſis* Opere de Corpore, & Sanguine *Domini habet, ut quibus Joannis Mabillonij de Autore ſententia, Præf. in Sæc.*
 Bened.

Bened. IV. P. II. expoſita egregiè confirmetur. Sed hæc omnia præſtat integra erudito Lectori ſervare ac relinquere; quem etiam rogamus, ut ampliorum, & eruditiorum Notarum, quibus noſter non raro indiget, intermiſſionem condonet; illas enim temporis ac otij, has ingenij anguſtiæ excluſerunt.

Anonymi Autoris in librum ſuum de Scriptoribus Eccleſiaſticis Præfatio.

SCriptorum illorum, qui virorum illuſtrium conſcripsêre catalogum, pro poſſe ſequentes exemplum, tam ſcripta, quàm nomina Sanctorum Patrum, quorum deinceps Eccleſiæ Dei deſudavit ingenium, litteris transmittemus in poſterum. In quo nimirum negotio ordine quidem præpoſtero, ſed neceſſariò commutato, eos utcunque collegimus in unum, qui in actione Miſſarum quippiam ſtatuêre dicendum, videlicet * propter Teleſphorum, Gelaſium

* ſ. præter

laſium, Sixtum, Clementem A-lexandrinum, Alexandrum primum, Leonem magnum, Gregorium primum, Gregorium tertium, Sergium porro beatum Ambroſium Mediolanenſem Epiſcopum (cujus quidem beatus Hieronymus inter viros illuſtres meminit; ſed non modò nulla librorum ejus judicia ponit, verùm & de ipſo, quia videlicet adhuc ipſe ſupererat, omnino ſuum judicium ſubtraxit) nos incognitum præteriri non paſſi, ipſam hujus operis frontem tanti nominis titulo decrevimus inſigniri. Sunt tamen & alii viri illuſtres Caſſiodorus ſcilicet, & Iſidorus, qui nihilominus de viris ſcripſerunt illuſtribus, quorum libri, quia nec dum ad noſtras pervenerunt manus,

quos

quos poſuerint, vel quos omiſerint, penitus ignoramus.

Inchoantes igitur à fine Gennadij, qui & ipſe à fine Hieronymi initium fecit Operis ſui, quoscunque ex eo tempore quippiam memoriâ dignum ſcripſiſſe deprehendimus, diligenter annotare curavimus. Verùm, ne quid deſit curioſitati legentium, judicavimus adponendum* Bernagardium olim hæreticum, ** Wichvvertum Raveſiatem ex-epiſcopum, Urbanum ſecundum; non quòd ad nos ſcripta eorum ulla pervenerint, vel certè ipſi aliquando aliquid ſcripſerint, ſed quòd quisque eorum decentia nobis ingenij ſui monimenta reliquit. Beringarius quidem, dum

* *infra cap. 88.* Beringarius.
** *inf. c. 98.* Gwibertus.

dum quandoque converſus, duobus aptè verſiculis catholicam fidem profiteri non diſtulit. Clemens verò, qui & * Ewibertus, dum in legitimum Petri ſucceſſorem invectus, totidem nihilominus verſibus ſatis eleganter luſit. Urbanus autem, dum eidem æmulo ſuo metro & ipſe reſpondens, nihil eum de Apoſtolica dignitate, præter inane vocabulum, aſſecutum patenter oſtendit. Sed ſi qui aliquando ea, quæ à nobis ſcripta ſunt, reprobant, imperitiam quidem, non autem ſtudium reprehendant, ſimulque conſiderent, quia ubi nullus poteſt eſſe boni operis fructus, ſufficit ſolus bonæ voluntatis affectus.

* l. Gwibertus, ſeu Guibertus.

CAPUT

CAPUT I.

TEleſphorus Papa VII. qui beato Sixto, de quo ſubinde dicemus, in pontificatu ſucceſſit, Miſſas in ſanctiſſimæ Dominicæ Nativitatis nocte conſtituit celebrari, & in tempore ſacrificij *Gloria in excelſis Deo*, decantari. Hic ſub Adriano Principe, quemadmodum prædeceſſores ſui Alexander, & Sixtus, nonas Januarij martyrio meruit coronari. An. Chriſt. 128.

CAPUT II.

GElaſius Papa in diebus Leonis, qui Marciano ſuccedit in regnum, Romanam Eccleſiam nobiliter rexit, qui ad utilitatem Eccleſiæ decreta multa conſtituit, multa utiliter ſcripſit. Qui etiam ad Miſſas dicendarum modum & numerum inſtituit Præfationum. Hujus Pontificis temporibus liber Miſſalis conſcribitur, qui & Gelaſianus appellatur. 492.

An. Chriſti

CAPUT III.

417. ZOſimus Papa inſtituit Benedictionem cerei, qui in Sabbatho ſancto benedici ſolet à Diacono, cujus benedictionis hujusmodi eſt initium: *exultet jam Angelica turba cælorum.*

CAPUT IV.

117. SIxtus Epiſcopus, qui beato Alexandro primo Romæ ſucceſſit in pontificatu, infra Miſſarum ſolemnia: *ſanctus, ſanctus, ſanctus*, decantari inſtituit, qui & ipſe ſub Adriano Imperatore VIII. Idus Aprilis martyrio coronari promeruit.

CAPUT V.

192. CLemens Alexandrinæ Eccleſiæ presbyter, præceptor Origenis, diu in Alexandria ſcholam tenuit. Tam divina, quam ſæculari ſcientia claruit. Opuſcula nonnulla luculento ſermone compoſuit. Extat illius de Paſcha liber unus; de Jejunio dialogus unus; de ſalvando divite unus; de Obtrectatione unus; de Canonibus unus; con-

contra gentes unus; contra eos, qui *An. Chr.*
Judæorum ſcrutantur errores unus. Miræ autem eruditionis & eloquentiæ fuit. Orationem illam ſacerdotis, quam *Canonem* dicimus, ipſe compoſuit, quæ & ab omni Eccleſia tanta eſt habita; ut in conſecratione Corporis Domini perpetuo juſſa ſit recitari. Habetur autem clarus Severi & Filii ejus Antonii temporibus.

Cap. VI.

ALexander primus, natione Romanus, ex patre Alexandro de regione Capurtami oriundus, Paſſionem Domini miſcuit in precatione presbyteri, quum miſſæ debent celebrari. Unde habetur in Canone: *quam oblationem tu DEus*, & quæ ſequuntur ex ordine. Hic quinto Nonas May ſub Adriano principe cum Eventio, & Theodolo martyrium paſſus, migravit ad cælos. 108

Cap. VII.

LEo Magnus, Apoſtolicus, Declamator egregius fuit, qui verbo & exemplo Chriſtianæ Religioni plurimùm profuit. Porrò Sermonum illius incer- 440

An. Chr. tus eſt numerus; quorum tamen de Adventu Domini, de Nativitate, de Apparatione, de Jejunio, de Paſſione, de Reſurrectione, de Aſcenſione, de Sancto Pentecoſte plurimi habentur. In Sanctorum quoque natalitiis nonnulli habiti inveniuntur. Et hic augmentavit in Canone: *ſupplices te rogamus omnipotens DEus*, & cætera, quæ ſequuntur ex ordine. Hic quarta Kal. Julii ſub Marciano Principe plenus ſanctitate quievit in pace.

Cap. VIII.

590 GRegorius Magnus, qui & primus, ex illuſtri Senatorum proſapia oriundus, diſciplinis liberalibus à puero inſtitutus, Romanæ Sedis jam tunc Apocriſiarius, poſitus Conſtantinopoli, rogatus Leandri Hiſpalenſis Epiſcopi, libros Moralium XXXVI. ſcripſit, quos in ſeptem partes diviſit. Romæ verò exorta peſtilentia ipſe adhuc Archidiaconus ſeptiformem Letaniam inſtituit, ac poſtmodum decedente Pelagio, Romanum Pontificatum invitus obtinuit. Hic Agilulfi temporibus Dialogum ſcripſit, eum Reginæ Theodelindæ

lindæ pro munere promiſit. Homelias quadraginta etiam dictavit, & in Ezechielem Tractatus viginti compoſuit, à cujus expoſitione audito Agilulfi regis adventu ceſſavit. Librum quoque curæ Paſtoralis ad Johannem Epiſcopum ſcribit; & librum alium, quem Flores appellari complacuit. Scribit & librum Reſponſionum ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum. Librum quoque Synodorum compoſuit cum Epiſcopis Italiæ de neceſſariis cauſis Eccleſiæ. Alia verò Opuſcula nonnulla, quæ ſcripſit, non habentur, quando æmulorum excandeſcente invidia de medio ſublata fuiſſe perhibentur. Hic illud, quod in Canone dicitur; *diesque noſtros in tua pace diſponas*, dicendum appoſuit, & Orationem Dominicam ad Miſſam recitari conſtituit, congruum arbitratus, ut in conſecratione Dominici corporis cum oratione hominis Sacerdotis dicatur & oratio DEI & hominis Salvatoris. Quod quidem populus utpote novum & inſolitum audiens, ægrè tulit; cui protinus beatus Pontifex humili reſponſione ſatisfecit; ſi dicenda

An. Chr. eſt, inquiens, in conſecratione corporis Chriſti oratio, quam quidam Scholaſticus humano ſenſu ut homo compoſuit, quantò magis illa, quam DEI & hominum mediator inſtituit, qui & diſcipulos ſuos oràre ſic docuit? Scribit quoque in Cantica Canticorum libellum explanationis ab exordio voluminis uſque eò, ubi dicitur: *Equitatui meo in curribus Pharaonis.* Hic ergò ſanctiſſimus Pontifex Gregorius, Anglorum Apoſtolus, cùm miſſis doctoribus Anglos convertiſſet ad Dominum, anno Phocæ imperatoris ſecundo, quarto Idus Martiarum migravit ad Dominum.

Cap. IX.

731 GRegorius tertius annis octo Romanum tenuit Pontificatum, qui & augmentavit in Canone: *intra quorum conſortium.* Hic deceſſit tempore Leonis Imperatoris quarto Kal. Decembris.

Cap.

Cap. X.

SErgius Papa, natione Syrus, Antiochiæ ex patre Tiberio ortus, in confractione Corporis Domini, à clero & populo: *Agnus DEI*, ſtatuit decantari. 688

Cap. XI.

AMbroſius Mediolanenſis Archiepiſcopus, Doctor Eccleſiæ mirificus, ſub Gratiano Auguſto clarus, immò & in toto Orbe terrarum notiſſimus, columna Eccleſiæ, & hæreticorum ruina ſemper & ubique liberè agens & loquens pro juſtitia; quippe, qui nec Theodoſio Principi peccanti pepercit, non ſolùm Mediolanenſi, cui præfuit, ſed & univerſæ matri Eccleſiæ ſcribendo, & docendo plurimùm contulit. Scripſit de Spiritu ſancto librum unum ad Gratianum Auguſtum. Scripſit quoque librum de Fide; librum de Incarnatione Domini. Scribit de Paradiſo; ſcribit de Virginibus; ſcribit de exequiis fratris; ſcribit Examerон; ſcribit de fuga ſæculi; ſcribit de Patriarchis; ſcribit de perpetua Virginitate 374

An. Chr. Matris Domini; ſcribit de Iſaac & Anima; ſcribit de bono mortis; ſcribit de Joſeph; ſcribit Apologiam de David; ſcribit ſuper: *beati immaculati*; ſcribit ſuper: *Domine quis habitabit*; ſcribit de morte Gratiani; ſcribit de morte Theodoſii; ſcribit de Jejunio; ſcribit de Officiis; ſcribit ſuper Iſaiam; ſcribit ſuper Apoſtolum; ſcribit ſuper Lucam; ſcribit contra Auxentium hæreticum; ſcribit ad Fritigernam Reginam Marcomannorum. Præterea plura ac diverſa ſcribit Opuſcula, quæ pro ſummis opibus computat, & reſervat Eccleſia, de qua non recedet ejus memoria; & nomen ejus requiretur in ſæcula. Hic beatiſſimus Pontifex, Doctor egregius; pietate præcipuus; invictus in adverſis, in proſperis providus; poſt matutini & veſperæ delectabiles exitus, ipſe delectabilis omnibus, ſub Principibus Arcadio & Honorio quievit in Domino.

Cap. XII.

398 JOhannes Conſtantinopolitanus, cognomento Chryſoſtomus, qui ab ingra-

grata Eccleſia bis eſt depoſitus, & in- *An. Chr.*
ſuper annuente Theophilo Archiepiſcopo in exilium miſſus, primò Originis errore deceptus, ſed Dei gratia præventus, cooperante correctus, & Eccleſiæ reconciliatus eſt. Hic tam Græco, quàm Latino eruditus eloquio præter Sermones in Feſtivitatibus habitos, ſtilo egregio ſcriptos, ſcribit ſuper Epiſtolam ad Hebræos; ſcribit nihilominus in Matthæum egregium opus, ſcribit etiam librum de reparatione lapſi, & ſeptem Homelias de laude Pauli Apoſtoli; dialogum quoque cum Baſilio habitum de honore Sacerdotii. Hic ſub prænotatis principibus celebris, celebrem ſui memoriam dereliquit Eccleſiis.

Cap. XIII.

EPiphanius Salaminæ Epiſcopus, fide 368
Catholicus, ingenio optimus, Johanni Chryſoſtomo pro eo, quod eum offenderat, duos in ſuo Epiſcopatu preſbyteros ordinando, non contemnendam dictavit Epiſtolam ad Catholicam fidem, paciſque cuſtodiam cohortantem. Hanc beatus Hieronymus preſ-

An. Chr. byter pro ædificatione legentium rogatu fratrum in Latinum vertit eloquium.

Cap. XIV.

507 FUlgentius Epiſcopus, qui Ruſpenſi Eccleſiæ præfuit ſub Theoderico Rege Gothorum, in confeſſione fidei & ſcientia claruit in Homeliis; declamator fuit, & ſermones plurimos utiles recitavit ad populum (&) in poſterum transmiſit literis. Scripſit quoque librum inſignem de prædeſtinatione, & de fide alium ad Traſſamundum Regem Vandalorum.

Cap. XV.

510 ANnitius Manlius Severinus Boëtius tam divina, quam humana ſcientia clarus, qui & Romæ conſul fuit, ſuper Hypermenias volumen inſigne compoſuit. Aliud etiam de Muſica ſcripſit, in quo profundum ejusdem artis ſubtiliter inquiſivit. Et aliud nihilominus de fide Sanctæ Trinitatis ſcriptum dereliquit. Qui etiam ad Johannem Papam contra Euthycen & Neſtorium hæreticos ſcribit. At ubi Theodericus rex Gothorum tyrannidem in Ro-

nanos exercuit, Boetius Conſul Græ-
clam litteras miſit, volens ſcilicet
illorum patrocinium (a) ſubdere,
ı Regis tyrannide civitatem & cives,
uoque addito, liberare. Quod ubi
: impius comperit, quaſi reum maje-
is Ravennam in exilium miſſum, in
:erem recludi juſſit; in quo vir ſa-
ıs philoſophica ſibi conſolatione ad-
ta, quinque libros per ſatyram edi-
, in quibus, quia & ſe, & omnes
:ntes conſolari intendit, opus ſuum
um Conſolationis inſcripſit. Hic
plurima poſteris ingenii ſui moni-
ıta dereliquit. Duobus filiis in
ıſulatu relictis à Rege nefario cum
; pluribus gladio percuſſus occu-
:.

Cap. XVI.

MAgnus Aurelius Caſſiodorus Ro-
mæ Conſul, deinde Senator, ad 514
mum monachus monaſterium con-
ıxit. Tam divina, quàm ſæculari
:ra clarus effulſit. Pſalmos expoſuit;
ros Inſtitutionum & Chronicam fe-
. Librum de viris illuſtribus ſcrip-
ſit:

(a) f. ſubducere.

An. Chr. ſit; Epiſtolas Theoderici dictavit; inſuper & tripartitam Hiſtoriam ordinavit.

Cap. XVII.

544. ARator Romanæ Eccleſiæ Subdiaconus, qui ſub Papa Vigilio floruit, librum Actus Apoſtolorum verſibus ſcripſit, quem poſtmodum Clero & populo, & Apoſtolico publicè legit.

Cap. XVIII.

550. PRiſcianus Cæſarienſis, Grammaticus peritiſſimus fuit, qui & librum egregium de grammatica arte compoſuit. Erravit autem, qui hunc in fide erràſſe confirmant, quaſi qui librum Juliano Apoſtatæ ſcripſerit, & ſcriptum obtulerit. Errant inquam, & patenter errant; neque enim Juliano ſcripſit Imperatori, ſed Juliano Conſuli fratri Symachi ſoceri Boetii. Sed neque ſub Juliano Apoſtata, qui adeò in fide deſipuit, ſed ſub Juſtiniano Chriſticola Priſcianus Cæſarienſis Conſtantinopoli floruit. A Juliano autem Cæſare usque ad Juſtinianum Imperatorem computantur anni ducenti viginti ſeptem.

Cap. XIX.

DIonyſius Abbas Romanus ſexto Juſtini Principis anno Paſchales Cyclos ſcripſit; quos à primo anno Diocletiani Imperatoris inchoavit. 533

Cap. XX.

BEnedictus Pater venerabilis poſt vitam eremiticam, quam duxit in loco, cui Sublacus vocabulum eſt, in Monte Caſſino; doctrina claruit, & miraculis. Quò cùm primò tenderet relicta priori habitatione, tres corvi, ſicut in (a) Longobardorum hiſtoria legitur, quos paſcebat cottidie, ſecuti ſunt eum divina juſſione. Cùmque perveniſſet ad quoddam bivium, duo Angeli apparuerunt ei in ſpecie duorum juvenum, oſtendentes viam, per quam ad locum iret. In loco autem illo quidam Dei ſervus habitabat, cui vox de Cœlo dicebat: *his tu parce locis; alter amicus adeſt.* Cujus verſiculi ſenſus talis eſt: exi de hoc loco amice, quia alius amicus debet hic habitare. Veniens itaque ſanctus Benedictus in ſummitatem 540

(a) *Paul. Diacon. Hiſt. Longob. lib. 1. c. 27.*

An. Chr. tem montis, in maximá ſe conſtrinxit abſtinentia; ubi ſcripſit etiam Monachorum Regulam, teſte beato Gregorio (b) diſcretione præcipua, ſermone luculento. In qua præter alia ſanctitatis ejus indicia ſatis oſtenditur, quam cœleſtem in terris vitam duxit; quia vir ſanctus non potuit aliter docere, quàm vixit.

Cap. XXI.

545 VIctor Capuanus Epiſcopus librum inſignem de Paſcha compoſuit, in quo erratica Victorii ſcripta redarguit. Scripſerat enim & ille jubente (a) Hilario Papa Paſchales Cyclos, ſed errore plenos, quos ſcriptis ſuis, ùt diximus, deſtruxit Victor Epiſcopus.

Cap. XXII.

552 JOrdanis Epiſcopus Chronicam de geſtis Romanorum abbreviando deſcripſit, quam ab Adam inchoavit, & ad Juſtinum minorem Auguſtum usque perduxit.

(b) *lib.* 2. *Dial, cap* 26.
(a) Hilarus.

Cap.

Cap. XXIII.

An. Chr.

VIctor Affricanus Epiſcopus, Wandalicæ perſecutionis hiſtoriam ſcribit; quæ nimirum perſecutio ejusdem poſtremò ſui ſcriptorem involvit. 484

Cap. XXIV.

PAterius Gregorii Magni diſcipulus, collegit in unum teſtimonia Scripturarum, quæ beatus Papa Gregorius paſſim in ſuis tractatibus poſuit, & poſita protinus competenter expoſuit. Habet enim hoc inter expoſitores alios quaſi ſingulare; ut ſubintroducta de ſcripturis teſtimonia ſoleat ſingillatim exponere; ad quæ recolligenda idem Scriptor animum intendit, quippe quæ poſteris non parùm profutura putavit. 601

Cap. XXV.

COlumba, qui & Columbanus Abbas, qui ex Hibernia oriundus, poſtquam cum diſcipulis ſuis Gallo, & aliis plura terrarum loca pertranſiit, plures ad fidem Chriſti verbi exhortatione perduxit, plura etiam diverſis in locis monaſteria conſtruxit, ſcripſit manu ſua monachorum Regulam; ad quos 589

etiam

An. Chr. etiam unam exhortatoriam brevem li-
cèt, ſed de contemptu mundi copiosè
differentem, dictavit Epiſtolam.

Cap. XXVI.

633 Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, qui beato Leandro in Epiſcopatu ſucceſſit, multa, & magna opuſcula edidit. Nam inter alia Synonyma ſcripſit, & Abbreviationem temporum, quam ad Conſtantinum Heraclii filium perduxit. Librum quoque Etymologiarum, librum officiorum, & librum Virorum illuſtrium. Præterea ſermones plurimos, diverſis temporibus habitos, ſtylo egregio ſcriptos transmiſit ad poſteros.

Cap. XXVII.

668 Theodorus venerabilis Anglorũ Archi Epiſcopus à Papa Vitaliano ordinatus & in Angliam miſſus, poſtquam in populo, cui præerat, verbo & Exemplo pluribus ſaluti fuit, ad ultimum librum de reorum pœnitentia, præcipua diſcretione conſcripſit. Audiens etiam Conſtantinopolitanam Eccleſiam hæreſi Euticetis valde turbatam, Synodum collegit, & ubi omnium in fide Catholica conſenſum audivit, hunc ad inſtru-

ctionem, memoriamque ſequentium *An. Chr.*
Synodalibus litteris (a) commendavit.
Harum litterarum tale eſt exordium; *in nomine Domini noſtri IESU Chriſti Salvatoris, imperantibus Dominis piiſſimis regibus noſtris.* Earundem verò talis eſt concluſio, *nos omnes ſubſcribimus, qui cum Theodoro Archi-Epiſcopo fidem Catholicam expoſuimus.* Hic de Tarſo Ciliciæ oriundus fuit, & multis virtutibus clarus quievit.

Cap. XXVIII.

PEtrus Archi-Epiſcopus Ravennas librum ſcripſit egregium Sermonum 433
ſuper topazium & aurum obrizum pretioſum.

Cap. XXIX. 679

ADaman presbyter & Abbas Monachorum, qui erant in inſula Hy, vir bonus, & ſapiens ſcientia ſcripturarum nobiliſſimè inſtructus, ſcripſit de locis ſanctis librum, legentibus multis (a) utilimum, cujus auctor erat docendo ac dictando (b) Artvvolfus Galliarum

(a) *manus Seculi XV. correxerat:* commendare curavit.

(a) *inf. c. 75.* utiliſſimum.

(b) alii Arculfus.

An. Chr. rum Epiſcopus, qui orationis gratia Ieroſolymam veniens, luſtrata omni terra repromiſſionis, Damaſcum quoque, Conſtantinopolim, Alexandriam, inſulas maris adiit; patriam quoque navigio repetens vi tempeſtatis in occidentalia littora Britanniæ delatus, poſt multa ad eundem Dei famulum Adamannum presbyterum venit, & quæcunque in locis ſanctis digna memoriâ vidiſſe ſe retulit, hic litteris (c) commendavit. Obtulit autem librum ſuum (d) Abfrido rege Nordannbrorum, à quo etiam muneribus multis donatus, in patriam eſt remiſſus. Sed quia & libellum, & libelli auctorem paucos noſtrorum legiſſe vel noſſe dubium non eſt, quiddam ex eo, quaſi per exceſſum excerpſimus, quod legentibus plurimum conducere poteſt; his duntaxat, qui de locis ſanctis, in quibus Patriarchæ, Prophetæ, & Apoſtoli cum ipſo Domino converſati ſunt, ea tantùm, quæ lectione didicerunt, & norunt. Igitur de Bethlehem

[c] *prior manus* mandare curavit.
(d) l. Aldfrido regi Nordanhumbrorum

em, quæ Domus eſt panis Angelorum, *An. Chr.*
in quo Virgo virginum Verbum de ſe
genuit incarnatum, ſcribit in hunc modum.

Bethlehem civitas David in dorſo
ſita eſt, anguſta (e) ex omni parte,
vallibus circumdata, ab Oriente in Occidentem
mille paſſibus longa, humili
ſine turribus muro per extrema plani
verticis inſtructo; in cujus orienti angulo
(quaſi quoddam naturale ſeminatrum
eſt, cujus exterior pars nativitatis
Dominicæ fuiſſe dicitur locus; interior
præſepe Domini nominatur. Hæc
ſpelunca tota interiùs pretioſo marmore
tecta ſupra locum, ubi Dominus natus
ſpecialiùs traditur, ſanctæ Mariæ
grandem geſtat Eccleſiam. Scripſit item
hoc modo de loco paſſionis, & reſurrectionis
ipſius.

Ingreſſus à Septentrionali parte
Ieroſolymam Urbem primum de locis
ſanctis pro conditione platearum divertendum
eſt ad Eccleſiam Conſtantinianam,
quæ Martyrium appellatur. Hanc
Conſtantinus Imperator, eò, quòd ibi

Ff crux

(e) alii anguſto.

An. Chr. crux Domini âb Helena matre reperta ſit, magnifico & regio cultu conſtruxit. Dehinc ab occaſu Golgotana vitæ Eccleſia, in qua etiam rupis apparet illa, quæ quondam ipſam affixam Domini corpore crucem pertulit, argenteam modò pergrandem ſuſtinens crucem, pendente deſuper magna ærea rota cum lampadibus. Infra verò ipſum locum Dominicæ crucis exciſa in petra crypta eſt, in qua ſuper altare pro defunctis honoratis Sacrificium ſolet offerri, poſitis interim in platea corporibus. Hujus quoque ad occaſum Eccleſiæ Anaſtaſii, hoc eſt, reſurrectionis Dominicæ rotunda Eccleſia, tribus cincta parietibus duodecim columnis ſuſtentatur, inter parietes ſingulos latum habens ſpatium viæ, quia tria altaria in tribus locis parietis medii continet, hoc eſt, Auſtralis, & Aquilonaris, & Occidentalis. Hæc bis quaternas portas, id eſt, introitus per tres è regione parietes habet, è quibus quatuor ad Vulturnum, & quatuor ad Eurum ſpectant. Hujus in medio monumentum Domini rotundum petra exciſum eſt, cujus culmen intrin-

intrinſecus ſtans homo manu continge- *An. Chri.*
re poteſt, ab oriente habens introitum, cui lapis ille magnus appoſitus eſt, quod intrinſecus ferramentorum veſtigia oſtendunt usque in præſens. Nam extrinſecus usque ad culminis ſumitatem totum marmore tectum, ſummum verò culmen auro ornatum, auream magnam geſtat crucem. In hujus autem monumenti Aquilonari parte ſepulchrum Domini in eadem petra exciſum longitudinis ſeptem pedum, trium menſura palmorum, pavimento altius eminet, introitum habens à latere meridiano, ubi die noctuque duodecim lampades ardent; quatuor intra ſepulchrum, octo ſupra in margine dextro lapis, qui ad oſtium monumenti poſitus erat, nunc fixus eſt, cujus pars minor quadratum altare ante oſtium nihilominus ejusdem monumenti ſtat, major verò in orientali ejusdem Eccleſiæ loco quadrangulum aliud altare ſub lintiaminibus exiſtit. Color autem ejusdem monumenti, & ſepulchri albo & rubicundo permixtus videtur.

De loco quoque Aſcenſionis Do-

An. Chr. minicæ præfatus auctor hoc modo refert: mons olivarum altitudini montis Syon par eſt, ſed latitudine & longitudine præſtat, exceptis vitibus & olivis rarò ferax arboribus, frumenti quoque & hordei fertilis; neque enim brucoſa, ſed herboſa & florida ſoli illius eſt qualitas, in cujus ſummo vertice, ubi Dominus ad cœlos aſcendit, Eccleſia rotunda grandes ternas per circuitum cameratas habet, porticus deſuper tectas. Interior namque domus propter Dominici Corporis meatum camerari & tegi non potuit, altare ad orientem habens anguſto culmine tectum, in cujus medio ultima Domini veſtigia cælo deſuper patente, ubi aſcendit, viſuntur, quæ cum cottidie à credentibus terra collatur, nihilominus manet (*a*) eandem adhuc ſpeciem veluti impreſſis ſignata veſtigiis ſervat. Hæc circa æreā rota jacet usque ad cervicem alta, ab occaſu habens introïtum pendente deſuper in cochleis magna lampade, totaque die, & nocte lucente. In occidentali ejusdē Eccleſiæ parte feneſtræ octo, totidēq; è regione lampades in funi- bus

(*a*) *ſupple*: &

bus pendentes uſque Ieroſolymam per *An. Chr.*
vitrum fulgent, quarum lux corda intuentium cum quadam alacritate & compunctione paveſcere dicitur. In die Aſcenſionis Dominicæ per annos ſingulos miſsâ peractâ validi fulminis procella deſurſum venire conſuevit, & omnes, qui in Eccleſia fuerint, terræ proſternere. De ſitu etiam Hebron, & monumentis patrum ita ſcribit.

Hebron quondam civitas & metropolis regni David, nunc ruinis tantùm, quid tunc fuerit, oſtendens, uno ad orientem ſtadio ſpeluncam duplicem in valle habet, ubi ſepulchra Patriarcharum quadrato muro circumdantur capitibus verſis ad Aquilonem; & hæc ſingula ſingulis tecta lapidibus inſtar ſilice dolatis; trium Patriarcharum candidis, Adam obſcurioris, & vilioris operis, qui haud longè ab illis ad Borealem, extremamque muri illius partem pauſat. Trium quoque fæminarum viliores & minores memoriæ cernuntur. Mambre collis mille paſſibus à monumentis iis ad Boream, herboſus valde, & floridus; campeſtrem habens in verti-

An. Chr. ce planitiem. In Aquilonari parte quercus Abrahæ (duorum hominum altitudinis truncus) Eccleſiâ circumdata eſt. Hæc de opuſculis exſcerpta præfati ſcriptoris ad ſenſum quidem verborum illius, ſed brevioribus, ſtrictisque comprehenſa ſermonibus ad utilitatem legentium hic inſeruimus. Plura voluminis illius, ſi quem ſcire delectat, vel in ipſo illo (*a*) volumine, vel in eo, quod de illo venerabilis Beda (*b*) presbyter ſtrictim exſcerpſit, epitomaticè requirat.

Cap. XXX.

680 ALthelmus Epiſcopus, cùm adhuc presbyter eſſet, & Abbas monaſterii, quod Maildubi urbem Angli nuncupant, ſcripſit jubente Synodo ſuæ gentis librum egregium adverſus errorem Britonum, quo vel paſcha non ſuo tempore celebrant, vel alia plura Eccleſiaſticæ caſtitati & paci contraria gerunt, multosque eorum, qui occidentalibus Saxonibus ſubditi, Britones ad Ca-

[*a*] *extat apud Mabil. Sæc. III. Bened. p. II.*
(*b*) *lib. 5. c. 16. Hiſt. Gent. Angl.*

Catholicæ Paſchæ celebrationem hujus *An. Chr.*
lectione perduxit. Scripſit & de Virginitate librum eximium, quem in exemplum Sedulii geminato opere & verſibus hexametris & proſa compoſuit. Scripſit & alia nonnulla, utpote vir undecunque doctiſſimus. Nam ex ſermone nitidus, & ſcripturarum tam liberalium, quàm Eccleſiaſticarum erat eruditione mirandus.

Cap. XXXI.

BEda venerabilis presbyter & monachus, natione Anglus, ſub (*a*) 701
Geolfrido Abbate Chriſti tyrocinio mancipatus, pluribus opuſculis utilitatibus Eccleſiaſticis ſervivit. Verùm tam de ipſo, quàm de operibus ejus ſuum ipſius teſtimonium proferemus; quia & quòd ex Anglia oriundus fuerit, & annos natus quatuor curâ propinquorum in monaſterium beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ſacris litteris erudiendus Benedicto, ac deinde Geolfrido Abbati traditus ſit, quòd cunctum ex eo tempus vitæ in ejusdem monaſterii habita-

(*a*) *aliàs* Ceolfrido.

An. Chr. bitatione peragens, omnem meditandis ſcripturis operam dederit, quòd inter obſervantiam diſciplinæ regularis & cottidianam in Eccleſia cantandi curam ſemper aut ſcribere, aut diſcere, aut docere dulce habuerit, quòd nono decimo vitæ ſuæ anno diaconatum, triceſimo presbyteratum jubente Abbate ſuo ſuſceperit, quanto etiam, ordine presbyteratûs accepto, usque ad annum ætatis ſuæ quinquageſimum nonum ex opuſculis venerabilium patrum breviter annotaverit, ſive etiam ad formam ſenſûs & interpretationis eorũ ſuperadjecerit, in libro quem ſcribit de hiſtoria & geſtis patriæ, curavit aſcribere. In principium, inquit, Geneſis usque ad nativitatem Iſaac, & ejectionem Iſmaëlis libros quatuor; de Tabernaculo & vaſis ejus, ac veſtibus ſacerdotum libros quatuor; de ædificatione templi allegoricæ expoſitionis ſicut & cætera libros duos. Item in librum Regum triginta Quæſtionum; in Proverbia Salomonis libros duos; in Canticum Canticorum libros ſeptem; in Iſaiam, Prophetam Danielem, duodecim Prophetas,

phetas, & ſeptem Jeremiæ diſtinctiones capitulorum ex tractatu beati Hieronymi exceptas; in Eſdram, & Neemiam libros tres; in canticum Habacuc librum unum; in librum beati patris Tobiæ explanationes allegoricæ de Chriſto, & Eccleſia librum unum; Capitula lectionum in Pentatevchum Moyſi & Joſuæ, Judicum, in libros & verba dierum; in librum beati patris Job, in Parabolas, Eccleſiaſten, & Canticum canticorum; in Iſaiam Prophetam, Eſdram quoque & Neemiam; in Evangelium Marci libros quatuor; in Evangelium Lucæ libros ſex; Homeliarum Evangeliorum libros duos; in Apoſtolum quæcunque in opuſculis ſancti Auguſtini inveni, expoſita cuncta per ordinem tranſcribere curavi; in Actus Apoſtolorum libros duos; in Epiſtolas ſeptem Canonicas libros ſingulos; in Apocalypſim ſancti Johannis libros tres; item capitulum lectionum in totum novum Teſtamentum excepto Evangelio; item librum Epiſtolarum ad diverſos, quarum de ſex ætatibus una eſt, de manſionibus filiorum Iſraël unam; *An. Chr.*

An. Chr. unam de eo, quòd ait Iſaias: *& claudentur ibi in carcerem, & poſt dies multos viſitabuntur.* De Ratione Biſſexti unum; de Æquinoctio juxta Anatolium unum. Item de Hiſtoriis ſanctorum librum vitæ & paſſionis ſancti Felicis Confeſſoris de metrico Paulini opere in proſam transtuli; librum vitæ & paſſionis ſancti Anaſtaſii malè de Græco translatum, & pejus à quodam imperito emendatum prout potui, ad ſenſum adcorrexi; vitam ſancti patris & monachi ſimul & antiſtitis (*a*) Cudbrecti, & prius heroico, & poſtmodnm plano ſermone deſcripſi; Hiſtoriam Abbatum monaſterii hujus, in quo ſupernæ pietati deſervire gaudeo, Benedicti & Geolfridi, & Hei, & Berecti in libellis duobus; Hiſtoriam Eccleſiaſticam noſtræ inſulæ, ac gentis in libris decem; Martyrologium de natalitiis ſanctorum martyrum diebus, in quo omnes, quos invenire potui, non ſolùm, quo die, verùm etiam, quo certaminis genere, vel ſub quo judice mundum vicerint, diligenter adnotare ſtudui; librum Hymnorum diverſo metro ſive

(*a*) *aliàs* Cudberti.

ſive rhythmo; librum Epigrammatum *An. Chr.*
heroico metro, ſive elegiaco; de natura rerum, & de temporibus libros ſingulos; item de temporibus librum unum majorem, librum de Orthographia Alphabeti ordine diſtinctum; item librum de metrica arte, & huic adjectum alium de Schematibus ſive tropis libellum, hoc eſt, de figuris modiſque, quibus ſcriptura ſacra contexta eſt.

Cap. XXXII.

ZAchariasApoſtolicus, utriusque eloquii peritus, quatuor libros Dialogorum beati Gregorii de Latino in Græcum vertit eloquium. 741

Cap. XXXIII.

PEtrus Damiani Cardinalis Epiſcopus ſcripſit librum & nomine & dignitate Gratiſſimum, & librum alium, qui inſcribitur: *Dominus vobiſcum*, contra eos, qui dicebant, in actione Miſſarum hunc ſalutationis modum à ſolitariis non eſſe ſervandum. 1057

Cap. XXXIV.

PAſchaſius, qui & Radbertus, fide & Scientia clarus, ſcripſit de Corpore Do- 844

An. Chr. Domini librum, cunctis per Orbem fidelibus fideliter amplectendum.

Cap. XXXV.

circ. 450. SEdulius Antiſtes ad Macedonium presbyterum magiſtrum ſuum libros duos de veteri ſcilicet & novo Teſtamento metro conſcripſit Heroico, quibus & prolixum proſaicè ſcriptum præpoſuit Prologum.

Cap. XXXVI.

incert. ætat. THeodolus parentibus non infimis & Chriſtianis editus fuit; puer in Italia adultus, in Græcia ſtuduit. Eruditus igitur in utraque lingua cùm eſſet Athenis, gentiles cum fidelibus altercantes audivit, quorum colligens rationes, reverſus in allegoricam Eglogam contulit, quam morte præventus non emendavit; unde & paucos in opere ejus nævos invenimus. Qui dum ſic poſuit (*a*) *dic & Trojanum laudis ſcire ſecretum ſe* malè corripuit. Demum tam morum, quàm ſcientiæ honeſtate præditus, ſub clericali norma obiit. Inſcri-

(*a*) *Eglog. Theodul. verſu* 319. dic & Trojauum laudis tu ſcire ſecretum.

ſcribitur autem Liber ejus Eggloga à capris, videlicet tracto vocabulo; quaſi diceretur: (*a*) egle logos, id eſt: caprinus ſermo; aut quia de paſtoribus agit; aut quia fæditatem vitiorum, quæ per hoc animal ſignificatur, reprehendit. Nonnulli etiam à (*b*) *egligon* Græcè, exercitium (*c*) Latinè interpretantur; quia collectis hiſtoriis, & fabulis multis componitur. *An. Chr.*

Cap. XXXVII.

GRegorius Turonum Archiepiſcopus, Doctor egregius, & Hiſtoriographus plurimas conſcripſit hiſtorias, & de miraculis ſanctorum volumen egregium. 573

Cap. XXXVIII.

MArtinus (*a*) Brachahenſis Archiepiſcopus ſcribit ad Mironem regem libellum de quatuor virtutibus. 560

Cap. XXXIX.

CÆſarius Lirinenſis monaſterii monachus, & poſtmodum Arelatenſis Archiepiſcopus, Homelias numero de- 502

(*a*) ἀιγλῶν λόγος. (*b*) ἐκλογὴ, vel ἐκλογεῖον, collectio, ſelectum &c.
(*c*) f, excerptum. (*d*) Braccarenſis.

An. Chr. decem exhortatorias monachis ſcripſit, in quibus omnibus de contemptu mundi copioſè diſſeruit.

Cap. XL.

859 ADo Archiepiſcopus Viennenſis ſcribit inter alia Martyrologium de Sanctis. Extant Epiſtolæ Nicolai Papæ Adoni directæ.

Cap. XLI.

780 ALbinus, qui & Alquinus officio preſbyter, ingenio optimus, fide Catholicus, ſcribit de Grammatica, ſcribit de Rhetorica, ſcribit de Dialectica, ſcribit de Aſtronomia; ſcripſit quoque librum de Trinitate. Scribit de octo vitiis ad Gvvidonem Comitem. Scripſit & ſuper Johannem. Hic per ſeptem ferias totidem ordinavit officia, octavâ, hoc eſt Dominica addita, ita planè; ut in Dominica de Sancta Trinitate, feria ſecunda de Sapientia, tertia verò de Spiritu Sancto, quarta de Angelis, quinta de charitate, ſexta de ſancta cruce, ſabbato de ſancta Maria, de ſingulis denique ſuum ſingulorum agatur officium. Quod ideo commemorandum putavi, quòd ordo ejusdem inſtitutionis in multis hodieque ſer-

ſervatur Eccleſiis. Scribit etiam Quæ- *An. Chr.*
ſtiones in Geneſim ad litteram.

Cap. XLII.

JUſtus (*a*) Viennenſium Archiepiſco- 529
pus ſcribit ad Sergium Papam librum
explanationum in Cantica Canticorum.

Cap. XLIII.

HEtto venerabilis Augienſis cœno- 811
bii presbyter temporibus Ludgvvici mirabilem viſionem cujusdam Augienſis monachi, nomine Wertini, quam eductus è corpore vidit, qui & reductus poſt triduum obiit, proſa deſcribit. Idem poſtmodum Baſileæ Epiſcopus factus, cum (*a*) Bugone, & Ajone comitibus Conſtantinopolim miſſus ſuum deſcribit Hodæporicum.

Cap. XLIV.

WAltfridus (*c*) Strabo, vir doctus, 842
qui annis ſeptem Augienſi Monaſterio præfuit, qui multa ingenii ſui monimenta metro & proſa poſteris tradidit. Eandem ejusdem monachi viſionem metro ſtudioſè deſcripſit.

Cap.

(*a*) *alii* Urgelenſ. Epiſcopus, qui floruit.
(*b*) *alii* Hugone. (*c*) *aliis* VValafridus.

An. Chr.

Cap. XLV.

850 MAgnentius Rabanus Maurus, primò Fuldenſis Abbas, deinde Mogontinus Archiepiſcopus, ſcribendi ſtudio admodum intentus, librum de myſterio Sanctæ Crucis variis figuris, metroque compoſuit, quem Sergio Papæ tranſmiſit. Scribens quoque ſuper totum vetus Teſtamentum nihil prætermiſit intactum. Sed & ſuper Matthæum ſcribit volumen egregium; ſcribit & Computum; ſcribit ad Ludvvicum ſuper cantica Prophetarum; ſcribit ſuper Apoſtolum.

Cap. XLVI.

845 HIncmaurus (*a*) reverendiſſimus Remorum Archiepiſcopus, ſcribit ad Carolum de Collectis, de Canonibus; de vita quoque & virtutibus ſancti Remigii non contemnendum ſcripſit opuſculum.

Cap. XLVII.

840 RAtramnus vir doctus ſcripſit libellum cuidam principi de corpore, & ſanguine Domini, à cujus libelli interim laude ceſſamus, donec perlecto eo, ſi fortè,

(*a*) *al,* Hincmarus,

tè ad manum venerit, an ſanæ & Catholicæ fidei concordet, agnoſcamus. *An. Chr.*

Cap. XLVIII.

LAurentius (*a*) doctrina, & ſcientia clarus ſcribit librum de duobus temporibus, in quo plurima pænitentes poterint invenire remedia. 705

Cap. XLIX.

RUdolfus Fuldenſis monaſterii Presbyter, & monachus, Doctor præcipuus, poëta etiam dictus, & Hiſtoricus ſatis doctus, multis utiliter ſcriptis, octavo Idus Martii rebus exceſſit humanis. 850

Cap. L.

SMaragdus abbas ſuper Epiſtolas, & Evangelia per ſingulas Dominicas diſtributa, utilimum ſcripſit opuſculum. Libellum quoque alium ſcribit, quem de diverſis virtutibus collegit, & ei Diadema Monachorum nomen impoſuit; quia ſicut diadema gemmis, ita hic liber fulget ornamentis. 810

Cap. LI.

AMbroſius, qui & Autpertus Ab- 760

Gg bas

(*a*) Novarienſis.

modum exercitatus ſcribit Quæſtiones *An. Chr.*
in librum Regum. Scribit nihilominus de forma ſpiritualis intellectûs, & interpretatione nominum. Habetur & alius liber ab eo conſcriptus, qui inſcribitur de Quæſtionibus difficilioribus.

Cap. LVI.

MArcellinus, natione Romanus, chronicam ſcripſit, in qua ſagacis ſui 380
ingenii evidens indicium dedit.

Cap. LVII.

PAulus monachus, monachorum inc. ætat.
Regulam ſcripſit, in cujus conſcriptione cooperatorem habuit Stephanum collegam ſuum. Unde & eandem Regulam ſub utrorumque nomine placuit inſcribi, exempli gratia: incipit Regula Pauli, & Stephani.

Cap. LVIII.

POrcharius (*a*) vir vitæ venerabilis,
Abbas monaſterii Lirinenſis, qui 500
beatum Cæſarium Arelatenſi Eccleſiæ deſtinavit Epiſcopum, ſcripta quædam, quæ monita nuncupare placuit, monachis ſcripſit, in quibus de contemptu mun-

(*a*) manus ſæc XV. *alias Burcharius.*

An. Chr. mundi & breviter & diffusè diſſeruit: breviter verbis, ſed diffusè ſententiarum medullis. Hic, ùt fertur, cum multitudine copioſi gregis ſui à Saracenis captus, & interemptus eſt.

Cap. LIX.

inc. ætat. JOhannes Muſicus, natione Anglicus, vir admodum ſubtilis ingenii fuit, qui & libellum præſtantiſſimum de Muſica Arte compoſuit.

Cap. LX.

875 JOhannes natione Romanus, Romanæ Eccleſiæ Archidiaconus, vir acutus ingenio, ſermone facundus, auctoritate, & aſſenſu beati Johannis Apoſtolici de vita beatiſſimi Gregorii Papæ ſatis famoſum ſcribit opuſculum.

Cap. LXI.

824 FRicholphus (*a*) Epiſcopus ſcientia, doctrinaque præcipuus, explanationes in Geneſim ſcribit, & ab exordio mundi uſque ad ſuam ætatem, id eſt, uſque ad tempora Nortomannorum veraces hiſtorias texuit.

Cap. LXII.

1041 ARnulfus presbyter & monachus monachus-

(*a*) *aliàs* Freculphus.

naſterii Sancti Emmerammi Dialogum *An. Chr.*
ſcribit Collectitii & Admonitii de virtutibus ſanctorum, qui eodem in loco in pace ſepulti noviſſimam expectant tubam.

Cap. LXIII.

ARbo, (*a*) qui & (*b*) Cyrias, Friſingenſis Epiſcopus, duo non parva de 760
geſtis ſanctorum Emmerammi & Corbiniani ſcribit opuſcula.

Cap. LXIV.

PAulus Judæus, Fuldenſis monachus, vitam ſancti Erhardi Ratiſponenſis inc. ætat.
Epiſcopi, ſed & de Converſione ſancti Pauli Apoſtoli compoſuit proſam, quam vulgò dicunt ſequentiam, cujus hoc eſt exordium: *Dixit Dominus ex Baſan.* &c.

Cap. LXV.

NOcherus (*c*) Abbas Augienſis, vir fide, & actibus clarus, litteris eti- 912
am adprimè eruditus, in Muſica peritiſſimus fuit. Libellum, quem ſequentiarum, uſitato videlicet vocabulo nuncupari complacuit, compoſuit, cui præmittens prologum deſtinavit eum ad

Gg 3 ve-

(*a*) *aliàs* Aribo. (*b*) ead. man. *aliàs* *Cyrinus.* (*c*) *aliàs* Notgerus.

An. Chr. venerabilem Luitvvardum Vercellenſem Epiſcopum.

Cap. LXVI.

880 REmigius vir clarus tam divinis, quàm ſæcularibus litteris ſufficienter inſtructus, inter alia explanationem in Geneſim ſcripſit. Sed & ſuper Pſalterium Commentum inſigne compoſuit. Habetur nihilominus & aliud ejus Commentum, quod ſcripſit ſuper Donatum.

Cap. LXVII.

220 PAulus vir doctus, ſcribit inter alia librum utiliſſimum, qui inſcribitur de ſignificatione verborum.

Cap. LXVIII.

circ. 1100 EGebertus Hereſfeldenſis, natione Suevigena, officio Presbyter, inter alia ſcribit Vitam ſancti (*a*) Nemoradi confeſſoris, qui & claruit temporibus Chunradi Imperatoris.

Cap. LXIX.

416 ORoſius, venerabilis, ùt putatur Epiſcopus, ſcribit inter alia Commen-

(*a*) ***manus alia recentior*, Jeremedadi. *Sed videtur legend.* Heimeradi.**

mentum in librum duodecim Prophe- *An. Chr.* tarum.

Cap. LXX.

EKehardus monachus monaſterii ſancti Galli, acuti ſatis Ingenii, geſta Waltharii metro conſcripſit Heroico tertio regnante *Hainrico.* 1040.

Cap. LXXI.

AMularius venerabilis Trevirorum Archiepiſcopus, ſcribit inter alia de Officiis eximium opus. Hujus operis immò & hujus Auctoris meminit beatæ memoriæ Rudvvertus Abbas Tuitienſis in libro ſuo, quem ſcribit de Officiis. 810.

Cap. LXXII.

AChelinus *(a)* Epiſcopus nonnulla edidit ſcripta, quæ appellantur Ænigmata. inc. ætat.

Cap. LXXIII.

SYmphroſius, vir eruditiſſimus, ſermone, ac ſcientia ſua, nihilominus ſcribit Ænigmata, quæ cùm hodieq; habeantur à pluribus, nos tamen necdum legendorũ eorũ copiã habere potuimus. inc. ætat.

(*a*) *ſeu* Athelinus.

An. Chr.

Cap. LXXIV.

580 ZEnophirus (*a*) Conſtantinopolitanus Epiſcopus ſcribit inter alia librum, qui inſcribitur Chronographia.

Cap. LXXV.

926 OTto (*b*) venerabilis Abbas Cluniacenſium, ardentiſſimus amator monaſticæ religionis, qui Monachorum Gemma, qui diſcipulorum ſuorum gloria fuit, Dialogum ſatis utilem de Muſica arte compoſuit. Scripſit præterea librum præſtantiſſimum, monachiſque utiliſſimum, librum videlicet Occupationum.

Cap. LXXVI.

841 HEymo, vir ſapiens apud Antiſiodorum ad ſanctum Germanum ſub profeſſione monaſtica degens, multa, & varia conſcripſit opuſcula. Scribit enim ſuper Apoſtolum librum infinitæ quantitatis. Scribit Explanationem egregiam in librum Apocalypſis. Scribit ſuper Cantica Canticorum. Scribit textum duodecim Prophetarum. Sed & ſuper Evangelia plures ſcripſit tractatus.

Cap.

(*a*) f. Theophanes Byzant. qui flor.
(*b*) al. Odo.

An. Chr.

Cap. LXXVII.

ALbertus monachus, Computiſta incomparabilis extitit, qui & libellum inſignem de computi regulis ſcripſit. inc. ætat.

Cap. LXXVIII.

WIlleraminus (*a*) Abbas Eberſpergenſis, vita, ac ſcientia irreprehenſibilis, in componendis verſibus acutum ſatis ingenium habuit. Nam & Canticum Canticorum metro Heroico luculenter expoſuit. 1070

Cap. LXXIX.

STephanus Muſicus, (*a*) vir peritiſſimus, qui inter alia libellum præſtantiſſimum de Muſica Arte compoſuit. 910

Cap. LXXX.

GWido Abbas, fide ac ſcientia incomparabilis, qui & multis in hac vita virtutibus floruit. Nam humanis rebus exemptus Sutriæ eſt ſepultus, ſed poſtmodum per Henricum Imperatorem Spiram translatus. Hic in diebus ſuis utilitatibus Eccleſiarum ſcribendo, 1020

Gg 5 ac

(*a*) *al.* Willeramus.

(*a*) *fortè Epiſc. Leodienſis.*

An. Chr. ac docendo plurimum contulit, atque inter alia nonnulla, quæ ſcripſit, Opus eximium de Muſica edidit, in qua ejusdem Artis inquiſitoribus ſuæ ſubtilitatis evidens indicium dedit.

Cap. LXXXI.

1020 BErn (*a*) Muſicus, vir pius, ac doctus in Monaſterio Prumenſi ſub monaſtica profeſſione deguit, quem poſtmodum Henricus Pius Imperator Abbatem Augiæ conſtituit; qui gratanter acceptus à fratribus fratres diſperſos recollegit, & à Lamperto Conſtantienſi Epiſcopo conſecratus, magna inſignis pietate ac ſcientia præfuit annis quadraginta. Hic ſcripſit librum de Inſtitutione Miſſarum, & de Muſica Opus præſtantiſſimum. Vitam quoque ſancti Udalrici Auguſtenſis Epiſcopi.

Cap. LXXXII.

876 HUſardus, qui & Karolus, vir illuſtris, ſcribit inter alia Martyrologium de Sanctis.

Cap. LXXXIII.

1087 BRuno Seguenſis (*a*) Epiſcopus, vir bonus, & Catholicus, utilem admo-

[*a*] *al.* Berno, (*a*) l. Signienſis.

modum tractatum edidit, in quo cunctis *An. Chr.*
per orbem fidelibus gratiam & pacem imprecatus, à laude exorſus beatiſſimi Papæ Leonis, ſcribit nonnulla de Simoniacis, Simoniacorumque Sacramentis. Rogatu quoque venerandi Epiſcopi Magolonenſis ſcribit quædam myſtica de Dedicationibus Eccleſiarum, & aliis Eccleſiæ Sacramentis.

Cap. LXXXIV.

BRuno alius (*a*) doctrina & Scientia clarus ſcribit nihilominus contra Simoniacos. Scribit ſuper Pſalterium præſtantiſſimum opus. 1033

Cap. LXXXV.

BRuno (*a*) Leucorum Epiſcopus, qui & Leo Nonus Apoſtolicus, ſcribit Epiſtolam Leoni Conſtantinopolitano, & Michaëli Acridano Epiſcopis, docens eos ſervare unitatem ſpiritûs in vinculo pacis. Hic in Muſica ſubtiliſſimus fuit, & inter cantus alios, quos plurimos edidit, Hiſtoriam beatiſſimi Papæ Gregorij ſatis artificioſè compoſuit. 1049

Cap.

(*a*) *Epiſc. Herbipol.*
(*a*) *Codex habet mendoſè* Uruno

An. Chr.

Cap. LXXXVI.

1057 FRidericus Apocriſiarius Leonis Noni Papæ, poſtmodum & ipſe (*a*) propter mutato in Stephanum (*b*) nomine, ſcribit inſignem tractatum contra hæreſim (*c*) Fermentaceorum.

Cap. LXXXVII.

1054 HUmbertus Sanctæ Rufinæ Epiſcopus fuit, qui contra hæreſim prænotatam ſcriptis copioſè diſſeruit.

Cap. LXXXVIII.

1035 BEringarius Turonis exortus, Andegavenſis Eccl.ſiæ Archidiaconus primò hæreticus fuit; quippe qui Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini ſignum ſolummodo ſacræ rei eſſe aſſeruit. Cujus etiam errorem nonnulli ſecuti à nomine Beringárii Beringariani ſunt appellati. Qui videlicet Beringarius cœleſti demum virtute & rationum veritate convictus, etſi non corde, ſcripto tamen renuntiavit eidem hæreſi ſuæ. Cujus juramenti formam Papa Nicolaus univerſali Concilio Romæ con-

(*a*) f. proprio. (*b*) *Stephanus IX. P. M.* (*c*) f. Fermentariorum.

congregato ab eodem accepit, quam & ſancta Romana Eccleſia generaliter ab omnibus hæreticis converſis exigere conſuevit. Fertur tamen Fidem Catholicam de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini Salvatoris, his confirmâſſe verſiculis : *conſtat in Altari carnem de pane creari; ipſa caro Deus; qui negat hoc, reus eſt.* *An. Chr.*

Cap. XXXIX.

LAntfrancus, Anglorum Epiſcopus, miræ ſanctitatis & eruditionis vir 1070
fuit, qui contra hæreſim Beringarianorum nonnulla memoria digna dereliquit.

Cap. XC.

CHriſtianus Pontifex Apulorum, vir clarus ſcientiâ & ſanctitate, contra eandem hæreſim diſſeruit inviĉtiſſimè. 1040

Cap. XCI.

HErmannus Contractus Suevigena, philoſophus in computatione ſubtiliſſimus extitit, qui & librum de principalibus computi regulis ſcripſit Scripſit & metricè librum, qui inſcribitur 1050

de

de conflictu Ovis & Lini. Scripſit item metricè alium in modum Theodoli. Scripſit & tertium nihilominus metricè de contemptu mundi. In Muſica ſanè pene modernis omnibus ſubtilior extitit, & Cantilenas plurimas de Muſica, Cantúsque de Sanctis ſatis auctorabiles edidit. Chronicam quoque & geſta Chunradi & Heinrici compoſuit; in quibus omnibus virtus illius ſatis enituit.

Cap. XCII.

1066 BErtholdus, qui ejusdem auditor, & diſcipulus extitit, vitam Magiſtri, & Chronicam ſcribit.

Cap. XCIII.

1007 FOlbertus Carnotenſis Epiſcopus, eruditionum præceptor quoque Beringarii, cujus ſuperiùs mentionem fecimus, ſcribit inter alia Tractatum contra Judæos, & malos Chriſtianos. Scribit vitam ſancti Ægidii. Scribit & ſermonem de Nativitate ſanctæ Mariæ, Matris Domini.

Cap. XCIV.

996 BUrchardus Wormatienſis Epiſcopus ſcri-

ſcribit Collectiones utilimas de Canonibus. *An. Chr.*

Cap. XCV.

IVo Carnotenſis Epiſcopus ſcribit inter alia nonnulla excerpta de Canonibus. Scribit plurimas in diverſos Epiſtolas. Scribit Martyrologium de Sanctis. Scribit Sententias de Divinis Officiis. 1092

Cap. XCVI.

ANſelmus Cantuarienſis Archi-Epiſcopus, ſcientia & moribus decenter ornatus, adhuc Beccenſi Monaſterio Præſidens, ſcribit Epiſtolam Fratri Mauritio de fratre fugitivo, in qua quæſtionem aliam addidit, & enodavit, videlicet: qualiter malum nihil dicatur & ſit, cùm tamen videatur eſſe aliquid. Opus etiam aliud edidit, quòd ſecundum materiam, de qua editum eſt, Cur Deus homo, nominavit, & in duos libellos diſtinxit. Tres Tractatus pertinentes ad ſtudium ſacræ Scripturæ diverſis fecit temporibus conſimiles in hoc, quia facti ſunt per interrogationem, & reſponſionem, & perſona in- 1093

terro-

An. Chr. terrogantis nomine diſcipuli, reſpondentis verò notatur nomine Magiſtri. Unus horum trium eſt de veritate; quid ſcilicet ſit veritas, & in quibus rebus ſoleat dici, & quid ſit juſtitia? Alius verò eſt de libertate arbitrii, quid ſit? & utrum eam ſemper habeat homo, & quot ſint ejus diverſitates in habendo, vel non habendo rectitudinem voluntatis, ad quam ſervandam data eſt creaturæ rationali? Tertius autem eſt de quæſtione, qua quæritur, quid peccaverit diabolus, quia non ſtetit in veritate, cùm Deus non dederit ei perſeverantiam, quam niſi eo dante habere non potuit, quam ſi Deus dediſſet, ille habuiſſet; ſicut boni Angeli illam habuerunt, quia Deus illis dedit? Quem Tractatum quamvis ibi de confirmatione bonorum Angelorum dixerit, de caſu diaboli titulavit, cùm illud contingens fuit, quod dixit de bonis Angelis; quod autem ſcripſit de malis, ex propoſito fuit quæſtionis. Quartum denique ſimili modo edidit non inutilem introducentis ad Dialecticam, cujus initium eſt: *de Grammatico*, quem,

quia

quia ad diverſum ab his tribus ſtudium pertinebat, iſtis non cognominat. Scribit præterea duo non parva Opuſcula, Monologion ſcilicet, & Proſologion, quæ ad hoc maximè fecit, ut, quod fide tenemus de divina natura, & ejus perſonis præter incarnationem, neceſſariis rationibus ſine auctoritate Scripturæ probari poſſit. Scribit quoque de Virginali Conceptu, & originali peccato librum; ſcribit ad Urbanum Papam II. librum de Incarnatione Verbi; ſcribit contra Græcos librum de Proceſſione Spiritûs ſancti. Scribit & Epiſtolam Williramo Novemburgenſi Epiſcopo de diſſenſione Græcorum in Sacrificio. Sed & ſuper Evangelium: *Intravit JEſus in quoddam caſtellum*, novam ſcribit explanationem, ſanctæ DEI Genitricis Mariæ feſtivitati, & laudibus aptiſſimè congruentem. De Sanctis quoque ordinatiſſimum ſcribit Martyrologium. *An. Chr.*

Cap. XCVII.

GIſilbertus (*a*) Abbas Weſtmonaſterii Dialogum ſcribit Judæi & Chriſtiani, quem & diſcutiendum di- 1080

a al. Gillebertus.

An. Chr. rexit eidem Anſhelmo Cantuarienſi Archi-Epiſcopo.

Cap. XCVIII.

1080 CLemens, qui & Gvvibertus, Ravennaticæ ſedis Epiſcopus, ac poſtmodum ſuper Gregorium Septimum per Regem Heinricum in Romanam Eccleſiam, licèt invitus, juxta quosdam violenter, intruſus, nec Ravenna, nedum Roma benè uſus, facundus tamen eloquio, acutus ingenio, tres in Apoſtolatu ſibi invicem ſuccedentes ſupervixit. Qui & beato Papæ Urbano exilium ſuum improperans hæc metricè in eum verborum tela detorſit: *diceris Urbanus, cùm ſis projectus âb urbe; vel muta nomen, vel regrediaris in urbem.*

Cap. XCIX.

1088 URbanus Secundus Apoſtolicus, ſcientia, & ſanctitate magnificus, accepto hujusmodi improperio, ſic metricè reſcripſit eidem æmulo ſuo: *Clemens nomen habes, ſed clemens non potes eſſe; tradita ſolvendi, cùm ſit tibi nulla poteſtas.* Quibus nimirum verbis nihil eum de Apoſtolica dignitate præter vocabulum palam perhibet aſſecutum.

Cap.

Cap. C. *An Chr.*

ANſhelmus Lucenſis Epiſcopus, vir per omnia Catholicus, omnique ad unquem ſcientia præditus, ac poſt mortem miraculis clarus, qui & beatum Gregorium VII. unicè dilexit, contra Gvvibertum, & ſequaces ejus, Opus eximium ſcripſit. Nam & ſuper Pſalterium opus immodicum ſcribit, in quo locis congruentibus contra Gvvibertum & Heinricum per apoſtropham diſſerit. 1071

Cap. CI.

BErnardus (*a*) presbyter, vir doctus & Catholicus cum collega ſuo Albano presbytero utilem habuit conflictum ſuper incontinentia Sacerdotum. Scribit deinde Apologeticum ſuper Decreta, quem venerabilis Papa Gregorius ejusdem nominis Septimus in Romana Synodo promulgavit contra Simoniacos & incontinentes Altaris miniſtros. Scribit præterea librum de poteſtate Presbyterorum; de Concordia Canonum librum; de Concordia officiorum librũ; librũ quoq; de cõfeſſione. Adhoc etiã ſatis utilẽ ſcribit Chronicam. 1070

(*a*) *Simlero*: Bernoldus?

An. Chr. *Cap. CII.*

1066 GUidmundus, qui & Chriſtianus, primò in monaſterio Stabulaus monachus fuit, ubi dum Abbas conſtitui, atque ad alterum locum regendum mitti debuiſſet, aufugit, ignotamque provinciam appetens, ne poſſet agnoſci, nomen mutavit in melius, aſſumens videlicet Chriſtianitatis vocabulum, cunctis commune fidelibus. Tandem verò requiſitus & repertus, ſub Gregorio VII. Averſæ eſt factus Epiſcopus, ſcripſitque fratribus ſupradicti monaſterii explanationem egregiam ſuper Evangelium ſecundùm Matthæum; in cujus explanationis prologo ſuper Joannem quoque ſe ſcriptum pollicetur; ſed utrum minimè ſcripſit, an certè ſcripſerit quidem, quod ad nos minimè pervenerit, adhuc à nobis ignoratur. Scripſit tamen explanationem ſuper Evangelium ſecundum Lucam.

Cap. CIII.

1120 RUdolphus (*a*) Abbas cùm in aliis artibus, tum in Muſica acutiſſimus fuit, qui etiam inter alia Chronicam ſcribit. *Cap.*

(*a*) f. Rudolphus Truax don. qui fl.

Cap. CIV. *An. Chr.*

EKehardus (*a*) Abbas vir admodum doctus & religioſus extitit, qui & ſuam nihilominus Chronicam ſcribit. 1013

Cap. CV.

MAnegoldus presbyter modernorum magiſter magiſtrorum, ſtrenuus aſſertor veritatis fuit, à qua nec promiſſis nec minis ſchismatici regis flecti potuit. Quin immò in diſſenſione illa, quæ inter Gregorium ſeptimũ & Heinricum quartum exorta fuit, pro tuenda juſtitia laboravit usque ad vincula. Extat ad eum ſcripta quædam exhortatoria Ivonis Epiſcopi Carnotenſis epiſtola. Hic textum Iſaiæ prophetæ paginalibus clauſulis diſtinxit; ſuper Matthæum verò gloſas continuas ſcribit. Scribit quoque ſuper Pſalterium opus præſtantiſſimum ſuper topazium, & aurum obrizum pretioſum. 1070

Cap. CVI.

ARibo ſive Cirinus Muſicus muſicam ſcribit, quam propter ejus menſuræ celeritatem Capream nuncupavit; 1090 *velocius enim*, inquit, *currebat, cùm venebar eam; quia voluntas Dei fuit, ut citò mihi occurreret,*

(*a*) fortè Iunior S. Gallenſ. monachus, qui fl.

An. Chr. *curreret, quod volebam.* In hoc verò tractatu de ejusdem artis induſtria cæteris ſubtilius agit, in quo & Domini Wilhelmi Muſici ita meminit dicens: *Wilhelmus priùs Emmerammenſis Ratiſponæ monachus, nunc autem alibi Abbas (a) venerandus (b) fiſtularum novam exquiſivit menſuram, prioris intenſionem convertens in remiſſionem, quam mecum communicavit. Nam meam dilexit parvitatem ultra parvitatis dignitatem, qui erat Muſicorum primus, modernus videlicet Orpheus, & Pytagoras.* Hunc itaque tractatum Pontifici ſuo obtulit, cui & ſcribit, ſicut ait: Aribo tractatum depinxit Muſicus iſtum; atque dedit dono Pontifici proprio.

Cap. CVII.

Incert. ætat. FUcraldus Muſicus multam Muſicæ Artis notitiam habuit, qui & librum de Muſica ſcripſit.

Cap. CVIII.

1090 WIlhelmus Abbas reverendiſſimus, Bavvariorum proſapia religioſis parentibus exortus, atque in monaſterio ſancti Emerammi Ratisponæ educatus,

(*a*) Hirſaugienſ. (*b*) *codex* viſtularum, f. verſiculorum.

tus, divina illum comitante clementia, *An. Chr.*
tanta ingenii pollebat excellentia; ut cum eminentia honeſtorum morum ſimul emineret ſtudio variarum artium. De quibus multa nobis ſui mirabilis ingenii monimenta reliquit. Nam naturale horologiũ ad inſtar cæleſtis hemiſphærii excogitavit; naturalia Solſtitia, ſive Æquinoctia & ſtatum mundi certis experimentis invenire demonſtravit, quæ omnia etiam litteris mandare curavit. Multas etiam Quæſtiones de Computo probatiſſimis rationibus enodavit. Hic in Muſica peritiſſimus fuit, multasque illius ſubtilia antiquis doctoribus incognita elucidavit. Multos etiam errores in Cantibus deprehenſos, ſatis rationabiliter ad artem correxit. In Quadruvio ſanè omnibus penè antiquis videbatur præeminere. Tractatum tamen unum de muſica ſcripſit, quem Dei vocatione ad regendum Hirſaugienſe cœnobium tractus minimè perfecit. Hic Dominum Udalricum Cluniacenſis monaſterii monachum incitavit ad ſcribendam Conſuetudines monachorum.

An. Chr. *Cap. CIX.*

1070 DIetgerus Abbas à Latinis Theogorus, à (*a*) Theotunicis quibusdam Theokarius dictus, domini Wilhelmi Abbatis primò diſcipulus, deinde in monaſterio ſancti Georgii Abbas tertius, ac tandem Metenſis Epiſcopus aliquantisper adminiſtrato Epiſcopio ſepultus eſt in Cluniaco. Et hic quoq; Tractatum unum de Muſica ſcribit, in quo de ejus inventione, & numeris, ac proportionibus juxta Arithmeticos breviter quidem, ſed ſatis ſubtiliter agit.

Cap. CX.

1070 UDalricus Ratiſponenſis Eccleſiæ Canonicus, ac poſtmodũ Cluniacenſis monaſterii monachus, multæ ſcientiæ, multæq; patientiæ vir extitit, quippe qui multas corporis moleſtias immiſſas à Domino, multasq; à falſis fratribus ſibi irrogatas injurias patienter tulit. Hic multas ſcribit ad diverſos Epiſtolas, reprehendens eos, qui erant reprehendendi, collaudans eos, qui erant collaudandi, exhortans eos, qui erant exhortandi. Scripſit etiam venerabili Wilhelmo Abbati Epiſtolam, in qua reprehendit eum prop-

(*a*) f. Thevtonicis.

propter irregularem ejus, quam ex Germanicorũ Abbatum uſurpatione, licèt ſimpliciter, portabat cappam, docens eũ non debere transgredi habitum ſibi ſubditorum, cùm ſciret ſcriptum: (*a*) *ducem te conſtituerunt, eſto in illis, quaſi unus ex illis.* Tunc impleta eſt ſcriptura, quæ dicit: *corripe ſapientem & diliget te; doce juſtum, & feſtinabit accipere,* Continuò enim, ut una manu accepit epiſtolam, cappamq; ſenſit reprehenſam, cum altera manu nunquam reinduturus, abſtraxit eam, nec diſtulit, donec perlegeret epiſtolam. Compoſuit quoque vitam & Epitaphium ſanctiHermanni ex marchione monachi filii Ducis Berchtaldi fratris Gebhardi Conſtantienſis Epiſcopi. Præterea ſcripſit volumen Conſuetudinum Cluniacenſiũ monachorũ, quod pene legitur ubiq; terrarum. *An. Chr.*

Cap. CXI.

MEginhardus (*b*) Herbipolitanus Epiſcopus ſcribit in Cantica Canticorum Explanationum Opus eximium. vel 1033 / 1088

Cap. CXII.

POnizo (*c*) Sutrienſis presbyter (*d*) (*Gregorii*) ſeptimi temporibus ſcribit excerpta de Canonibus. 1070

Cap.

(*a*) *Eccli.* 32. 1. (*b*) *Prov.* 9. 9. (*c*) Lan 11?
(*d*) *aliàs* Bonizo (*f*) *ſic locum expleo.*

An. Chr. *Cap. CXIII.*

1070 DEusdedit Cardinalis eisdem temporibus ſcripſit contra Guibertinos.

Cap. CXIV.

inc. ætat. GOtſchalcus, monachus Dechingæ, ſcripſit inter alia libellum quatuor ſermonum, quorum primus de conceptione ſancti Johannis Baptiſtæ; ſecundus de ſancta Maria; tertius de diſperſione Apoſtolorum; quartus de initio Evangelii ſecundum Matthæum.

Cap. CXV.

1070 PLacidus Cœnobii Nonantuliani Prior, ſcribit contra Inveſtituras, & iniquam poteſtatem quarti Heinrici.

Cap. CXVI.

inc. ætat. GEraldus vir doctus apud monaſteriũ St. Blaſii monachus factus, vitam religioſam aliquamdiu duxit, qui inter alia Commentum ſuper Dialecticam ſcripſit. Scripſit præterea ſatis utilium Collectas Sententiarum.

Cap. CXVII.

1120 RUdbertus Magnus, magnum, & mirabile ſcientiæ donum aſſecutus, apud Leodium in monaſterio Sancti Laurentii regularibus diſciplinis à pue-

ro inſtitutus, deinde Sigibergenſis monachus; ad ultimum Tuitienſis Abbas conſtitutus anno Domini MCXI. ſub quarto Henrico ſcriba doctus ſcribere exorſus, uſque Lotharium (*a*) tertium, & ſub eo annis ſcripſit plurimis. Verùm ubi vel quando, vel quomodo gratiam ſcribendi perceperit, ipſe in opere ſuo, quod de gloria & honore filii hominis fecit, libro duodecimo pandit. Librorum verò, quos ſcripſit, alios in Archiepiſcopi Colonienſis, alios (*b*) Denonis, Sigibergenſis Abbatis, ac poſtmodum Epiſcopi Ratiſponenſis nomine attitulavit pro eo, quòd eum uterque illorum impulerit ad ſcribendum. Hic in libro de Glorificatione Trinitatis & Proceſſione Spiritûs ſancti unam ad Honorium Papam, in libro ſecundo de Divinis officiis ad venerabilem Chunonem Ratiſponenſem alteram ſcribit epiſtolam continentem omnem librorum ſuorum ſummam. Scribit ergo Commentum in Job, librorum decem tractatus; in Evangelium Johannis librorum quatuordecim. Opus de operibus Sanctæ, & Individuæ Trini- *An. Chr.*

(*a*) *al.* ſecundum. (*b*) Chunonis.

tatis

An. Chr. tatis librorū quadraginta duorū; Opus in Apocalypſim librorū duodecim; Opus in duodecim Minorib⁹ Prophetis librorū triginta; opus de victoria Verbi DEI librorum tredecim; Opus de Gloria & honore filii hominis in Evangelium ſecundum Matthæum librorum totidem; Opus ex libris de glorioſo rege David, & Opus in Cantica Canticorum ſeptem libellis expliciunt. Scribit & opuſculum trium libellorum ſub Dialogo Judei & Chriſtiani de Sacramento fidei, & opus de glorificatione Trinitatis & proceſſione Spiritûs ſancti; libros quoque de Meditatione mortis, quos paulo antequam moreretur, inchoavit, & morte præventus conſummare non potuit.

Hucusque codex Mellicenſis.

Index Alphabeticus

Scriptorum Eccleſiaſticorū, quos Anonymus Mellicenſis in hoc opere recenſet.

A.

Achelinus Epiſcopus. capite 72.
Adamnanus Scotus. capite 29.
Ado Viennenſis. c. 40.
Albertus monachus. c. 77.

A-

Alcuinus. c. 41.
Aldhelmus. c. 30.
Alexander I. P. M. c. 6.
Amalarius Trevir. c. 71.
Ambroſius Autpertus c. 51.
Ambroſius Mediol. c. 11.
Anſelmus Cantuar. c. 96.
Anſelmus Lucenſ. c. 100.
Arator. c. 17.
Aribo Cirinus Muſic. c. 106.
Aribo Cirinus Friſing. c. 63.
Arnulfus Ratisbonenſ. c. 62.
B. *Bachiarius. c. 53.*
Beda Vener. c. 31.
Benedictus Ab. Caſin. I. c. 20.
Berengarius Andegavenſ. c. 88.
Bernoldus c. 101.
Berno Augienſ. c. 81.
Bertholdus Conſtantienſ. c. 92.
Boëtius Manl. Sever. c. 15.
Bonizo c. 112.
Bruno Herbipol. c. 84.
Bruno Signienſ. c. 83.
Bruno Tullenſ. c. 85.
Burchardus Ep. Wormat. c. 94.
C. *Caſarius Arelat. c. 39.*
Caſſiodorus. c. 16.
Chriſtianus. c. 90.
Chriſtianus Guitmund. c. 102.
Cirinus Aribo c. 106.

Cirinus Aribo Friſing. c. 63.
Clemens Alexandr. c. 5.
Clemens III. Antip. c. 98.
Columbanus Ab. c. 25.
D. Deuſdedit Cardinalis c. 113.
Dietgerus Ep. Metenſ. c. 109.
Dionyſius Exiguus. c. 19.
E. Egebertus Herſfeldenſ. c. 68.
Ekehardus Abbas. c. 104.
Ekehardus S. Gall. c. 70.
Epiphanius Ep. Salam. c. 13.
Eucherius. c. 55.
F. Freculphus Ep. Lexov. c. 61.
Fridericus Cardinal. c. 86.
Fucradus c. 107.
Fulbertus Carnot. c. 93.
Fulgentius Ruſp. c. 14.
G. Gelaſius I. P. M. c. 2.
Geraldus S. Blaſianus. c. 116.
Giſilbertus Weſtmonaſt. c. 97.
Gotſcalcus Deckingenſis. c. 114.
Gregorius Magnus P. M. c. 8.
Gregorius III. P. M. c. 9.
Gregorius Turonenſ. c. 37.
Guibertus Antip. c. 98.
Guido Abbas. c. 8.
Guitmundus Averſan. c. 102.
H. Hermannus Contractus. c. 91.
Hetto Baſileenſ. Ep. c. 43.
Heymo Halberſtad. Ep. c. 76.

Hinc-

Hincmarus Remenſ. Archiep. c.46.
Humbertus Cardinal. c. 87.
I. *Johannes Anglicus Muſic. c. 59.*
Johannes Chryſoſt. c. 12.
Johannes Diaconus, c. 60.
Jornandes Ep. Goth, c. 22.
Iſidorus Hiſpalenſ. c. 26.
Julianus Toletan. c. 52.
Ivo Carnotenſ. c. 95.
Juſtus Viennenſ. c. 42.
L. *Lanfrancus Cantuar. c. 89.*
Laurentius Epiſc. Novarienſ. c.48.
Leo Magnus P. M. c. 7.
Leo IX. *P. M. c. 85.*
M. *Manegoldus. c. 105.*
Marcellinus Comes. c. 56.
Martinus Bracarenſ. c. 38.
Meginhardus Ep. Herbipol. c. 111.
N. *Notgerus Augienſ. c. 65.*
O. *Oddo Ab. Cluniacenſ. c. 75.*
Oroſius Epiſc. c. 69.
P. *Paſchaſius Ratbert. c. 34.*
Paterius. c. 24.
Paulus JC. c. 67.
Paulus Judeus Fuldenſ. c. 64.
Paulus monachus. c. 57.
Petrus Damiani, c. 33.
Petrus Chryſologus. c. 28.
Placidus Nonantulanus. c.115.
Porcharius Lirinenſis. c. 58.

Pri-

Priſcianus Cæſareenſ. c. 18.
R. *Rabanus Maurus. c. 45.*
Ratramnus Corbejenſ. c. 47.
Regino Prumienſ. c. 54.
Remigius Autiſſiod. c. 66.
Rudolfus Ab. c. 103.
Rudolfus Fuldenſ. c. 49.
Rupertus Tuitienſ. c. 117.
S. *Sedulius, c. 35.*
Sergius I. P. M. c. 10.
Sixtus I. P. M. c. 4.
Smaragdus Abbas. c. 50.
Stephanus IX. P. M. c. 86.
Stephanus Monachus. c. 57.
Stephanus Muſicus c. 79.
Symphroſius. c. 73.
T. *Teleſphorus P. M. c. 1.*
Theodolus. c. 36.
Theodorus Cantuar. c. 27.
U. *Udalricus Cluniacenſis. c. 110.*
Victor African. c. 23.
Victor Capuanus. c. 21.
Urbanus II. P. M. c. 99.
Uſuardus. c. 82.
W. *Walafridus Strabo. c. 44.*
Willeramus Eberſpergenſ. c. 78.
Wilhelmus Hirſaugienſ. c. 108.
Z. *Zacharias P. M. c. 32.*
Zenophirus Conſtantinopol. Ep. c. 74.
Zoſimus P. M. c. 3.

Finis.

Errata notabiliora, quæ ob Autoris abſentiam & autographi characteres malè a typotheta lectos in opus irrepſerunt, ſic corriget prudens & benevolus Lector.

In Præf. pag. 4. lin. ult. σὺν

In Diſſert. de Ortu &c. cap. 2. p. 6. lin. 20. fuiſſe tum. Cap. 5. pag. 3. lin. 8. & 9. inter hæc ad Francicam. pag. 7. lin. 6. debeat.

In Lib. 1. pag. 39. lin. 18. B. pag. 52. lin. 19. viam p. 64. l. 20. ſententias. p. 71. l. 19. Catechiſmum. p. 72. l. 7. ad Græcorum. p. 8. l. 19. De Gentes. p. 115. l. 2. Sorbonico. p. 154. l. 7. ab. p. 155. l. 9. at. p. 158. l. ult. vini. pag. 159. l. penult. ut inciviliùs. p. 181. l. penult. ne. p. 189. l. 3. Lutetia. p. 198. l. 4. nobiles. p. 212. l. 23. Johannem. p. 214. l. 15. inſervientium. p. 217. l. 16. ſextum. p. 219. l. 6. extra exercitia. p. 226. l. 22. conſuetorum. p. 232. lin. ult. *dele.* in ordinem redigendis. p. 242. l. 19. ad ſupernam. *ſupple.* vitam. p. 251. l. 6. cenſuerunt. p. 279. l. 6. Hìc. p. 281. l. 19. Proceſſu.

In Lib. 2. pag. 298. lin. 4. collocatum & octo. p. 301. l. 24. commentationis. p. 303. l. 14. illud. p. 304. l. 19. cum eodem ſcriptore. p. 320. l. 15. Tucididem. p. 357. l. 7. averſari. lin. 14. quam. p. 401. l. 9. *dele.* univerſam.

In Anonymo Mellic. p. 420. lin. 10. ſæculo. pag. 434. l. 19. rogatu. p. 449. l. 10. ſemiantrum. p. 455. l. 7. & ſermone. p. 463. l. 11. Wettini. l. 25. floruit. *ſupple anno Chriſti, qui ad latus Autoris, litterâ notati, indicatur, quod & in ſequentibus Lector obſervet.* p. 483. l. 18. Decreta. p. 484. l. 17. ſcripturum. l. 28. Rudolphus Trudon. p. 487. l. 14. multaque l. 26. ſcribendas. p. 489. l. 28. (*b*) I. an. II?

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

005669226

Digitized by Google

Digitized by Google

CB

Digitized by Google

Digitized by Google